by Google

G. DE MEYER
BOEKBINDERIJ
RELIURES
Sint-Paulusstraat, 2
GENT

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900000103529

Digitized by Google

Digitized by Google

SAM. GOTTL. VOGEL,

M. D., CONSILIARII AULICI, NEC NON PRAXEOS CLINICAE ETC. IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI PROFESSORIS PUBLICI, ORDINARII

Med 1430

MANUALE

PRAXEOS MEDICAE

MEDICORUM

ILLAM AUSPICATURORUM

USUI DICATUM.

EX

EDITIONE GERMANICA RECENTISSIMA, UNA CUM ADDITAMENTIS AUCTORIS OMNIBUS LOCO SUO SUPPLETIS,

IN

LINGUAM TRANSTULIT LATINAM NOTASQUE HINC INDE ADJECIT

JOANN. BERNARD. KEUP,

MEDICINAE DOCTOR ETC.

TOMUS PRIMUS.

STENDALIAE,

SUMTIBUS D. CH. FRANZEN EJUSQUE SOCII GROSSE.

MDCCXC.

Digitized by Google

Digitized by Google

Med 1430

PRAEFATIO.

De utilitate manualis hujus inſigni nemo, qui deſcriptiones morborum in eodem expoſitorum accuratiſſimas mente perlegit attenta, ratione profecto dubitare poterit ulla. Quam etiam ob cauſam eruditi, toties ſubinde diſſentientes, in hoc laudando conveniunt conſentiuntque omnes. — *Baldingerus* venerabilis, cujus nomen orbi litterato ſanctum eſt celebratumque, cenſores Berolinenſes, Jenenſes, Halenſes etc. librum hunc vix ſatis commendare poſſunt unanimiter. —

Ut igitur manuale hoc egregium exteris linguae noſtrae vernaculae ignaris prodeſſe quoque poſſet, in linguam illud talem transferendum eſſe credidi, quam medici de jure omnes intelligere deberent; neque laborem ſic inutilem me ſuſcepiſſe ſpero.

Digitized by Google

Additamenta quoque tomi tertii fini annexa loco ſuo ſupplevi omnia; unde verſio haec praerogativam prae opere germanico nacta eſt non parvam.

Num autem ita felix in vertendo fuerim, ut auctoris mentem rite expreſſerim ubique, verſioque idcirco mea exteris clara intellectuque facilis ſit futura, cenſoribus aequis dijudicandum relinquo.

Notas hinc inde diverſas inter vertendum a me adjectas expunxi plerasque, ne libri moles increſceret nimis, proportioque adeo erga tomos ſequentes maneret nulla. Rationem ob eandem auctoris praefationes omiſi, atque quaeſtiones ſolummodo aegrotis proponendas ex editionis primae praefatione omittendas nullatenus eſſe putavi. Medici enim ſcientiam maximam in morborum accurate explorandorum arte conſiſtére, vere ſtatuit auctor. Quaeſtiones autem hasce morbis haud applicabiles eſſe omnibus, morbum ſingularem quemlibet, quinimmo individuum quodlibet quaeſtiones requirere proprias ſingularesque; quaeſtiones varias pro circumſtantiarum ratione aliter modifican-

ficandas, ordinem juxta alium ſermoneque mutato proponendas; quaeſtiones omnes exemplis hisce propoſitis exhauſtas nullatenus, nec non illarum diverſas ſuperfluas tum eſſe, ſi aegrotus medico cognitus jam fuerit; reſponſionem ad quaeſtionem unicam quaeſtionibus non raro pluribus reſpondere ſimul, res varias ab aegroto non experiendas indicandasque a cognatis et adſtantibus explorandas; de omnibus tandem viſu, odore, ſapore, tactu ſenſuumque illorum uno alterove explorandis quaeſtiones proponendas eſſe nullas, vix, ut moneatur, neceſſe erit.

Medicus igitur aegroto auxilium ſuum deſideranti quaeſtiones proponere poterit ſequentes:

Quotum aetatis annum agat? Quamdiu conflictatus cum morbo ſuo jam fuerit? Quomodo morbus hic inceperit? Num cum morbo olim forte perpeſſo nexum habeat aliquem? Num antea ſanus ſemper fuerit, aut quibus morbis laboraverit praecipue: v. c. rheumatiſmis, catarrhis, exanthematibus, arthritide, morbis venereis, narium, oris vaſorumque

haemorrhoidalium haemorrhagiis etc.? Num inprimis in pueritia ſua ab effloreſcentiis (achoribus, tinea, favo, cruſta lactea) moleſtias paſſus fuerit multas? Num manuum pedumve madore, ſudoribus nocturnis, herpete, ulceribus inveteratis etc. ſit correptus, qualisque jam horum ſit conditio? Num fonticulum ſetaceumve habeat, aut habuerit? Num hernia laboret? Num variolas morbillosve jam ſuperaverit? Num morbo praeſente pluries fuerit tentatus, quibus temporibus, qualis tunc illius conditio decurſusque vice fuerit qualibet? Quibus medicamentis et quo medico uſus fuerit? Num circumſtantiae praegreſſae, cui morbum ſuum fortaſſe tribuere poſſit, recordetur nullius? Num parentibus natus ſit ſanis? Quale vitae genus a juventute, quale certis geſſerit in annis? Quae jam ſit vitae ſuae ratio? Num baccho, veneri etc. litaverit? Num theam coffeamque largiter bibat, vitam gerat ſedentariam, aut multum ſe commoveat, mentis laboribus ſtrenuis ſit occupatus, peti fumum ſugat etc.? Quae ciborum potulentorumque genera ipſi prae aliis placeant? Quibus negotiis incumbat praecipue?

Digitized by Google

cipue? Num motibus fortibus diuturnisque ſine fatigatione difficultateque reſpirandi quadam ſe excercere poſſit? Num ſanitatis tempore bene appetierit dormiveritque? Quomodo, ſimulac evigilaverit, valeat? Num ſomniis torqueatur multis? Num medicamentis utatur frequenter, venaeſectionibus, purgantibus capiendis, fontibus ſotericis bibendis etc. ſit adſuetus? Quare his utatur? Quomodo ex illis vice valuerit qualibet? Num ab emeticis, laxantibus etc. moveatur facile? Num ſorte ſua contentus hilarisque vivat, aut animo ſaepius angatur, inque iram ſit propenſus? Num vinculis obſtrictus ſit matrimonialibus? Num uxore gaudeat ſana prolesque — et quot — cum illa generaverit? Num ſanae ſint etc.? Quali inhabitet domui? Ubi ordinarie dormiat? Num cibos rite concoquat? Quoties alvum exoneret? Quae fecum alvinarum ſit conditio? Quales in praeſenti moleſtias, aeſtumne, an ſitim inquietudinemve, aut nauſeam, anxietatem, ructus, tuſſim, ſaporem ingratum, borborygmos abdominales, dolores alicubi, pruritum, ardorem, tenſionem, preſſionem etc. ſentiat? Num horis diur-

Digitized by Google

nis nocturnisve quibuslibet modo patiatur pari? Num frigore corripiatur interdum? Quomodo nunc dormiat? Quae corporis poſitio, qualis ſitus ipſi praeprimis placeant? Quomodo appetat? Num ſingulare quidquam deſideret? Quantam demittat urinae copiam, an cum moleſtia, aut ſine eadem mingat? Quomodo oculi, adſpectus, phyſiognomia, ſenſus externi internique, cutis, lingua, labia, gingivae, faciei, genarum, auris externae color, collum, reſpiratio, pulſus, abdomen, urina fecesque alvinae, animus, vires, temperamentum, conditio politica, juxta digreſſiones a ſtatu naturali omnes oculis obverſantes, atque exploratu poſſibiles temporibus diverſis circumſtantiisque ſe habeant ſub diverſis? Num idioſyncraſiis ſit obnoxius certis? Num morbi graſſentur epidemici contagioſique? Num contagio ſe expoſuerit? — etc.

Mulieres morbo laborantes in ſpecie adhuc interrogantur: Quae ſit purgationis menſtruae conditio? Quo tempore vice ultima illam habuerit? Num ſine moleſtia, aut cum eadem, largiter parceque fluat,

fluat, et quamdiu fluxus menſium duret? Num ex ordine ſemper proceſſerit? Quando vice prima apparuerit? Num turbetur facile? Num fluore albo laboret, et quae ab initio illius fuerit natura? Num gravida ſit? Quamdiu jam in utero gerat? Num prolem fuerit enixa, quandoque pepererit? Qualis fuerit partus? Num ſub eodem multum paſſa, lipothymiis correpta fuerit jacturamque ſanguinis fecerit magnam? Num haec jam ante partum contigerit? Num ſitus infantis fuerit debitus? Quamdiu partus negotium duraverit in genere? Quid cum ſecundinis acciderit? Quando aquae fuerint ruptae? Qua obſtetrice, quove artis obſtetriciae magiſtro uſa fuerit? Num ſaepius pepererit? Num abortiverit, quotiesque? Quid ſub abortu paſſa fuerit? Quo graviditatis menſe contigerit abortus? Num lac graviditate durante apparuerit in mammis? Num gravida rem ſaepius cum marito habuerit? Num pathematibus animi vehementibus angatur? Num libros legat ſenſationem exaltantes, ſpaſmis obnoxia ſit, parum bibat, potuumne calidorum copiam hauriat largam, aëri libero ſe exponat raro? Num in matrimonio

urinam copiaque mittat quanta? Num efflorefcentiam cutaneam habeat, aut habuerit? Num medicamenta illorumque quaenam huic fuerint oppoſita? Num abdomen inflatum, durum, ſenſibile calidumve ſit? Num ſaepius vomat, qualisque vomitu rejecti, aut alvo excreti color ſit? Num dormiens convellatur ſaepius, multumve, inprimis alvi ſub exoneratione, clamet? Quoties alvum exoneret mingatque? Num dentium ſuorum ſtridor percipiatur ſaepius? Quomodo dormiat? Num vermes excernantur? Num pupilla valde ſit ampliata? Num fame interdum tenretur vehementi? Num ſitis, aeſtus, frigus etc. praeſto ſint? Num variolis laboraverit morbillisve? Num tuſſiat, oculos habeat lacrymantes, vel an quidquam ex auribus effluat? etc. —

Quaeſtiones iſtae vario adhuc variari augerique modo, atque ſic caſibus pro re nata ſpecialibus adcommodari in ſpecie poſſunt. His autem ulterius rimandis eo minus immorari poſſum, quoniam limina artis medicae prima vix ſalutaſſe putandus foret, qui caſu ſub dato ultra ſibi conſule-

re

re neſciret. Aegroti vero nonnulli, auctore recte animadvertente, quaeſtiones ad nonnullas reſpondere nequeunt, interdumque nolunt, vel falſe reſpondent. Quaeſtiones hinc mox modo hoc mox alio formandae, diverſimodeque variatae ſaepius, inprimis, ſi momenti fuerint magni, ſunt repetendae. Pudor enim, ſtupiditas, confuſio, ignorantia, moroſitas, taedium aut praejudicium adverſus medicamentum hoc illudve, cujus praeſcriptionem veritatem fatentes pertimeſcunt, circumſtantiaeque plures aliae in cauſa ſunt, ob quam aegroti medico ſuo vel reſpondere nolunt, vel reſponſiones ipſi dant falſas, aut ultra veritatem conqueruntur, ut morbo ſuo vel larvam induant graviorem, vel medicum eo, ex opinione ſua, reddant ſolertiorem etc. Nonnulli morbum ſuum in pectore reſidere pertinaciter tuentur, licet ſedes ejus in ventriculo ſit et abdomine, viceque verſa, atque pro opinione hac ſua ad quaeſtiones reſpondent omnes. Alii, ſymptomatis duntaxat cujusdam ſanationem optantes, circumſtantiarum plurium inquiſitionem reſpuunt. Non raro medicus ab adſtantibus, ſi aegrotus vel reſpondere

dere nequit, vel quoque non vult, relatione decipitur falſa, quamvis vita inde et mors pendeant. — Medico hinc acies mentis, in aegroto expiſcando, non minor, quam judici inquiſitum examinaturo argutiſſimum, neceſſaria eſt. Neque tamen neceſſe eſt, ut cuncta vice quaerantur eadem, inprimis ſi periculum nec magnum eſt, nec urgens. In morbis chronicis tempus hunc in finem utplurimum ſupereſt ſufficiens; aegrotusque praeterea ad reſponſiones quaslibet exhibendas non ſemper, neque temporibus diei cunctis, pari modo aptus eſt, quaeſtiones quoque non raro jam ſufficiunt paucae, ut indicationibus pro vice hac urgentiſſimis fiat ſatis, quemadmodum in morbis ſubitaneis auxilium requirentibus velociſſimum quaeſtionibus multis locus ſupereſt nullus. Satius tamen, auctore prudenter monente, erit, ut quaeſtiones aegroto proponantur juſto plures, quam juſto pauciores, quaeſtiones enim leves ſuperfluaeque apparentes, quibus tamen ſtatu cum praeſenti nexus intercedit, res detegunt non raro graviſſimas. Ruſticam tandem quadratam methodo longe alia, quam matronam teneram,

mori-

Digitized by Google

moribus praeditam molliſſimis, interrogandam eſſe, quaeſtionesque praeterea ſingulas aegroti cujuscunque temperamento, animi conditioni, mentis perſpicaciae, ſtatui etc., quantum fieri poteſt, accommodandas eſſe, res eſt dubiis ſubjecta nullis. —

Virorum doctorum circa verſionem ipſam monita mente venerabor gratiſſima, illorumque in tomis ſequentibus vertendis, quibus abſolvendis operam dabo ſedulam, obſervatio accuratiſſima curae mihi erit cordique.

Ut tandem illis opera operi huic vertendo navata non diſpliceat, opto ſperoque.

Scripſi Sohlingae in ducatu Montenſi, ipſis cal. Decembris MDCCLXXXIX.

D. *J. B. Keup.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Caput primum.

De febribus in genere - - Pag. 1

Caput ſecundum.

De febribus intermittentibus - - 30

Caput tertium.

De febribus continuis - - 181

Caput quartum.

De febre diaria ſ. Ephemera - 287

Caput quintum.

De ſynocho ſimplici - - 294

Caput ſextum.

De febribus biliofis - - - 311

Formulae medicinales - - 368

Caput

Caput primum.

De febribus in genere.

§. 1.

Morborum omnium nobis cognitorum communiſſimi, febres ſunt, eorumque imperium ambitum habet latiſſime diffuſum, ſummeque multifarium. Morbi ſunt corpori humano naturaliſſimi. Morborum cunctorum nos affligentium partes ad minimum duas tertias, febres eſſe, morboſque febriles, obſervationes repetitae docuerunt. Febres interim temporibus nuperis a morborum generibus aliis, iisque novis, ex parte abactas, neque adeo amplius frequentes, neque etiam ſimplices adeo, regulareſque, ut olim, eſſe, animadverſum fuit. Quare etiam praedictionum hippocraticarum partem vix decimam, taliter revera jam evenire, perhibet Benjamin Ruſh. Febres aetati nulli, nec ipſi in utero materno puſioni, neque ſexui ulli, corporiſque diatheſi parcunt; neque, quia illarum cauſae ubicunque obverſantes perpetuo noſmet circumdant, atque cum naturae noſtrae neceſſitatibus maxime neceſſariis, modo accuratiſſimo, inevitabilique ſunt complicatae, vitae genus ullum, cautelaque ulla ab iis quemquam plenarie tueri poteſt. Unde homines quoque perpauci vita ſua tota ab hoc

Digitized by Google

morbo manent immunes, vitaeque ſcena ultima, niſi a cauſis ſuffocetur ſubitaneis, fere ſemper actus eſt febrilis. Pro Idioſyncraſiarum interea diverſitate, alios aliis in febres proniores eſſe, vix aliter contingere poteſt; quia ſemper irritamentum quoddam febrim accendit, quod, ut in corpora diverſa diverſimode, et in nonnulla perparum agat, neceſſe eſt. Hanc ob cauſam in genere corpora ſenilia, pinguia, laxaque non valdopere in febres prona ſunt. Morti interim ſenibus inferendae, febris gradus levis jam ſufficit. Pingues quoque haud raro a febribus afficiuntur magnopere; quoniam inde adeps reſolvitur, acrimoniam contrahit et ſic in ſanguinem reſorbetur. Alii ex diſpoſitione indeclarabili ab illa manent immunes. Inprimis hoc in epidemiis febrilibus quibusdam apparet, in quibus cauſa eadem in ſubjectis diverſis ſymptomata potius mille alia producit, quam febrim, quae in innumerabilibus aliis cauſae ejusdem effectus idem eſt. Annos circiter ante centenos ex hominum millibus centenis Londini circiter ſexaginta ſex hominum millia, calculum hunc ineunte Sydenhamo, ex febribus perierunt; verum mortalitas haec poſt Sydenhami tempora valdopere decrevit, jamque vix hominum pars decima febribus necari obſervatur, quia methodus illis medendi poſt tempus illud incrementa cepit ſaniora, feliciora-que *a*).

Neque tempori anni ſingulari, neque climati cuidam febres obnoxiae ſunt, quoniam tempore quovis, aërisque ſub conditionibus quibuslibet, atque in climatibus ſibi oppoſitiſſimis, in fervidiſſimis utpote, aeque, ac in frigidiſſimis inveniuntur. Interea

a) Scriptum egregium huc pertinens, diſſertatio eſt edimburgenſis: *Jac. Hutchinſon* de mutatione febrium e tempore Sydenhami et curat. ear. idon. 1782.

terea tamen terrarum orbis regiones habentur, quarum incolae ab omni febrium genere, morbisque aliis periculoſis pluribus plenarie ſunt immunes; ſicuti *Kraſcheninikow* v. g. de Kamtſchatkovia teſtatur, morbos ibidem periculoſos nullos, peſtem nullam, neque febres acutas, intermittentesque etc. deprehendi *b*). Ita nempe Kraſcheninikovii tempporibus res ſe habebat: annis autem MDCCLXIIX et MDCCLXIX variolae, tunc temporis Kamtſchatkoviae, Gmelino id quoque, Stölleroque teſtantibus, morbus adhuc incognitus, ſtrages ediderunt magnas.

Tandem hoc morborum genus nullo non tempore, quamdiu ſcilicet morbi indagati ſunt, et deſcripti, obſervatum fuit. Quoniam autem vitae genus noſtrum, moresque noſtri, morbos cum corpore noſtro perturbaverunt, febres quoque complicatiores ſunt, irregularioresque.

§. 2.

Febris morbus eſt, corpus univerſum, animamque haud raro afficiens ipſam, functionesque utriusque plurimas plus laedens, minusve. Partes ſolummodo ſingulas mutationes omnes febri conſuetas, frigus, calorem etc. pati, exempla quidem habentur, febres vocantur topicae; earumque in capite de febribus intermittentibus mentio fiet in ſpecie; verum corporis reliqui integritas tamen ſub illarum inſultu non manet illaeſa, materies morbifica per corpus univerſum eſt diffuſa, perque remedia generalia illarum curatio eſt inſtituenda. Ratione tali circuli ſanguinei in parte aliqua augmentum, ab inflam-

b) Vid. praef. parti ſecundae, deſcriptionis ſuae regionis Kamtſchatkoviae praefix. p. 159. — (Schloezer) — de variolarum innocentia in Ruſſia pag. 91. Not. 17.

flammatione topica, caeteroquin non febrili, ortum, niſi hoc methodum loquendi communem offenderet, febris topica appellari poſſet. Inflammationem praeterea quamcunque febrim nullatenus comitem habere, conſtat.

§. 3.

Febris definitionem omnibus numeris abſolutam et ubique adaequatam dare, res ſemper ardua manet *c*). Si absque cauſa transeunte cum affectione quadam morboſa, membrorumque imbecillitate calor animalis reſpective augetur, pulſusque numeros excedit conſuetos, de febris praeſentia ſemper valet concluſio. Diagnoſis adhuc evadit certior, ſi, ſymptomatibus febris conſuetiſſimis, frigore ſcilicet, calore, ſiti, oris ſiccitate, pulſu celeri etc. deficientibus, quorum tamen phaenomenorum rariſſime ſaltem non quaedam apparere ſolent, praecipue ex ordine, ſecundum quem pulſus certis ſub intervallis creſcit et decreſcit, juncto membrorum languoris ſenſu ſingulari ad febris concluditur praeſentiam, qua in re circumſtantiarum reliquarum nexus inpri-

c) Definitionum omnium ab antiquis pariter ac recentioribus medicis de febribus datarum nulla perfecta eſt. Definitio univerſalis generica, febribus cunctis reſpondens, impoſſibilis adeo eſſe videtur, quia ſymptoma febrile nullum datur, quod illius eſſentiae proprium eſſet, quodque non modo adeſſe, ſed etiam deficere poſſet. Febris igitur deſcribi ad ſummum ſolummodo poteſt. Burſieri deſcriptionem exhibet ſequentem nodum hunc egregie extricantem: totius corporis morbus, pleraſque functiones laedens, modo acutus, modo lentus, modo aſſiduus, modo intermittens, et periodice recurrens, a rebus praeter naturam excitatus, utplurimum cum virium animalium imminutione, pulſu celeri aut crebro, caloriſque naturalis mutatione conjunctus, coctione aut critica excretione ſolvendus, quando primarius eſt, et in ſalutem finitur. Burſieri de Kanilfeld inſt. med. pr. Vol. I.

Digitized by Google

primis, lucem nunc affundit reliquam. Neque etiam praeterea ignotum eſt, febrem absque frigore, absque calore, absque pulſuum augmento locum habere poſſe, qui ultimi adeo quibusdam in febribus, febriumque periodis infra numerum naturalem minuuntur, atque ſic conſequenter, ſymptomata haec omnia per ſe et ſeorſim nullam individuam, eſſentialemque febris notam exhibere, apparet.

Praeterea in opere hoc noſtro toto omnia fundamentis certis non ſuperſtructa, verumque habentia uſum ſilentio tranſituri ſpeculationibus inanibus, futilibusque ſuper proximam febris naturam et eſſentiam, nobis utpote incognitus, minime inhaerebimus. Hypotheſium hinc omnium, quarum ope rem declarare medici diverſi, v. g. *Boerhavius*, ejusque *commentator*, *Hoffmannus*, *Senac*, *Chalmers*, *Cullen*, *Tode*, *Fourvier d*) etc. anniſi ſunt, mentio fiet nulla. Quaecunque ex libri hujus auctoris ſententia dici et cum certitudine aſſumi poſſunt, ex indolis propriae irritamento in vaſa, nervosque agente, undeque ſymptomata cuncta in febribus eſſentialia obſervata originaliter dependent, derivanda eſſe videntur. Qualis autem irritamenti huius ſit natura, qua agat ratione, qualemque, ut ita agat, nervorum ſupponat ſtatum, difficulter determinari poteſt. *Thaerii diſſertatio* inauguralis (de actione ſyſtematis nervoſi in febr. Gött.) obſervationes notatu dignas permultas huc pertinentes continet. Inprimis autem *Elsnerus* legatur *e*). Irritabilitati univerſali aut mutatae febris naturam tribuit, indeque procul dubio febris eſſentia vera adaequaliſſima declaratur. —

A 3 Libri

d) Beob. über das ſchleichende oder auszehrende Fieber. Aus dem Franz. Leipzig, 1782.

e) Beiträge zur Fieberlehre.

Libri hujus cenſor quidam (allg. Litterat. Zeit. No. 230. 1786.) irritabilitatem, facultatis inſtar conſideratam, febris eſſentiam, quae phaenomenon, ſive actus foret, eſſe non poſſe, ſed cauſam ſolummodo praeparantem, monuit. Recte ex *ill. Vogelii* ſententia cenſor judicavit: febris irritabilitatis praeternaturaliter affectae, effectus eſt, ſeu ſequela. Talis erat mens auctoris, quam verbis non ſatis clare expreſſerat. Attentione digna eſt huc pertinens *Chriſt. Kramp* de vi vitali arteriarum diatribe: addita nova de febrium indole generali conjectura. Argentorati 1786. Febris originem aequilibrio inter ſanguinis in cor influxum, illiusque in arteriam aortam exitum interrupto adſcribit. Febres igitur in *poſitivas* dividit et *negativas*. In *prioribus* ſanguis copia majori redit ad eos, quam ex illo expellitur. In *poſterioribus* contrarium obtinet. Ad claſſem priorem pertinent febres inflammatoriae, ad poſteriorem illae, quae magis in putredinem vergunt, febres hecticae etc. Omne dubium nulla tollit theoria.

§. 4.

Febris mox morbus eſt idiopathicus, mox ſymptomatice morbis accedit aliis, quorum nullus omnino eſt exceptus.

Hos aut intactos relinquit, aut exacerbat, eorumque periculum auget, aut lenit, minuitque et interdum radicitus tollit.

Illud plerumque tum contingit, ſi humorum miſcela magnum corruptelae incrementum cepit, partes ſolidae relaxatae, naturae vires valdopere exhauſtae, debilesque neque certamini pares ſunt; hic natura inimico ſuo viribus requiſitis repugnando non ſufficit, ſuccumbitque; acrimonia in humoribus praeſens, ob ſanguinis circulum in febre auctum ſubito

bito exaltatur, irritabilitas augetur, ſecretiones, corporisque functiones reliquae turbantur, viriumque plurium concurſus vitae fundamenta exagitat, febris itaque in generis omnis cachexiis, hydrope, phtiſi, ſcorbuto, ſcabie, lue venerea, ulceribus malignis, haemorrhagiis, excretionibusque aliis profuſis; in corporibus enervatis, exſuccis, gravidis, infantibusque teneris ſymptoma anceps eſt et periculoſum.

E contrario illa — licet non ſemper — phaenomenon gratum eſt in morbis omnibus ſpaſticis, convulſivisque, apoplexiis, paralyſibus, viſcerum obſtructionibus, tumoribus, rheumatiſmis, malo hypochondriaco, melancholia etc. Morborum horum cauſas, mobiles nonnunquam et ad excretionem aptas reddit, tumultuque ſalutari ex corpore expellit. De febrium praecipue generibus quibusdam hoc valet.

Valetudinarii, imbecilles, modo non nimis exhauſti non raro febre feliciter ſuperata, robuſtiores, ſaniores, alacrioresque evadunt. Corporis proceritas febribus ſuperatis non nunquam augeri obſervatur. Clima exoticum, victusque inconſuetus, melius quoque tunc perferri, obſervatio docuit. Quin temperamentum adeo, moresque mutationem ſubiiſſe, *Fridericus Hoffmann* retulit. Temperamentum a febre quaſi transmutari poſſe, auctori noſtro ex viri fide digniſſimi ore exemplum cognitum eſt admirandum. Vir hic in juventute ſua phlegmaticus erat perfectiſſimus. Aetatis annum XVIII agens febre corripiebatur acuta. Hac ſuperata, phlegma evanuerat omne, ſummoque in gradu ſanguineo-cholericus evadebat, ſibimet ipſi tamen ratione ſana ductus adeo imperare didicit, ut vir factus fuerit feliciſſimus, placidiſſimusque.

Digitized by Google

Homines ſtupidi, hebetesque in febris vehementis acumine, diſerte, mentisque cum acie ſumma, delirii ſigno nullo praeſente, ſunt locuti. Ex *Olao Borrichio* exemplum tale *Gaubius* narrat. Verum aegrotus hic poſthac in mentis hebetudinem priorem incidit iterum. Cuncta haec, quantopere partes ſolidae fluidaeque per febrim mutari poſſint, conſiderantibus, intellectu minime ſunt difficilia.

Febris idcirco in genere ſpectata non modo morbus omnino verus eſt, homines interimens multos, ſed, circumſtantiis ſub certis, remedium quoque exoptatiſſimum, gratiſſimumque, morbos ſanans pertinaciſſimos.

§. 5.

Febres exadverſo pertinaces ab aliis interdum auferuntur morbis, ita ut iſtae cum his ſimul evaneſcant. Sic dyſenteriae, diarrhoeaeque vehementes etc. febres intermittentes omnem reſpuentes medelam, quin hecticas adeo ſecum abſtulerunt.

Febris decurſus a morbis quandoque aliis interrumpitur plenarie, ſic, ut, his durantibus, haec ſileat, hisce vero abactis, redeat ſtatim.

Febres ſimiliter binae, tres, pluresque in homine eodem concurrere, machinamque corpoream ſubitaneo evertere poſſunt modo, cuius exemplum memorabile cel. *de Haen* in rat. med. p. II. pag. 105. retulit.

Quam frequenter praeterea ſymptomata peregrina, morbique alieni ſummo cum periculo febribus adſocientur, non eſt ignotum.

§. 6.

Viribus interdum cunctis febri obviam eundum, illius impetum moderandum, exceſſusque ejus periculo-

Digitized by Google

culoſos refraenandos, interdum decurſui ſuo eandem relinquendam, medicoque ſpectatorem merum agendum, aliisque iterum in caſibus eandem conſervandam aut tantummodo moderandam, atque tempore tandem alio opera data, nervoſeque augendam eſſe et excitandam, clare perſpicitur inde. Veritatibus hisce elucidandis febrium conſideratio accuratior exempla praebet copioſiſſima.

§. 7.

In febre quacunque ſymptomata praecipue obſervantur ſequentia:

Febris ante eruptionem ipſam, hilaritatem conſuetam, functionumque corporearum facilitatem amittere ſolet aegrotus; moroſus eſt, taedioſus, irritabilis, algidusque; facile ſudat, aut in ſudorem ante pronus jam ſudare nequit; his accedunt oſcitatio, pandiculatioque frequens; artuum gravitas; corporis totius torpor et languor; capitis obnubilatio, ſomnus inquietus, ipſa ſub laſſitudine non reficiens, ſenſus ſubinde gravativus circa cordis ſcrobiculum, appetitus conſueti defectus, reſpirationis difficultas aliqualis, oris ſiccitas, artuum, dorſique tenſio quaedam; pulſus ab ordine recedens naturali.

Prodromi hi — licet non ſemper tempore eodem — omnes, graduque pari, temporis intervallo modo longiori, modo breviori, febris cujuslibet eruptionem ipſam antecedunt; interdum autem omnibus absque propatiis ſubito erumpit febris. Febrium praeterea cauſae variae, circumſtantiaeque plures aliae phaenomena haec mox plus, mox minus variant, ſymptomataque plura alia excitant, quorum in ſequentibus mentio fiet. Quo febris intervallo longiori adventum adnuntiat ſuum, eo plerumque pejor, periculoſiorque ſolet eſſe, febres

Digitized by Google

quamquam periculoſiſſimae rapidiſſime nonnunquam, fulguris inſtar, corripiant homines. Febres diverſae prodromos ſuos habent proprios, atque in febres quasdam — nemine licet a febre omni plenarie immuni — homines ſolummodo proni ſunt quidam. Medico vigili, adverſarium ſuum, palaeſtramque, in quam deſcendere hic intendit, tempore dignoſcere iuſto, utilitatem in epidemiis adfert ſummam.

§. 8.

Ipſo ſub febris ingreſſu, ſub quo prodromi antea commemorati agere pergunt, continuoque increſcunt, juxta morbi decurſum conſuetum cutis palleſcit, ejus vaſa collabuntur, pulſus parvus evadit et celer, frigusque ab horrore levi ad rigorem usque acerbum gradatim in febribus iisdem et a ſe invicem differentibus, varians, exoritur. De iis, quae frigore durante contingunt, frigorisque effectibus etc. in capite de febribus intermittentibus ſermo erit prolixior. Febre praeterea in eadem frigoris duratio variat. Cujus igitur febris ſit futura indolis, cum certitudine plenaria ex illo concludi nequit. Febres interim intermittentes frigore plerumque acerbiori, caloreque illud excipiente majori ſtipari ſolent, licet hoc quoque non ubique certum ſit. Febris interdum absque frigore omni praevio ſtatim incipit cum calore.

Temporis ſpatio longiori, breviorive elapſo, corporis ſuperficies ſimul cum vaſis ſuis ſucceſſive aliquatenus inturgeſcit, cutis rubore ſuffunditur, frigus evaneſcit, illiusque loco calor praeternaturalis gradatim ſuper corpus propagatur univerſum, ſub quo reſpiratio facilior aliquatenus evadit, oris ſiccitas nonnihil decreſcit, pulſus attollitur, pauloque evadit tardior, ita tamen, ut tempore dato modum adhuc

Digitized by Google

adhuc excedat naturalem. Si febris nunc non eſt lethalis, tandem, prouti calor tempore mox breviori, mox longiori durat, indolis diverſae excretiones ſequuntur, modoque conſuetiſſimo per ſudorem, et urinae copioſae, craſſae emiſſionem, interdum etiam per diarrhoeas, haemorrhagias etc. contingunt; ſub quibus febris tarde decreſcit, et vel plenarium attingit finem, vel redit, vel in morbum quoque transit alium. Caſibus in cunctis excretiones iſtae criſes appellantur, quae vel perfectae ſunt, vel imperfectae. Nonnunquam autem absque criſi manifeſta tollitur febris.

Si morbi vehementiae et malignitati natura inops ſuccumbit, criſinque ſalutarem nullam efficere valet, atque viſcerum vitalium functiones ſupprimuntur et ſuffocantur, mors ſequitur.

§. 9.

Febres in genere et ſecundum diviſionem communiſſimam in *continuas* dividuntur et *intermittentes*. In prioribus calor vel ſine remiſſione periodica notabili omni, exacerbationeque ab initio ad finem usque gradu durat pari (*continentes*); vel certis in periodis plus, minusve regularibus manifeſte decreſcit, quibus finitis nova redit vehementia, ita tamen, ut in intervallis illis nunquam ceſſet plenarie (*remittentes*). Caloris decrementum, *remiſſio*, ejusdem incrementum novum, *exacerbatio* vocatur. *Febres intermittentes* iſtae dicuntur, quae certis quoque exacerbantur periodis, ſub quarum intervallis febris tota, aut calor omnis abeſt, ceſſatque. Intervalla haec *apyrexiae* nomine inſigniuntur.

In febribus continuis calor in genere horas octodecim usque ad viginti quatuor durat, tumque excretionis cujusdam, inprimis ſudoris, ope, finitur ple-

Digitized by Google

plenarie, aut temporis ſpatium iſtud excedit, atque a diebus tribus ad octoginta usque, quia longius adhuc, et quidem, uti modo dictum eſt, vel cum remiſſione periodica, vel ſine eadem, perſtat.

Acutae, (*acutiſſimae*, *peracutae*, *ſimpliciter acutae*) febres illae continuae in ſpecie appellantur, quae a nychthemeri ſpatio usque ad ſeptimanas tres, vel quatuor ad ſummum, cum certa quadam vehementia, periculoque reciproco manifeſto (*f*) continuantur, ideoque temporis ſpatio brevi aegrotantis ſortem decernunt. Quo tempore breviori febris vehementia, cum illaque periculum creſcit, eo haec acutior eſt, quamlibet febres acutae quoque tempore brevi absque periculo magno judicari poſſint. Morbi acumen ſemper periculum quoddam ſupponit, quod durationi illius inverſo reſpondet modo. Febres illae, quae tempore breviſſimo, hoc eſt, quatuor dierum ſpatio ſummum attingunt cacumen, acutiſſimae ſunt, quorſum praecipue peſtis genera quaedam, jam poſt horam mortem inferentia, peripneumoniae quaedam, febres ardentes, bilioſaeque variae, neque raro phrenitis etc. pertinent. Morbi acumen temporis tractu decreſcit, ita, ut febres eaedem, ad diem ſeptimum usque octavumque durantes, peracutae dicantur, poſt quod tempus ſanationis ſpes major affulget. Febres ſimpliciter acutae, illae vocantur, quae dierum XX aut XXIV ſpatio in mortem vel ſanationem terminari ſolent, quorſum febrium noſtrarum continuarum plurimae pertinent. Verum febris eadem mox acuta, mox peracuta, quin

f) Non, ſi quis morbus ſimpliciter brevi terminatur, ob eam cauſam acutus cenſetur, ſed ſi ſuopte ingenio magnus et vehemens. *Petr. Gretitus* in praef. ad comment. in Aretaeum. Vid. *Brendelii* Diſſ. Febr. partitio; in ej. Opuſc. cur. *Wrisberg* p. II. p. 171.

quin immo acutiſſima eſſe poteſt, ſicuti v. g. pleuritis, et peripneumonia febres ſunt acutae, ſi diem ſeptimum nonumque excedunt, peracutae autem, ſic ante tempus illud finiuntur. *Hippocrates* quidem morbos durantes dies XL, LX, LXXX, C, CXX, interdum refert inter acutos. Alii autem illos febrium plurium intervallis brevibus ſemet excipientium, recidivarumque ſeriem conſiderare, adeoque morbis adnumerare chronicis maluerunt. Oritur inde quoque denominatio ex *decidentia acutae*, quae menſem integrum aut paulo durant longius. Praeterea diſtinctiones adhuc accuratiores, *in exacte acutas*, *non exacte acutas* etc. quae vero ſuperfluae ſunt, excogitabantur.

Febribus acutis, oppoſitae ſunt lentae, chronicae, quo nomine illae fuerunt inſignitae, quae ultra ſeptimanas tres, quatuorque, menſes aliquot, quin annos plures modica cum vehementia protrahuntur, tardeque aegrotantis fatum decernunt. Hae vel febrium acutarum, vel febrium intermittentium ſequelae ſunt, vel ſponte ſua ſucceſſive in corpore generantur, quorſum febres hecticae, phtiſicaeque ſunt referendae. Febres hecticae caeteroquin, in febres lentas diſtinguuntur et longas *g*).

Febrium intermittentium apyrexia ut plurimum aut ſolummodo horae unius, pluriumve, aut XXIV, aut XLVIII horarum ſpatio finitur. Pro apyrexiae duratione hac diverſa, *quotidianae*, *tertianae*, *quartanae* audiunt. Febres hae interdum quoque, quod autem rarius eſt, poſt apyrexias redeunt adhuc longiores. Sic V. VI. VII. VIII. IX. X. XV. die, menſeque ſingulo redeuntium, anniverſariumque febrium

g) *Wrisberg* reſp. *C. G. Beyer* Diſſ. obſſ. de febr. cont. longis cum melancholia conjunctis. Gott. 1781.

Febres bilioſae, a bile, quatenus iſta cauſam earum proximam conſtituit, denominantur.

Febres pituitoſae a pituitae cujusdam congeſtione, febri reciproce, ut cauſa effectui, reſpondente, nomen habent.

Febres nervoſae dicuntur, in quibus nervi afficiuntur idiopathice.

Febres hecticae illae ſunt, quae corpus conſummunt, atque a partis cujusdam aut viſceris corruptione, v. g. obſtructione, ſuppuratione, ulcere etc. cauſantur. Ab his diſtinguuntur *febres iſtae hecticae, lentae cachecticae*, quae cum corporis conſumtione univerſali, ſed absque viſceris cuiusdam labe ſingulari ſunt conjunctae.

Febres exanthematicae ſunt, in quibus cutis ſuperficies exanthemate maculatur, quod vel puſtuloſum, bulloſum, papuloſum, aut mere maculoſum, a cutis colore tantummodo alterato, conſpicitur. Generis prioris ſunt variolae, febris miliaris et bulloſa; alterius autem morbilli, tertiique tandem petechiae *m*).

Febres benignae Vogelio audiunt, quas per ſe ſpectatas ſymptomata nulla inconſueta, periculoſaque concomitantur, et quae, circumſtantiis caeteroquin paribus, ſub medendi methodo prudenti morboque reſpondenti feliciter terminari ſolent. His febres malignae ſunt oppoſitae, de quibus infra prolixius agetur. Statum, his, tertium adhuc ſeu intermedium, ubi ſignis bonis ſigna mala adeo ſunt intermixta, ut inter utraque aequilibrium quaſi habeatur, atque

m) Neque diviſionem hanc admittit *Burſieri*, febres ſic dictas exanthematicas febribus haud adnumerandas eſſe perhibens. Recte judicat *Burſieri*, quia febrium harum natura non ab exanthematibus dependet. Qua de re in ſequentibus plura dicentur.

Digitized by Google

atque ex circumſtantiarum omnium ambitu neque pro uno, neque pro altero certi quidquam praeſagiri poſſit, addere non ineptum videtur cel. Vogelio. Ex cujus caeteroquin ſententia benignitas malignitasque in ſe transire invicem poſſunt. Febres hinc inde unum adgredientes, alterumve, ſporadicae vocantur.

Quae plures uno in loco unaque in regione ſimul affligunt, epidemicae, regnantes, vocantur. Eas ab initio modice vehementes eſſe, ad cacumen quoddam adſcendere, tunc leniores evadere, ſuasque quaſi amittere vires, nec non in morbos transire alios ſolere, ſic ut epidemiae unius altera ſit pediſſequa, in genere animadvertendum eſt. De morbis epidemicis aliis hoc quoque valet, id quod paragrapho ſequenti prolixius exponetur.

Febres ſtationariae tales ſunt, quae ſeriei annorum certae incluſae increſcunt, decreſcuntque, atque tunc febribus aliis, naturaeque alius, absque conditionis aëris manifeſtae influxu in illas notabili, licet inde modificari diverſimode poſſint, cedunt; illae autem, quae intermediae, ſingulaeque obſervantur atque naturae alterius eſſe videntur, *morbi* vocantur *intercurrentes;* de quibus experientia docuit, illas characterem ſuum, ſuamque naturam his tali impertiri modo, ut medendi methodo ex ſua ipſis natura alias accommodatae plenarie non obtemperent, ſed medicamenta abſolute eadem, utut contraria illis futura videantur, medendique methodum requirant eandem, quae morbo illi ſtationario competit. Quid quod in morbos chronicos ipſos influxus earum manifeſtus eſt, morbique intercurrentes nulli ſunt alii, quam febrium ſtationariarum varietates, modificationesque diverſae, ſive illae a mutatione annua conſueta, ſive a cauſis excitentur ſin-

ſingularibus. Quum febres ſtationariae ſub tali conditione interdum ſint diverſae, febrium harum cauſae hinc aliae hucusque adhuc incognitae, exiſtere debent. Earum natura ex decurſu ſuo, ſolutioneque ſua critica, quando ſibimet ipſis relinquuntur, ex remediorum fortaſſe adhibitorum ſucceſſu, atque ex analogia cum febrium generibus aliis jam cognitis dijudicatur. Vid. Stoll. Aphoriſm. de cognoſc. et cur. febr. p. 8. Morborum horum cognitio et diagnoſis difficiles ſunt, multamque requirunt attentionem, patientiam, mentis aciem, medicorumque plurium urbis et regionis ejusdem ad obſervandum conjunctionem collegialem. De his omnibus Sydenhamus, Huxhamus, de Haen *n*), van Swieten *o*), Grant *p*), cel. Stoll, partimque auctores ſub morbis endemiis nominati ſunt legendi. Neque hucusque adhuc apparuit, num febres iſtae ſtationariae annis certis elapſis ordine determinato redeant accuratoque, num earum numerus ſit definitus, aut an quandoque oriantur novae. Annorum multorum obſervationes medicae animo attento inſtitutae, litem hanc ſolummodo dirimere poſſent. Stoll. aph. p. 7.

Super febrium decurſum conſuetum anniverſarium, cujus obſervatio accurata momenti eſt ſummi, Elsner praecipua collegit *q*); neque minus cel. Grant, et Stollius *r*) conſulantur.

Anno MDCCLXXVIII. ſocietas medica pariſienſis, ſuper conditionem reciprocam, complicationes,

n) Theſ. ſiſt. febr. diviſ. p. 120. ſeqq.

o) Comment. Tom. V.

p) Beob. über die Fieber.

q) Beiträge zur Fieberlehre p. 101. ſeqq.

r) Ratio med. part. 1. pag. 143. Aphor. de cogn. et cur. febr. p. 8. ſeq.

tiones, medendique methodum morborum epidemicorum cum morbis tempore eodem in locis iisdem obviis, intercurrentibus, quaeſtionem propoſuit gravem, ad quam, quod illuſtris Vogelius quidem ſciret, reſponſio adhuc nulla cognita eſt, quae vero ex ejus ſententia, ex Grantii, Stolliique obſervationibus maximam quoad partem deſumi poſſet, ut plenarie autem ſatisfaceret cunctis, medicorum multorum diverſis in locis obſervationem continuatam, repetitamque requireret.

Febres contagioſae audiunt illae, quae modo nobis maxima ex parte incognito, per contactum immediatum, per tranſpirationem, per excrementa, per ſputa, per oris halitus etc. ex corpore uno in alterum, ex regione una in alteram propagantur, ſicuti peſtis, variolae, morbilli. A morbis epidemicis, endemiisque, differunt plenarie. Morbi contagioſi multi tempore eodem graſſantur epidemice, morbi autem epidemici multi contagioſi non ſunt, aeque minus adverbia endemice et contagioſe promiſcue ſunt adhibenda. Febribus re ipſa tantummodo paucis contagium adhaeret, miaſma contagioſum e contrario, ſaepius accidentaliter in febribus, variis ex cauſis, ad illarum naturam nec immediate nec eſſentialiter pertinentibus generatur.

Morbi endemii, ſive vernaculi vocantur, qui plurimos ſingularum regionum incolas, nullo non tempore, frequentius, quam populos alios, a cauſa, vel loco, regioni propria et inquilina provenientes, invadunt. Ad hanc morborum claſſem quibusdam in regionibus referendae ſunt febres intermittentes, bilioſae, hecticaeque. Anglis febres catarrhales, belgis aphtae; judaeis polonis miliaris morbus, indis occidentalibus febris flava; conſtantino-

tinopolitanis febres peſtilentiales, hungaris hungarica febris; indis orientalibus occidentalibusque hepatis inflammationes; Levantae incolis angina maligna etc. morbi ſunt familiariſſimi. Circa morbos epidemicos, endemios, alioſque legendi praecipue ſunt: Cartheuſer s), Batty t), Klein u), Burggrav x), Behrends y), Lentin z), Lind a), Hillary b), Cleghorn c), Clark d), Biſſet e), Sims f), Sarcone g), Stoll h), Metzger i), Kloekhof k), Grant l), etc.

Febres topicae tales ſunt, quae certam ſolummodo corporis partem aliquam, caput dimidium, brachium unum, oculum unum etc. corripiunt, ſicut

s) De morb. endem.

t) Specim. morbor. Hungaris endem.

u) Tentamen de aëre, aquis et locis agri Erbacenſ.

x) De aëre, aqu. et loc. Frf. ad M.

y) Der Einwohner in Frankf. a. M.

z) Memorab. circa aërem, vitae genus, et morbos clausthalienſium, annor. 1774 — 1777. — Beob. der epid. Krankh. am Oberharze von 1777 — 1783.

a) Verſuch über die Kr., denen Europäer in heiſſen Climat. unterworfen. Aus dem Engl.

b) Beob. über die Veränd. der Luft und die damit verbundenen epid. Krankheiten auf der Inſel Barbados. Aus dem Engl.

c) Beob. über die epid. Krankh. in Minorca. Aus dem Engl.

d) Diſ. in hot countr.

e) Eſſ. on the med. conſtit. of great Britain. —

f) Bemerk. über epidem. Krankheiten. Aus dem Engl.

g) Geſchichte der Kr., die durch das ganze Jahr 1764 in Neapel beobachtet worden.

h) Rat. medendi.

i) Vermiſchte mediciniſche Schriften, 2. Band.

k) Opuſc. med.

l) Beobacht. über die Fieber.

ſicut hoc in febribus quibusdam intermittentibus obſervatum praecipue fuit. Van Swieten idcirco in hemicraniae ſpecie quadam in pulſu ad carpum explorato pulſum minime auctum invenit, dum autem digiti minimi apicem arteriae, quae circa oculi canthum majorem decurrit, applicaret, illam celerius pulſare et ſimul longe fortius, quam naturaliter ſolet, percepit. Ex Elsneri ſententia irritabilitas hoc in caſu in unica tantummodo corporis parte alterata eſt.

Febres autumnales et *vernales*. Priores menſibus Auguſto et Septembri incipientes, in Februarium usque continuantur, tunc poſteriores initium capientes in Auguſtum usque dominantur. Menſibus Junio Julioque decreſcunt ſucceſſive, quod pariter Januario menſe febres autumnales ut plurimum facere ſolent. Hippocrates inprimis, Sydenhamusque hoc reſpectu ſunt legendi. Febrium bilioſarum putridarumque mater aeſtas eſt; morbos inflammatorios hyems gignit. Hyeme in finem vergente, aeſtateque incipiente, aut ſi gradatim in aeſtatem transit hyems, generis utriusque morbi ſunt complicati. Quo plus de aeſtate, aut hyeme anni tempus adhuc participat, eo magis bilioſum, aut putridum, aut inflammatorium praedominatur. Inde veris, autumnique morbi determinantur. Tempore verno diatheſis inflammatoria hyemalis nondum evanuit plenarie, taciteque mixtiones ſubiens varias, in conſtitutionem tandem bilioſam, putridamque tranſit, ſic ut haec, quo magis aeſtas creſcit, illam continuo plus abigat, ſola demum obtinens dominatum. Ad hoc anni tempus, vernum ſcilicet, febres quoque rheumaticae, catharralesque etc. nec non intermittentes pertinent. Autumni eadem ratio eſt, in quo hyemis appropinquantis diatheſis inflammatoria bi-

lis praedominium ſucceſſive minuit, tandemque ex toto tollit. Autumno ipſi proprii ſunt morbi atrabilarii, febres atrabilariae putridae, febres quartanae etc. inter utrasque media eſt conſtitutio pituitoſa rationeque diverſa illis ſe intermiſcet. Sicuti a tramite ſuo conſueto anni tempora recedunt, paſſu quoque cum illis pari febres progrediuntur. Aegrotantium copiae, morbique ipſius vehementiae reſpectu increſcunt, decreſcuntque. Febres ſtationariae non minus, quam morbi alii omnes, varias ab his anni temporibus formas, mutationesque anni tempori praeſenti congruas accipiunt. Inde v. g. *apoplexiae bilioſae*, *hydropes inflammatorii*, *variolae pituitoſae* obſervantur. vid. Stoll. Aphor. pag. 10. 11!! Animadverſiones iſtae medici practici attentionem merentur maximam, quippe qui hac ſine cognitione ab anni temporum in characterem morborum pathognomicum influxu, pari ſub conditione ſemper caeteroquin eodem, frequentiſſime eorum formis, a cauſis variis ſecundariis, modificatis, infiniteque fere a ſe invicem differentibus, fallitur, atque absque reſpectu primario ad morborum horum omnium utut differentium originem eandem, ſcopo nunquam potietur ſuo: ſimul omnino conſtitutio corporum individuorum ſingularis, tempeſtatis, epidemiarumque conditio, circumſtantiaeque locales diverſae, nec non res aliae plures, a quibus cauſae proximae effectus diverſimode diriguntur, exceptionesque a regula formantur diverſae, nullatenus ſunt negligendae. Hanc igitur ob rationem febrium decurſus deſcriptus ab obſervatoribus caeteroquin diverſis, in regionibus a ſe invicem magnopere differentibus in genere confirmatus mutationes patitur diverſimodas. Praecipue turbatur ab epidemiis. Obſervatores egregii, Grant, Stoll, Frize aliique plures hac de re legi

Digitized by Google

legi merentur, inſignia inprimis, lectuque digniſſima hoc reſpectu ſunt *cel. Diel fragmenta quaedam de pectoris morborum aberratione in quatuor annis, cum conſtitutione epidemica morborum anni 1783 usque in anni 1784 tempus vernale in Baldingeri promptuarii novi medicis inſerviturì tom. VII. parte V. p. 402. etc.* Neque minus *cel. Schaeffer obſervationes praeſtantiſſimae in deſcriptione topico-medica urbis ratisbonenſis — Ratisbonae 1787.* — huc referri merentur.

Idiopathicae febres ex ſe oriuntur, atque per ſe conſiſtunt; *ſymptomaticae* morbis accedunt aliis; *complicatae* ex ſpeciebus febrium pluribus in corpore eodem conjunctis conſtant; *regulares* ordinem juxta certum, *irregulares* absque omni decurrunt ordine.

§. 11.

Cohors febrium tota *m*) ad claſſes procul dubio paucas, ex fundamentis ſuis aetiologicis generalibus, quatenus haec cum illarum curatione nexum habent immediatum, petendas, reduci poteſt, atque haec diviſio ſola, inprimis quia rei totius cognitionem inſigniter facilitat, uſum practicum verum habere, ſcopoque philoſophico, qui in morborum diſtinctionibus, diviſionibusque cunctis ob oculos de jure verſari deberet, ſatisfacere poteſt. Inde nempe indicationes curatoriae generales, quarum notitia accurata, illud ipſum eſt, in quod omnis intentio noſtra dirigitur, et in quo ars medici ſumma poſita eſt, fluunt. Hunc quoque in finem regulae jam dudum traditae ſunt

m) Cel. Elsner (Beiträge zur Fieberlehre) febrium copiam ingentem ad fundamenta ſine dubio reduxit ſimpliciſſima, ejusque theoria attentionem meretur maximam, ex ephemera, a qua incipit, febres omnes, illarum periodos, diesque exponit criticos.

ſunt ſaluberrimae. Febres omnes, quocunque etiam inſigniantur nomine, ex illuſtris Vogelii judicio commode in claſſes redigi poſſunt ſequentes: 1) *Febres intermittentes*; 2) *Febres inflammatoriae*; 3) *Febres bilioſae*; 4) *Febres putridae*; 5) *Febres pituitoſae*; 6) *Febres nervoſae*; 7) *Febres hecticae, pthiſicaeque.* Ex febribus his omnibus, commixtiones omnino oriri poſſunt adeo ſingulares, ut, cui febrim hanc claſſi adnumeres, anceps, dubiusque maneas; verum contemplatione accurata, repetitaque juxta regulas ſupra expoſitas, inſtituta, aenigmatis hujus conjectura, maxima ex parte, non difficilis erit. Reſtant fortaſſe interea hac in re adhuc dubia nonnulla, temporis tractu, ut ſperamus, evanitura. Febris praeterea quaelibet ſingularis, pro ſymptomatibus, complicationibus, proprietatibus, cauſisque ſingularibus, atque in genere pro individualitate ſua praeter indicationes generales, quasdam adhuc particulares, ſeparatim et in ſpecie conſiderandas, quibusque modo ſingulari ſatis eſt faciendum, exhibet *u*).

Sub morbi cujuscunque particularis deſcriptione, caſus diverſi poſſibilesque, in quibus a tramite ſuo naturali ſimplici recedit, formasque varias, compoſitas et alienas induit, proque diverſitate iſta, medendi methodos requirit diverſas, extricabuntur. Quod ſi requiſita fiat cum attentione, ſubdiviſiones permultae in infinitum tendentes ſuperfluae ſunt, neque etiam, quo ordine febres ſingulatim diſtribuuntur, intereſt,

u) A communi morbi contemplatione ad propriam medicina deſcendit, atque in hac quoque rurſus alia proprietatis notitia ſaepe neceſſaria eſt, quia eadem non omnibus, etiam in ſimilibus caſibus, opitulantur. *Celſus.* Legi hac de re praecipue meretur: J. E. Hebenſtreit palaeolog. therapiae etc. Acc. ordo morbor. cauſalis p. 717. ſeq. ed. C. G. Gruner. Hal. 1779. 8.

Digitized by Google

tereſt, modo febris cujuscunque character primarius, quatenus inde curationis cardo dependet, indagetur rite et enodetur. Febrium genera primaria, quorſum reliquae pertinent omnes, praemittuntur, atque ſpecies tunc ſecundariae reliquae, prouti ob circumſtantias nonnullas eſſentiales a ſe invicem differunt, nominibusque inſigniuntur propriis; v. g. pleuritis, febris Scarlatina, variolae etc. ſequuntur. Praeterea de febribus adhuc quibusdam, quas quidem per ſe febres veras haud eſſe, ſed mox ad hoc, mox ad illud genus primarium pertinere, plus, minusve convictus eſt, quae vero cauſas ob certas conſiderationem merentur peculiarem, uti v. g. puerperarum, miliarisque febris; capitibus *auctor cel.* aget ſingularibus. Repetitiones autem infinitas in libro tali, qualis hic eſt, cauſaretur, ſi febrem quamlibet pro diverſitatibus ſuis particularibus, ſicuti v. g. anginam, mox ſub febribus inflammatoriis, mox ſub putridis etc., ſingulatim iterum exponere vellet. In capite de angina formae omnes, conditionesque diverſae, in quibus et ſub quibus morbus ille, *angina* dictus, apparere, quibuscum morbis combinari ſoleat, quaque methodo differenti ſit tractanda, occurrunt. Ad febrium contra cohortem totam ordine maxime naturali, auctorisque noſtri ſenſibus accommodatiſſimo, oculis facillime terminandam, *Selle, Rudimenta pyretologiae methodicae. Edit. 2da auct. et emend. Berolini, 1786. 8.;* atque ad febrium cunctarum cognationem arctam cognoſcendam, et ex fundamentis ſimpliciſſimis perſpicue explicandas, *C. F. Elsner Beiträge zur Fieberlehre. Königsb. 1782.* commendari merentur.

§. 12.

Fons cauſarum, ex quibus febres in genere oriuntur, et quae omnes ob irritabilitatem certam ner-

vos arteriarumque ſyſtema afficientem, effectum hunc habere videntur, valde magnus eſt. Aut ſponte ſua in corpore noſtro generantur, ſicuti humores, bilis, pituita accumulari, ſineque cauſa externa corrumpi poſſunt; aut a morbis derivantur aliis; aut corpori extrinſecus applicantur, in illudque intrant. Rerum ſex, improprie ita dictarum, non naturalium exceſſus vel defectus, vel conſtitutio vitioſa, cauſarum harum fons eſt primarius, unde humores praeternaturaliter accumulantur, aut minuuntur, reſpectu mixtionis ſuae corrumpuntur, acres, putridi, tenaces evadunt; quorſum etiam irritamentum quodlibet aliud, a doloribus, inflammationibus, vulneribus, ſuppurationibus, luxationibus, obſtructionibus etc. excitatum, pertinet; porro febrium cauſis adnumerari debent: venena, medicamenta, indolis cujuscunque humores acres ſtagnantes, intentae meditationes, coitus nimius, amor, gangraena, cancer o); quibus tandem adhuc ignotum aliquid, nomine inſigniendum nullo, in aëre nos ambiente, accedit, quod absque cauſis manifeſtis epidemias excitat, quorſum miaſmata ſpecifica peſtis, variolarum, morbillorum, atque praecipue morborum illorum epidemicorum cunctorum pertinent; qui in ſuo ortu, reditu, progreſſu-

o) In Calcutta lunae influxus in febricitantes manifeſtiſſimus eſſe perhibetur. V. *Jac. Lind.* Diſſ. de Febr. remitt. palud. quae graſſabatur in Bengalia 1768. Theſ. med. Diſſ. Edin. T. III. Vid. quoque *Balfour* über den Einflus des Mondes auf die Fieber. Aus dem Engl. Strasb. 1786. 8. In praefatione cel. *Lauth.* multa pulchre dicta de aëris obſervationum uſu vero, reſpectu artis medicae, ſcriptorumque has inſtituendas clariſſime docentium index occurrunt. Vid. *Baldingers* med. Journal p. X. p. 45. Jackſon de novi — plenique lunii in febrium inſultum reditumque influxu, in the Lond. med. Journ. for 1787. p. II. Samml. auserleſ. Abh. f. pr. Aerzte T. XII. p. I. p. 83. ſeq.

Digitized by Google

greſſuque, ordinem quendam captum noſtrum ſuperantem ſervant, cujus cauſa vera oculis noſtris, mentisque humanae acie ſumma detegi nullatenus poteſt, quamvis illius influxus in horum durationem, periculumque etc. maxime ſit memorabilis. Inter hujus rei exempla notatu digna, dyſenteria a cel. *Zimmermanno* obſervata et deſcripta, epidemiaeque plures, quas cel. Sims obſervavit, pertinent, quae omnes viam ſuam conſuetam ab oriente ad occidens ingrediebantur, et quidem ita, ut ſuper regiones humidas, inundatasque celerrime omnino propagarentur, quae acerbiſſime quoque ab illis afficiebantur etc. *o*) Exemplum nuperum cunctorum memoriae adhuc obverſans, conſtitutio erat catarrhalis epidemica anni 1782., cujus propagatio itineraria, juxta cel. Wittwer, in charta poſtarum determinari poſſet, cujusque progreſſus regulares a ſeptentrione verſus auſtrum etc. difficulter ratione ſufficienti explicari poteſt.

Praeterea morbi epidemici frequentiſſime a cauſis communibus, maxime evidentibus, ab aëre juſto diutius fervido, frigido, humido, exhalationibus nocivis impraegnato, ſubito variante; a fame, ob frumenti neceſſarii defectum, cujus exemplum horrendum regnum neapolitanum in magiſtratus politici dedecus anno 1764 dedit *p*). A nutrimentorum uſitatiſſimorum, maximeque neceſſariorum corruptione, cui praeprimis annonae caritas, obſidionesque diuturnae anſam praebent, quales epidemias Langswert *q*), van der Mye *r*) aliique deſcripſerunt, originem trahunt.

Mor-

o) Bemerk. über epid. Krankh. — Aus dem Engl. p. 114.

p) J. Lind's, von den Krankh., denen Europäer in heiſſen Climaten unterworfen ſind, p. 170.

q) Hiſt. morb. epid. ſ. febr. putr. Bohem. a 71 — 72.

r) De morb. et ſympt. popularib. Bredan. temp. obſid. Antw. 1627.

Digitized by Google

Morborum horum epidemicorum permulti contagio propagantur, ſaepeque hac via ab uno tantummodo homine, ex loco uno, unaque regione, transferuntur aliorſum. Quo magis ſubjectorum ſingulorum diſpoſitio, aëris conditio plus, minusve faveat, circumſtantiaeque aliae ſuum conferant ſymbolum, eo celeriora, tardioraque incrementa morborum horum progreſſus capit. Neque minus cauſis hisce epidemiarum quarundam inexplorabilibus in aëre latentibus, cauſae ſupra recenſitae manifeſtae adſociari poſſunt, unde effectus earum lethales maximum augentur in modum. Epidemiarum univerſarum obſervatio dijudicatioque accurata utiliſſimum medico ſtudium eſt, totidem nonnunquam ſtipatum difficultatibus. Inveſtigationes in morborum naturam acutiſſimas, cognitionem loci, regionisque, in quibus graſſantur, accuratiſſimam, indefeſſamque ad originem primam, progreſſum, ſymptomataque eorum variantia attentionem, nec non in circumſtantiis omnibus influxum in illos habentibus dijudicandis, mentis aciem ſummam requirit. Absque conſtitutionum epidemicarum ſtudio accuratiſſimo, quia hic non raro indicationes evidentiſſimae ex caſibus deſumtae ſingularibus, facillime fallunt, medicus craſſiſſimos procul dubio committet errores. Sub epidemiae initio, difficultas ſemper maxima eſt, morbo utpote eodem in conſtitutionibus epidemicis diverſis, diverſam haud raro dijudicationem, curationemque exigente. Methodum procedendi optimam Stollius docuit in capite aphoriſmorum ſuorum: *febris indeterminata, nova, incognita.*

§. 13.

1627. 4. — A. E. Buchner diſſ. de morb. malign. ex annonae caritate. Hal. 1762.

Digitized by Google

§. 13.

Febrium typum natura modo nobis obſcuro facit (vid. §. 26.). Si ullius capax eſt explicationis, ea, quam Elsnerus ex decurſu et natura febris ſuae generalis, ephemerae deſumit, adaequata maxime, convenientiſſimaque eſſe videtur.

§. 14.

Febrium ſymptomata tam a communibus quam propriis et ſingularibus excitantur cauſis, illaeque, pro partium adfectarum natura diverſa, diverſas producunt mutationes, ſicuti v. c. ventriculi inflammatio ſymptomata creat alia, quam peripneumonia inflammatoria.

§. 15.

Febrium prognoſis in genere cauſarum diverſitati, aetati, viribus naturalibus, aegrotantis conſtitutioni reliquae, ejusque Idioſyncraſiis, epidemiae ſtatui, ſymptomatumque vehementiae reſpondere debet.

§. 16.

Curatio febrium generalis in vitae virium juſto debiliorum excitatione, aut exorbitantium moderatione, in removendis cauſis ad evacuationem debite praeparatis, in ſymptomatibus leniendis, criſium promotione, corporisque enervati roboratione conſiſtet. Inprimis autem anni tempus cum febris ſtationariae conſtitutione collatum, viam, in febribus dijudicandis curandisque a medico calcandam, monſtrat; quoniam morbus idem, ſibique apparens ſimilis, pro natura febris ſtationariae et anniverſariae diverſa, medendi methodum huic diverſitati reſpondentem requirit.

Caput

Caput ſecundum.

De febribus intermittentibus.

§. 17.

Febres intermittentes ut plurimum a frigore incipiunt, quod vehementiae eſt diverſae, atque mox in algore mero, vel horrore levi conſiſtit, mox gradatim acerbius, cum tremore dentiumque ſtridore conjunctum, mox adeo acerbum eſt, concutiensque, ut a violenta maxillarum alterna diductione et adductione, inprimis in ſenibus, dentes ceciderint, fractaeque ſint, quin immo membra cuncta rigida, ligniqye inſtar immobilia evaſerint.

Quo frigus acerbius eſt, eo plus debilitat, viresque, in ſenibus praecipue enervatisque corporibus, proſternit.

Illius vehementia autem, ſicut et duratio, in ipſa, eademque febre valdopere variare poſſunt. Ordinarie horam unam, at ſaepius quoque horae tantummodo partem quartam, dimidiamve, interdum horas ſex durat, cel. de Haen adeo duodecim illud duraſſe vidit horas *t*). Frigus horarum trium jam res eſt inconſueta.

Febrium equidem continuarum calorem frigus quoque antecedit, frigus autem febrium intermittentium ab hoc plerumque tamen notabiliter differt, atque haec differentia febris intermittentis initio cognoſcendo non raro inſervit. Febrium intermittentium frigus vehementius eſt, diuturnius, cum tremore

t) Rat. med. p. XI, p. 10.

Digitized by Google

more inprimis, rigoreque ſubinde ſtipatum, quod in febribus continuis nunquam, excepto quandoque illarum ſtatu maligniſſimo, contingere ſolet. Neque minus febres intermittentes paroxiſmi ſymptomata, calor, cephalalgia, ſudor, citius longe increſcunt, celeriusque ſemet excipiunt. Haec interim regula non caret exceptione ſua, quoniam febris intermittentis paroxiſmus primus valde interdum lenis eſt, ideoque a febris continuae initio difficulter diſtinguitur. Parvi hoc re ipſa momenti eſt, quum dubitationis hujus nodus tamen mox enodatur.

Thermometrum ſub frigore febrili acerbiſſimo corpori applicatum (ſub axillis, in ore) nullam caloris imminutionem, ſed eundem potius gradibus aliquot praeternaturaliter auctum indicare, medicorum plurium obſervatio unanimis docuit. Verum enim vero, thermometrum in frigore febrili vero, in quo extremitates pallidae ſunt et ad attactum frigidae, ſicut in febribus intermittentibus legitimis, frigus omnino, calorisque imminutionem indicare, Burſerium experimenta in auditorum multorum praeſentia repetita docuerunt. Igitur neotericorum permulti decipiuntur, niſi frigoris ante initium, ubi horas aliquot praevias, ex crebra hoc Burſerio teſtante experientia, calorem aliqualem, pulſumque habent celeriorem; aut ſub frigoris decremento, calore jam incipiente, aut illo tandem quoque in caſu, ubi aegrotantes horrent quidem, at revera non frigent: ſaepius enim horroris ſenſatione concutiuntur, neque tamen frigore vero afficiuntur. Inde quoque, cutim interdum in frigore ad attactum calere, absque dubio, venit.

Frigore durante pulſus parvus eſt, celer, ſimulque vel aequalis, vel inaequalis. Interdum adeo debi-

debilis eſt, ut ſentiri vix poſſit, neque minus quandoque intermittit, valdeque inordinatus eſt. Brendelio, niſi omnis ipſum fefellit experientia, pulſus, frigore durante, naturali tardior viſus fuit *u*). Pulſus in genere ſemper ſpaſmum denotat, quo frigoris tempore corporis peripheria univerſa correpta eſt. Partes ad internas frigus extenditur varius, in quibus calor ordinarie auctus eſt.

Reſpiratio frigore durante parva eſt, celeris, anxia, cordisque palpitatione vehementi quandoque ſtipata, ſitis eſt ingens partim propter calorem internum, partim quia humorum omnium verſus os affluxum ſpaſmus impedit, vaſorumque exhalantium oſcula claudit, quare potulenta quoque hoc in ſtatu ventriculo incluſa manent, copiaque majori hauſta moleſte eundem afficiunt, inflantque.

Frigore appropinqante ciborum appetitus perditur, poſt paroxiſmum demum rediens. Plerumque paroxiſmo durante ciborum ſolidorum quorumlibet, inprimis carnoſorum faſtidium exoritur. Non raro ſub frigore vomitus contingit verus; materiae quandoque bilioſae, quin adeo putridae. Interdum frigoris ante inſultum vomitus hic jam apparet.

Niſi caſu in rariori febri ſtatim ab initio diarrhoea ſe adjunxerit, alvus plerumque, paroxiſmo durante, eſt obſtructa. Urina ut plurimum coloris omnis, nubeculae, ſedimentique expers, parve tantummodo mittitur.

Similiter in frigoris ſtadio ingenii vires, attentio ad circumſtantias externas, memoriaque, licet non ſemper — afficiuntur.

Cor-

u) Progr. de pulſ. febr. Comm. I. in ejus opuſc. math. et med. argum. cura Wrisberg. p. I. pag. 143.

Corporis cutis externa ſub frigore febrili vehementiſſimo omni tantopere ſenſu caret, ut calefactio fortiſſima externe applicata, frigoris ſenſui minimum in modum minuendo, haud par ſit.

Frigus plerumque oſcitatione, pandiculatione, languore, laſſitudine, faciei pallore, doloris in dorſi ſpina ſenſu, ſcrobiculi cordis tenſione, oppreſſione, praegreſſis, primo per gelu quoddam in dorſo, quandoque etiam in pedibus, in ſcapulis, in digitorum naſive apicibus percipitur, unde ſucceſſive per totum diffunditur corpus, quamlibet cutis jam ad attactum adhuc caleat; ungues, naſi apex, labia, oculorumque canthi livorem contrahunt, naſumque totum coeruleo tinctum fuiſſe colore Senac *x*) vidit. Stoerk *y*) maculas coeruleſcentes cutim totam, petechiarum inſtar, occupantes obſervavit. Infantes ejulant quandoque et convelluntur, cum manuum pedumque livore.

Saepe febris intermittentis inſultus primus in corpore ſaniſſimo cunctis absque prodromis exoritur.

Frigus interdum unicam tantummodo corporis partem, brachium unum, capitis partem dimidiam etc. occupat. Senac *z*), partibus corporis ſuperioribus prae calore urentibus, inferiores frigore correptas vidit. Idem aegroti meminit, cujus corporis latus unum frigore, alterum calore afficiebatur, aliusque mentionem facit, cujus brachium unum frigore tantummodo occupabatur. Sauvageſius quoque febrim obſervavit, in qua frigus, illudque excipiens calor unum ſolummodo corripiebant brachium.

x) Von den Wechſelfiebern p. 46.

y) Ann. med. II. p. 167.

z) Ibidem.

chium. Collinus aegrotum vidit, cui frigus abdominis locum quendam in utraque umbilici latere, palmae manus latitudine occupavit — *a*). Phaenomena haec inconſueta ſunt, in febribus intermittentibus nothis tantummodo obvia, ſtatumque frequentiſſime indicant malignum.

Sub frigore facies collabitur, corporisque univerſi peripheria mole minuitur; unde monilia, armillae, annuli, veſtimentorumque genera alia corpus caeteroquin firmiter circumdantia, juſto ampliora evadunt. Similiter fonticuli, ulceraque alia exſiccari, tumores detumeſcere, conſpiciuntur, quae omnia autem frigore ſuperato in ſtatum redeunt priſtinum.

Si febris diu durat, frigus utplurimum continuo debilius evadit, interdum evaneſcit plenarie, interdum ſub paroxiſmis primis frigus adeſt, ſub ſequentibus nullum, atque tunc redit, et vice verſa.

Quandoque frigus febrile plane deficit, paroxiſmusque ſtatim a calore incipit. Neque minus frigoris loco, dolores ſolummodo ingratos, tenſivos, vagos, quibuscum frigus caeteroquin plus minusve conjunctum quoque eſſe ſolet, in corporis parte quodam praeceſſiſſe, obſervationes docuerunt.

§. 18.

Juxta ſymptomatum ſeriem conſuetam frigus jam excipit calor, qui ab initio adhuc cum frigoris ſenſatione quodam alternare ſolet. Pulſus celeritatis

a) Tr. de febr. int. §. 22. — Febrium ejusmodi topicarum exempla plura extant praeterea in ephem. nat. curioſ. Dec. I. ann. 3. obſ. 205. p. 281. Acta Hafnienſ. Vol. I. obſ. 119. Acta ſuec. Vol. XVI. Tr. 4. Journ. de med. Tom. XXIV. pag. 60, locisque pluribus aliis.

Digitized by Google

ritatis ſuae quidquam amittit, attollitur, plenusque fit et fortis; anxietas decreſcit nonnihil, ſpiritus facilius ducitur; ſitis non adeo amplius intenſa eſt, niſi calor valde urens, aut bilis a calore commota ventriculum occupet, ſitisque cauſa fiat ſingularis; facies, corpusque totum ruborem contrahunt, oculi prominent, lucisque ſunt impatientes; urina ſaturate rubra eſt, copiaque excernitur majori; aeſtus major eſt, quam alias in febre continua ſolet eſſe, capitisque et artuum doloribus ſtipatus, qui poſteriores, ſi frigus fuerit acerbum, accedere praecipue ſolent.

Phaenomenis rarioribus mentis aberrationes, in caloris acumine contingentes, adnumerandae ſunt.

Calor quidem frigori non ſemper tali reſpondet ratione, ut frigus longum acerbumque aeſtus ſequatur vehemens, licet hoc — experientia copioſa teſte — utplurimum tamen fieri ſoleat, contrariumque pro regulae exceptione tantummodo ſit habendum. Frigus nempe breve calor diu durans excipere poteſt, et vice verſa. Utrumque obſervavit Senac *b*).

In caloris febrilis faſtigio ſummo arteriarum pulſus centum et aliquot triginta numerantur plerumque. Horologii portatilis ſecundas indicantis ope numerus eorum determinatur optime.

In frigore aeque ac in calore certa obſervantur ſtadia. A levi gradu incipiendo adſcendunt ſucceſſive, ſique culmen attigerint ſummum, paulatim iterum decreſcunt.

§. 19.

Simulac aeſtus, cujus duratio diverſa eſt, ſed horas tamen ſex, ad octo usque non facile excedit, defer-

b) Von den Wechſelfiebern, p. 42.

deferbuit multum; ſudor plerumque calidus odoris acidi, unam pluresque durans horas, erumpit, ſub quo et cum quo hac vice calor, ſymptomataque reliqua cuncta paulatim diſpelluntur.

Quo ſudor copioſior eſt, eo paroxiſmus ſequens lenior plerumque erit; qui exadverſo, ſudore ratione quadam cohibito — eo eſt vehementior.

Interdum una cum calore ſudor ſtatim erumpit.

§. 20.

Paroxiſmo finito, urina ſedimentum copioſum lateritium deponit, quod febri vero huic ſoli nullatenus proprium eſt, Wintringhamo namque *c*) aliisque animadvertentibus, in ſcorbuticis quoque, hydropicisque, nec non in perfecte ſanis poſt motum fortem obſervatur. Cel. Cleghorn ſaepius illud in pleuritide, morbisque inflammatoriis aliis vidit *d*). Nec non cel. Lettſom ſedimentum hoc in febribus putridis mortem excepiſſe obſervavit *e*). In rheumatismis, arthritideque, ut et in febribus bilioſis ſaepius idem obſervavit cel. Vogel. Interdum poſt febrium quarundam intermittentium paroxiſmos primos urina haec non conſpicitur, ſed temporis demum tractu. Sedimentum urinae lateritium fruſtra ſubinde in America orientali quaeſivit M. Causland, ſic, ut ex aegrotis quinque unus ſolummodo ſedimentum tale haberet. Samml. auserl. Abh. zum Gebr. für pr. Aerzte, XI. B. 2. St. p. 286. Quandoque ſedimentum aequale, leve, albumque, aut ex rubro flavum cum nubecula in vitri urinarii medio

c) In edit. ſua: Meadii Mon. et praecepta med. p. 168.

d) L. c. p. 215.

e) Joh. Coakley Lettſom med. Nachr. von dem allgem. Diſpenſat. in London von 1773 bis 1774. Aus dem Engl. Altenb. 1777. p. 22.

Digitized by Google

dio deprehenditur. Juxta Tiſſotum urina interdum ſpumans eſſe, ejusque in ſuperficie cuticula tenuis vitri lateribus adhaerens, formari, fertur. Urina talis critica vocatur aut cocta.

§. 21.

Quem autem admodum in continuis ſub finem criſis ſemel tantum per ſudorem et urinam contingit, ita in febris intermittentis inſultu ſingulo haec accidit, quae vero idcirco perfecta non exſiſtit, ſiquidem materia morbifica in humorum circulo reſtitans poſt tempus quoddam, cujus tractu materia haec reſidua, fermentationis modo quodam novo, ut videri poſſet, materiae febrilis tantum denuo produxit, quantum paroxiſmo novo excitando ſufficit, novum iterum revocat paroxiſmum. Motuum horum febrilium repetitorum ope materies haec ſucceſſive ita praeparatur et quaſi coquitur, ut natura illam tandem per ſudorem, urinamque, rarius per alvi fluxum plenarie ex corpore eliminare poſſit.

Longiſſime autem abeſt, quin cel. auctor noſter explicationem hanc indubitate veram declarare velit, quia, num materies morbifica per ſudorem, urinamque eliminetur ex corpore, numque haec febris cauſa proxima, aut ejusdem potius ſit effectus, in genere dubiis adhuc premitur multis. Nuper conjecturae diverſiſſimae et ex parte valde ingenioſae hanc ſuper rem ſunt propoſitae; nulla autem ex toto nodum enodavit, tempusque rebus longe gravioribus impendendum conſiderationibus ſcopo primario nihil utilitatis emolumentique afferentibus terere non vult cel. auctor. Quorundam huc pertinentium ſermo adhuc infra in ſequentibus erit.

Quandoque criſibus modo memoratis vomitus quoque adſociatur criticus, neque minus febres in-

termittentes per haemorrhagias uterinas, naſaleſque, nec non per haemorrhoides dijudicatas fuiſſe, obſervationes docuerunt.

Diebus a febre vacuis urina utplurimum ſanorum ſimilis eſt. Poſt finem autem febris plenarium, urina tamen per dies aliquot turbida et limoſa eſſe ſolet, licet inde, quod plures Vogelium docuerunt obſervationes, ad febris finem concluſio non valeat indubitata *f*).

Non raro febres intermittentes abſque urina hac critica tam poſt paroxiſmum ſingulum, quam in genere poſt finem febris plenarium, occurrunt. Tunc vel recidiva ſequitur, aut, ſi rariori in caſu illa non contingat, ſudor excretionem hanc compenſaſſe, aut materies ipſa volatilis adeo, ſubtilisque fuiſſe videtur, ut illius in urina praecipitatio nulla facta fuerit.

§. 22.

Paroxiſmo jam hac ratione plenarie finito, aegrotantes in ſomnum incidunt dulcem, a quo valde recreati expergeſiunt iterum; interim debiles quoque ſubinde per tempus quoddam manent, in ſudorem proni ſunt, de cephalalgia, ſiti, appetitusque defectu conqueruntur, non digerunt rite, pulſus quodammodo celer adhuc, primo ſaltem tempore, deprehenditur, facies, oculorumque inprimis tunica albuginea colore flavo conſpiciuntur. Longis in apyrexiis cuncta haec, usque breviter ante paroxiſmi novi inſultum, qui autem turbis plus minusve conſpicuis in anteceſſum jam annuntiatur, ſenſim evaneſcere ſolent. Caſibus in rarioribus aegroti, apyrexia durante, nihil, ſi languorem exceperis parvum, conqueruntur, verum faciei color, circuli circa

f) Vid. ejus med. pract. Beob. p. 74.

Digitized by Google

circa oculos lividi etc. illos valetudine adverſa premi, declarant.

§. 23.

Talis eſt paroxiſmorum decurſus ordinarius, ordoque ſymptomatum illos comitantium conſuetus; hunc autem ordinem relinquit ſubinde natura, ita, ut frigori calor, quin immo ſudor praecedant; variique absque omni terminantur ſudore. Olaus Borrichius, Medicus, Schenk, aliique obſervationes deſcripſerunt tales *g*). Febres ejusmodi irregulares pertinaces eſſe, facilique negotio, praecipue ſi paroxiſmi absque ſudore quolibet finiuntur, in febres transire continuas ſolent.

§. 24.

Frigus in febribus haud dubie a nervorum affectione ſingulari, quam ſenſus cutis ſuppreſſus monſtrat, proficiſcitur, neque igitur a calore externo temperatur unquam. Affectio haec manifeſte ſpaſmodica eſt, ab irritamento certo nobis ignoto in nervos agente producta, ſpasmoque, quo calculi fellei per ductum biliferum tranſitus, bilis in ventriculo acris, cruditates, vermes, catheteris in veſicam urinariam applicatio, ſuppurationes, inteſtinorum contractiones, chylique forſan per vaſa lactea decurſus (unde ſcilicet digeſtione peracta horror adeſſe ſolet), clyſmata, animi pathemata, medicamenta nauſeoſa resque taedioſae aliae in ſubjectis irritabilibus ſenſibilibusque, horrorem cauſari ſolent, frigusque non diſſimilis apparet. Irritamenti hujus natura ulterior incognita nobis eſt; expoſitionibus idcirco pluribus, incertis, ſcopo contrariis non inhaerebit cel. auctor. Sanguinem caeteroquin frigore

g) De his ulterius vid. Trnka de Krzowiz l. c. p. 70. ſeq.

Digitized by Google

gore durante verſus partes internas vi pelli, ibidemque in corde, pulmonibus, viſceribusque reliquis valdopere coacervari, unde cordis palpitationes, interdum lipothymiae, anxietates, quae ad ſuffocationem usque increſcere poſſunt, calor internus, indeque ſanguinis ſtagnantis in pulmonibus etc. congeſtiones magnae in cadaveribus repertae, originem traxerunt, indubitatum eſt et ex phaenomenis omnibus manifeſtum.

§. 25.

Aeſtus algoris quidem effectus eſt, nullatenus autem ex toto inde dependet, quandoquidem, quod ſupra jam monitum fuit, ipſi non reſpondet aequabiliter, nec algorem quidem ſemper praecurſorem habet, unde maximam partem a ſanguine intra cor et pulmones collecto excitari videtur.

§. 26.

Typorum cauſas (periodorum febrilium ordinem) *h*) mortalium nemo expiſcari hucusque potuit, ſed natura typos, modo nobis imperſcrutabili, efficit. Lucem tamen aliquam obſcuritati huic affudit cel. Elsner. Dividitur typus in genere in fixum, mobilemque. Poſterior vel anteponit aut poſtponit. Ibi citius, celeriusque, hic ſerius redeunt paroxiſmi. Priori in caſu ad febris incrementum, poſteriori in caſu ad ejusdem decrementum ſolet concludi. Regula haec ex multifaria experientia conditiones quasdam exceptionesque habet, febres etenim horas aliquot anticipantes mox ſaepe finiuntur; febresque ſub anticipationibus perpetuis feliciter evaneſcere ſunt viſae, atque

h) Elegantiſſimus (juxta Brendelium in diſſ. febr. partit. opuſc. p. II. p. 165.) eſt Galeni, aut quisquis auctor eſt, liber de typis.

atque tandem praecipue paroxiſmorum anticipatio — licet non ſemper — vigoris et roboris naturae, eorundem poſtpoſitio autem languentis naturae ſignum eſt *i*). Sub anticipationibus caeteroquin diu durantibus celeriterque ſemet excipientibus, duplicationes, febresque continuas timendas eſſe, quoniam quo febris plus anticipat, eo anticipationes paroxiſmos faciunt longiores, unde apyrexia continuo brevior evadens, plenarie tandem evaneſcit, experientia quoque docuit. Anticipatio haec poſtpoſitioque ordinem ſervant mirabilem, modo re nulla turbetur, quod tamen, quocunque tractentur modo, non facile contingere ſolet. Raro autem ordo hic attentione debita conſideratur, ideoque utplurimum manet obſcurus.

Febres quaedam hoc ſibi proprium habent, ut magis anticipent, aliae, ut magis poſtponant. Hoc de quotidianis, illud de febribus tertianis perhibet Werlhoſius *k*). Febres caeteroquin noſtrae ad ſummum usque morbi faſtigium anticipant.

Febres tandem intermittentes aeque, quotidianas praecipue, ac remittentes, priorum inſtar typum ſuum accurate ſequentes, pertinaces plerumque eſſe et diuturnas, ſi typus earum fixus eſt, immobilisque, experientia, Hippocratisque teſtimonium docent.

§. 27.

Febrium intermittentium quaedam duplicantur, et modo binae, modo plures acceſſiones ſic concurrunt, ut una ſemper alteri, temporis, aut durationis aut vehementiae, ſymptomatumque naturae reſpectu

C 5

i) Cleghorns Beob. über die epid. Kr. in Minorca, überſezt v. Ackermann; p. 160.

k) Obſerv. de febr. Sect. VI. §. 4. p. 271. —

ſpectu reſpondeat. Tali modo febres habentur duplicatae quotidianae, tertianae, quartanae, quintanae. *Febris quotidiana duplex* tum exiſtit, quando intra horas XXIV non longo interpoſito intervallo paroxiſmi duo ſe excipiunt, quorum initium ex frigore ſemper cognoſcitur. Febrim hanc majorem in modum pertinacem vidit auctor noſter. Quum paroxiſmi haud longis interdumque vix horae unius a ſe invicem ſejuncti ſint intervallis, quin immo ſubinde ſe mutuo excipiant, febrium harum tranſitus in continuas facilis eſt, earumque curatio difficilis.

Febris tertiana duplex omnibus XXIV horis acceſſionem habet, ita tamen, ut acceſſioni tertiae prima, quartae autem reſpondeat ſecunda etc. Acceſſio una ordinarie lenis eſt, acerbior altera, ambaeque inter ſe conveniunt. Illae plerumque verſus meridiem diebus imparibus, hae contra verſus veſperam diebus contingunt paribus; quamlibet exceptio quoque hic locum habeat. Paroxiſmum acerbiorem apyrexia inſequitur longiſſima, lenior ſubinde remittit tantummodo, interdumque in acceſſionem usque proximam continuatur. Inde a quotidiana ſimplici, pro qua ſaepius habetur, cujus acceſſiones autem ſibi non reſpondent, quaeque rarior praeterea, frigoreque utplurimum longe minori ſtipata eſt, diſtinguitur. Quotidianas febres negare adeo nonnulli voluerunt, easque ſaltem habuerunt rariſſimas; Fernelius, Platerus, Sennertus, Senac *l*), Riverius-

l) Vid. Trnka de Krzowitz l. c. p. 12. ſeq. — Senac von den Wechſelfiebern 1. B. 15. Cap. p. 88. ſeq. Senac febres ſolummodo tertianas, quartanasque febrium intermittentium nomen mereri, ex quibus fere omnes aliae ſint compoſitae — tuetur. Ibidem lib. I. cap. I. p. 4.

riusque *m*) inter ſexcentos acceſſionibus affectos quotidianis, vix unicum febre laboraſſe quotidiana, obſervavit. Fridericus Hoffmannus *n*) ab initio negavit illam, poſtea autem opinionem mutavit ſuam, aque aliis eam diſtinguere docuit febribus. Mercurialis in XL annorum praxi eandem non vidit. Werlhofius interim, aliique permulti illam obſervaverunt. Morbum interea nomine inſignituris vero cum attentione convenientiam, paroxiſmorumque relationem in ſe mutuam animadvertendas eſſe, apparet.

Quidam *febrem tertianam duplicem a febre tertiana duplicata*, ubi omnibus XXIV horis alternis — intervallo libero — acceſſiones inſurgunt binae, adhuc diſtinguunt. Diſtinctio haec Sauvageſio debetur. Febris ipſi in genere *duplex* audit, ſi paroxiſmi duo impares diebus duobus diverſis oriuntur; *duplicata* autem, ſi die erumpunt eodem. Veteres diſtinctionem hanc non fecerunt, *duplex* illis et *duplicata* ſynonyma erant. Priusquam terminatur febris tertiana duplex, in tertianam abit ſimplicem.

Febris quartana duplex eſt, ſi dies tertius a febre ſemper vacuus manet, atque diei primae acceſſio illi, quae die quarta inſurgit, diei ſecundae paroxiſmus autem illi, qui die quinta exoritur etc. perpetuo reſpondet. Et hanc quoque a *quartana duplicata*, quippe in qua omni quarta die acceſſiones oriuntur duae, binis interim diebus reliquis a febre immunibus, diſtinguit Sauvageſius.

Febrium intermittentium duplicium frequentiſſimae, praeter *tertianas*, *quartanae* ſunt, a quibusdam quoque *inverſae* dictae.

Febrim

m) Ibidem pag. 43.

n) Med. rat. ſyſt. T. IV. p. I. Sect. I. cap. V.

Digitized by Google

Febrim quintanam duplicem Gorraeus *o*) obſervavit. Neque minus febres tertianas *p*), quartanasque *triplices*, quin adeo *quadruplices*, *ſextuplices*, *octuplicesque tertianas*, atque *quartanas ſextuplices*, *duodecuplicesque*, *quintanasque triplices* obſervare nonnulli voluerunt. Quas tamen ulterius rimari vix operae pretium eſt, quum, ſi revera locum haberent, de quibus duplicationibus cunctis, praeter febres tertianas, quartanasque duplices, Senac dubitat, tamen rariſſimae ſint; atque tunc quoque medendi methodo plerumque debentur perverſae.

Febres intermittentes duplices caeteroquin omnes, antequam finem attingant, prius ſemper transire in ſimplices, res eſt extra omnem in genere dubitationis aleam poſita. Triplices prius evadunt duplices, tum ſimplices, tandemque evaneſcunt plenarie, ſicut duplicationes omnes morbi ſemper vehementiam, incrementumque declarant.

Febrium praeterea duplicium acceſſiones binas ſibi reſpondentes anticipare quandoque poſſe, paroxiſmis binis reliquis anticipationis hujus minime participibus, quin tempore adeo eodem poſtponentibus interdum, fere, quaſi febres duae, vel tres plenarie diverſae, nexusque inter ſe forent nullius, attentionem meretur noſtram.

§. 28.

Symptomata tam febribus in genere, quam intermittentibus in ſpecie, propria ſupra jam ſunt expoſita. Habent tamen gradus ſuos diverſos, praeterea quam frequentiſſime nauſea, vomitus mox pituitoſus, mox климиоſus, mox mixtus, ſitis, capitisque dolo-

o) Definit. med. p. 365.

p) V. Cleghorn l. c. p. 151.

dolores, poſterioribus ſe adjungunt. Vomitus plerumque ſemel, pluriesque ſub frigus, vel ejus deceſſionem incidit, quandoque etiam ante frigoris inſultum adeſt. Sitis quoque frigore durante intenſior eſt, quam ſub aeſtu, niſi aeſtus exorbitet, aut in ventriculo, inteſtinisque cauſae praeſto ſint ſingulares, calore durante illam praeprimis exacerbantes.

Symptomata infrequentiora ſunt: deliria *q*), capitis dolores vehementiſſimi, ardor internorum, extremorumque frigus; exanthemata miliaria, aliaque prurientia; petechiae; languor inſignis, dolores colici; oris apthae; aſthma; tuſſis ad ſuffocationem usque concutiens, haemoptyſis; haemorrhagiae uterinae; convulſiones; tetanus; animi deliquia, veſicae urinariae ſpaſmus; diarrhoeae; dyſenteriae; icterus; ſtupor; aphonia; ardor ſiccus ſine frigore praevio et absque ſudore, aut ſudor juſto immoderatior; lateris dolor; partis cujusdam aut circa partem quandam corporis dolor fixus inflammationi ſimilis vehementiſſimae; narium haemorrhagiae; cordis palpitatio; anxietas; viſcerum abdominalium dolor pulſans; tendinum ſubſultus; ſudores frigidi; frigus perpetuum absque calore et ſudore; ſalivatio, ſingultus et ſopor, qui maxime omnium periculum minatur, inprimis ſi in frigore accedit.

q) Referenda huc quoque metromania eſt, cujus in act. Havn. T. II. de febre tertiana mentionem fecit Abildgaard. Aegrotus nempe a paroxiſmo tertio verſuum numeris aptiſſimis conſignatorum ſeriem recitabat magnam. Quamdiu paroxiſmus durabat, recitando pergebat febricitans. Abildgaard aſae foetidae et g. ammoniaci ope ſanationem perfecit. Symptomati huic non diſſimilis eſt imaginatio exaltata una cum loquacitate magna pari modo increſcente, quam cel. Scheidemantel (Fränk. Beitr. Deſſau 1783. p. 44. ſeqq.) in febre quotidiana obſervavit. Viſus quoque, poſt paroxiſmum tamen ſtatim rediens, obſcurabatur.

Digitized by Google

cedit. Symptomatum horum plura tempora eodem, eodemque in aegroto concurrere, illorumque unum, alterumve tam vehemens eſſe poteſt, ut obſcuret reliqua. Neque minus paroxiſmos diverſos ſymptomata comitari diverſa poſſunt, paroxiſmusque interdum nullus alteri apparet ſimilis. Non raro momento quolibet faciem ſuam totam mutant. Atque ejusmodi inſuetis gravibusque ſymptomatibus ſtipatae intermittentes jure ſuo malignae cognominantur, quum adeo lethales frequenter evadant. Inde denominationes diverſae a Sauvageſio *r*) febribus his datae, prout cum ſymptomate hoc illove inſueto ſtipatae ſunt, ortum traxerunt, v. g. *febris quotidiana cephalalgica*, *nephralgica*, *ſtrangurioſa*, *epileptica*, *aſthmatica*, *haemoptoica*, *tertiana petechialis*, *pleuritica*; *quartana amens*, *hyſterica* etc. veterum inde quoque denominationes ex parte derivantur: lypiria, febris ſyncopalis, carotica, aſſodes, elodes, etc.

In febrium harum decurſu typus ſubinde adeo turbatur, ut ſibi non amplius ſimiles videantur, ex earum autem initio et fine ille tamen utplurimum dignoſcitur.

Symptomata haec in paroxiſmo demum ſecundo, tertio, ſeriorique adhuc, aut cum frigore, aut frigoris oriuntur loco, maximaque ex parte cum ſudore evaneſcunt iterum. Paroxiſmi hinc ab initio febrium intermittentium ſimplicium, dupliciumque decurſum ordinarium, cum apyrexia perfecta ſatis, immediate inſequente, ſervant frequenter. Aſt temporis tractu paroxiſmi continuo longiores, obſcurioresque evadunt, frigusque minus manifeſtum, levisque adeo hic eſt momenti, algor tantummodo cito diſparens, praecipue in manibus pedibusque, non

r) Noſol. meth. T. II. cl. II.

non raro deficit plenarie, paroxiſmusque ſtatim urentiſſimo cum calore, atrocibus plerumque artuum doloribus ſtipato, incipit, jamque ſymptomata inſurgunt deſcripta. Quandoque autem, et frequentius, haec ſtatim cum prima erumpunt acceſſione, aſt ideo illis haud ſemper ſunt periculoſiora, quae ſub fallaci febris benignae larva ab initio ſe manifeſtant, atque poſt paroxiſmos tres quatuorve eo evadunt exorbitantiora.

Paroxiſmi, X, XII, XXIV, bis, terque XXIV horas durant, atque cum ſudore ſubinde foetidiſſimo, quo aegroti absque omni haud raro diffluunt levamine, finiuntur. Sudor quandoque ſequitur omnino nullus.

Paroxiſmi quotidie redeuntes opem neceſſario ferendam fere impoſſibilem faciunt, mortemque accelerant utplurimum. Quo intervalla durant longius, eo auxilium eſt certius. Perſaepe febres hae, quia paroxiſmo primo vix finito *s*) alter jam erumpit, et quia interdum ſine frigore incipientes ſine ſudore finiuntur, febrium continuarum prae ſe ferunt faciem.

Febris ejusmodi paroxiſmus inſtans nullis interdum adnuntiatur indiciis, ideoque febrium harum cognitio ſaepe difficillima eſt. Homo ſaniſſimus ſubito illis corripi poteſt. Interdum quoque apyrexia a ſymptomatibus cunctis febrilibus plenarie libera eſt,

s) Indolis hujus erat inſultus ſpasmodicus terribilis, quem cel. *Medicus* (in Samml. von Beob. aus der Arz. W. I. Th. p. 24.) deſcribit. Apyrexia erat breviſſima. Septem a paroxiſmo primo jam, alii a ſecundo, e medio tollebantur. Quid circa illos actum fuerat, ignorabant aegroti. In horis primis impoſſibile erat, ut quidquam illis ingereretur. Languore afficiebantur ſtupendo etc.

Digitized by Google

eſt, et tamen paroxiſmus ſequens mortem inferre poteſt. Aſt ſubinde ſignorum ſequentium plura paucioraque hoſtem terribilem produnt latentem, qui jam opinione citius ſumma cum atrocia in nervum erumpens citiſſime hominis vitam periculo exponit ſummo. Huc ante omnia praecipueque pertinent *epidemia*, ex qua ſtatim ſub febris alicujus ingreſſu, ejus conſtitutio conjici poteſt; *morbi decurſus plus minusve periodicus;* porro: *praecordia tenſa, doloroſa; urina*-perpetuo *clara, tenuis, valde rubra, aut aliquatenus craſſa, mucida, cuticula pingui tecta, interdum nigreſcens, foetens, ſedimentum deponens nullum; vomitus et diarrhoea exorbitantes; alvum, urinamque egerendi conatus inanis, ſanguinis e naribus guttae quaedam, animi depreſſio magna, deliria, pulſus parvus inordinatusque; lumborum inteſtinorumque dolor acerbus; ſomnolentia perpetua; paroxiſmorum prorogatio continuo creſcens; integritas in intervallis laeſa; aut apyrexiae valde imperfectae* debilitate multa, artuum doloribus, languore, capitis doloribus, anxietate, vertigine, ſtupore ſtipatae; *ſudores immoderati enervantes; ſtranguriae; ciborum omnium faſtidium plenarium; gemitus crebri etc.* Symptomatum autem horum varia ſaepe nihil mali ſibi velle, atque ad circumſtantias hic plures ſimul reſpiciendum eſſe, facile perſpicitur. Suſpicio nihilominus minima attentionem meretur maximam.

Febres hae malignae, quando ad ſummum pervenerunt cacumen, mox, omni interdum absque auxilio, ſponte, feliciter, aliquot poſt acceſſiones vehementes, terminantur; ſubinde autem mortem inferunt ſubitam. Paroxiſmum vehementiſſimum proxime excipiens, aut huic ſuccedaneus, plerumque paroxiſmus eſt ultimus, cum quo criſis ſequitur. Quando autem feliciter quoque ſunt ſuperatae, corporis

poris tamen imbecillitates adhuc magnas relinqunt, quae, niſi caute tractentur, in phtiſes, morbosque chronicos alios transeunt immedicabiles. Praeter criſes conſuetas per ſudorem et urinam, parotides quoque ſuppurantes, abſceſſus in femoribus, diarrhoeaeque hic quoque oriuntur. Si contra feces nigrae foetentes, inſcio inprimis aegroto ſecedentes, vomitus ater, eademque urina, ſingultus, inſenſibilitasque plenaria accedunt; ſi oculis ſemiclauſis, oreque aperto ſenſus omnis expers jacet aegrotus; ſi abdomen magnopere expanſum eſt, et pertinaciſſime obſtructum; ſi frigus absque calore illud excipiente continuo durat, aut ſi vehementiae ſuae culmen ſummum attigit calor; ſi ſenſuum quorumlibet uſus eſt abolitus etc. aegrotum in paroxiſmo hoc, vel hunc proxime inſequente, probabiliter moriturum eſſe, haec ſigna declarant, quamvis prognoſis et hic non ſemper ſit infallibilis, quoniam ſub adſpectu periculoſiſſimo aegroti nihilominus praeter opinionem cum ſanitate interdum redierunt in gratiam.

Sanguis e vena eductus his in febribus non ſemper ſibi ſimilis eſt; frequentiſſime colorem habet ſaturate rubrum, ſerum ſanguinis carnei eſt coloris, vice alia diverſicolor, flavumque aut viride conſpicitur, copiaque magna praeſto eſt; interdum a craſſamento non ſecedit, atque gelatinae faciem prae ſe fert, nec raro cruſtam habet inflammatoriam, quandoque autem illa caret.

Febres intermittentes malignae utplurimum ad febrium tertianarum ſimplicium dupliciumque claſſem pertinent, earumque acceſſiones frequentiſſime verſus meridiem venire ſolent; interdum febres ſunt quotidianae verae, rarius quartanae, in quas utrasque priores quoque poſt paroxiſmos aliquot tertiana-

rios tranſeunt. Poſterius ob apyrexiam longam exoptatiſſimum eſt, licet et hic morbi chronici alii, ob febrium quartanarum pertinaciam, ſint pertimeſcendi.

Febres hae intermittentes malignae in genere noſtris in terris rariores ſunt, quam in climatibus meridionalibus, fervidioribusque, in quibus aër valde humidus, aquarum ſtagnantium, lacuum, paludumque exhalationibus perpetuo, aut temporibus praecipue certis, eſt inquinatus; inde in India occidentali, Java, Guinea, in Italiae regionibus diverſis, in comitatu Tyrolenſi, in Galliae provinciis quibusdam, Normandia inferiori, in paludoſis Eſſeci regionibus, quibusdamque profunde ſitis Kentii in Anglia locis, in provinciis Belgicis, Seelandia Flandriaque *t*), in planis Helvetiae regionibus, juxta flumina et lacus ſitis (ubi, juxta ill. Zimmermanni effatum, febres intermittentes ad horrendam quandoque exaltantur pravitatem *u*), quare in regionibus aliis diverſis mari adjacentibus, atque exhalationibus ejusmodi caeteroquin expoſitis, febres intermittentes in genere familiares, ſymptomatibusque ſubinde periculoſiſſimis ſunt ſtipatae. In regionibus valde fervidis febres intermittentes ſaepiſſime in putridas tranſeunt, in quibus febris intermittentis decurſus adhuc obſervatur. In regionibus caeteroquin valde fervidis, valdeque frigidis in genere ſunt rariores. Sic v. g. in Batavia, juxta Bontii Lindiique teſti-

t) V. *Raymond* diſſert. exhib. deſcript. febr. interm. autumn. quotann. Mittelburgi et in vicinis Seeland. Batav. locis graſſ. — in Bald. ſyll. ſel. opuſc. arg. med. pr. Vol. I. p. 28.

u) Erfahr. neue Ausg. p. 480. Anno 1717 in oppido Stanz dicto, in cujus vicinia palus ingens invenitur, febris tertiana adeo vehemens graſſabatur, ut paroxiſmus illius ſecundus jam lethalis fuerit. Ibid.

Digitized by Google

teſtimonium, febres intermittentes animadvertuntur rariſſime. Plerumque febres hae epidemice graſſantur, occurrunt autem quandoque etiam ſporadice, atque tunc frequentiſſime forſan negliguntur.

Febrium harum cauſam proximam bilem eſſe, omnia declarant, nihilque certitudinem circa hanc rem majorem dare poteſt, quam cadaverum apertiones. In his ventriculi, inteſtinorumque inundationes bilioſae, fellis veſicula, ductusque biliferi a bile valdopere turgeſcentes; praeterea abdomen introtractum, inteſtina, ventriculusque contracta aut expanſa; ſphaceli veſtigia; ventriculus et inteſtina revera putrefacta coloris albidi, aſt foetoris magni, adeoque mollia, ut facile ſe diſcerpi paterentur; omentum meſenteriumque putredine correpta; lien album, exſangue, ſiccum, marcidum, maceratum, aut extraordinarie magnum, ponderoſumque; pulmones corrupti, praeternaturaliter colorati, quaſi arefacti, ſanguine ſpumoſo impleti, accreti, in latere uno ſic, in altero aliter conſtituti; pericardium aqua multa repletum; aqua in pectoris cavitate; cordis polypi; vena portarum mirum in modum expanſa; glandulae meſenterii induratae; in conſpectum prodierunt. Hepar, quod ſane mirandum eſt, ſemper invenit ſaniſſimum cel. Medicus.

Scriptores praeſtantiſſimi, qui de febribus hisce intermittentibus malignis egerunt, quae vero a febribus proprie ſic dictis larvatis differunt, quamvis illarum fines determinatu ſint difficiles, quia febres intermittentes malignae febrium intermittentium ſignis conſuetis ſe non manifeſtant, febresque larvatae variae permalignae eſſe poſſunt, ſunt praeter Mercati, Sydenhamum, Huxhamum, Mortonum, Torti, Werlhofium, Galeati (Comm. Bononienſ.

Tom. V.) Lautterum, Brüningium, — praecipue Cleghorn in Beob. über die epid. Kr., die vom Jahr 1744 bis 1749 in Minorca geherrſchet; aus dem Engl. v. Ackermann, Gotha, 1776. 8. p. 145. ſeqq.; nec non cel. Medicus in Geſchichte period. Kr. II. p. 201. §. 65. (ubi obſervatores collegit plurimos) uti et in Samml. v. Beob. I. Th. p. 24.; neque minus Hirſchel in vermiſcht. Beob. und Gedanken zur ausübenden A. W. — Similiter quoque ſcriptiunculae ſequentes legi merentur: Sam. Aurivillii Diſſ. de febr. int. malign. Upſaliae, 1765.; in Baldingeri Sylloge ſelect. opuſc. Vol. I. p. 1; Hatte, Molitor, Boerhaaviusque in Halleri diſſert. pract. Tom. V.

§. 29.

Conſiderationem adhuc ſingularem ſopor, ſymptoma periculoſiſſimum, meretur, cujus in paragrapho praecedenti mentio facta fuit, qui interdum, licet raro, febribus adſociatur intermittentibus, ac in lethalem utplurimum terminatur apoplexiam. Accedit ille vel primo ſtatim aut aſtero paroxiſmo ſub frigoris, rarius ſub caloris, initio, duratque per integrum paroxiſmi circuitum, evaneſcit cum ſudore, deinde bis, ter, quaterve recurrit, tuncque mortem ſub ipſo utplurimum frigore inducit. Priores acceſſiones interdum ab hoc ſymptomate immunes manent, demumque, omnem praeter expectationem, quarto, quinto, vel ſexto circuitu id ſeſe offert. Pulſus in his febribus plerumque celer, plenus, magnus, interdumque, ſicut in apoplexiis ſanguineis, durus, ſaepenumero inordinatus, varians, intermittensque deprehenditur, reſpiratio ſimul interrupta eſt et ſtertens. Neque ſentiunt, neque ſui ſibi conſcii ſunt aegroti, raroque ante paroxiſmi, horas

XXIV

XXIV quin XXXVI excedentis, finem ulla excitari poſſunt ratione.

Ejusmodi febres apoplecticae aut ſoporoſae dictae interdum epidemico more graſſantur *x*) atque utplurimum febrium tertianarum ſimplicium dupliciumve inſtar decurrunt. Anno 1730 epidemia talis Germaniam affligebat, quam Werlhofius in comm Nor. 1732 deſcripſit, quaeque truculenta adeo erat' ut a plebe febris lethalis nomine inſigniretur.

Rariſſime, licet interdum tardiſſime — naturae robore ſuperantur hae febres, tumque praeter mala alia, in quibusdam ſurditatem *y*) in aliis periodicam relinquunt oblivionem *z*).

Signa, ex quibus hoſtis imminens ſaepe ſuſpicatur, §. priori in genere ſunt deſcripta, quamvis ſigna abeſſe quoque poſſint, quia hae febres quandoque citiſſime, et absque omni exoriuntur prodromo. Ex vehementiori animi affectu ſoporem hunc in muliere tenera febri tertianae acceſſiſſe, cel. auctoris pater im-

x) Eae jam dum ab Aëtio cap. IV. de lethargo, nec non a Galeno et Aegineta ſunt expoſitae. Lucem vero majorem illis adfuderunt obſervationibus ſuis Mercati, Dodonaeus, Sydenhamus, Huxhamius, Baglivius, at maximam Torti, Werlhofius, Lautterus (hiſt. bienn. morb. rar.). Confer etiam commerc. Nor. ann. 1731 p. 187. nr. 3. ann. 1732 p. 145. ann. 1734 p. 98. — Büchnerum. Diſſ. de febr. tert. int. epid. ſoporoſa, apoplex. mentiente. Hal. 1763. Pariter *Colombier* (Code de Med. mil. p. III. p. 101. ſeq.) febrium harum in noſocomiis caſtrenſibus, verſus aeſtatis finem autumnique initium, non raro occurrentium mentionem facit.

y) *Udens* Briefe über Beob. aus der pract. Arzneiwiſſenſch. p. 112. Aegrotus hic ad vitae ſuae finem usque poſt annos viginti ſequentem ſurdus manſit. Remedia cuncta, eaque optima fruſtra adhibebantur.

z) Act. nat. cur. Vol. X. obſ. 15.

mortalis vidit, qui vero non lethalis erat, et praeter vicem unicam non redibat *a*). Idem ex Friderico Hoffmanno cari ſepties recurrentis neque tamen lethiferi exemplum allegat *b*). Ex tribus a medico Stendalienſi obſervatis caſibus tollebatur unus feliciter, duoque erant lethales *c*).

§. 30.

Febrium intermittentium typus praeterea ab aliis ſaepenumero morbis adeo obſcuratur, ut neque ex urina, neque ex pulſu, neque ex ullo ſigno conſueto alio dignoſci queat. Morbi tales ſunt praecipue: vomitus; diarrhoeae; cholera; algor funeſtus; cardialgia; dolores colici; lipothymiae; capitis totius dolores, aut hemicrania, partium corporis diverſarum, oculorum, palpebrarum, ſuperciliorum, temporum, aurium, renum, abdominis, ſubſcapularesque dolores rheumatici; tumores topici; exanthemata; aſthma; pleuritis; peripneumonia; oculorum inflammationes; lacrymarum fluxus; tuſſis convulſiva; cordis palpitatio; anxietates; haemorrhagiae; ſternutatio; dentium dolores; convulſiones; tetanus; paralyſis; icterus; fluor albus; cophoſis; coecitas etc. Quandoque tamen hae febres intermittentes ſic dictae *larvatae* ex oſcitatione quadam et pandiculatione ſub paroxiſmi initio; ex pulſus inquietudine aliquali, inque caſibus nonnullis ex ordine quodam, quem ſervat, porro, praecipueque ex ſedimento lateritio febribus intermittentibus inprimis — licet non ſemper — proprio ex urina poſt paroxiſmum fundum petente, neque raro ex horrore quodam, cum quo paroxiſmus incipit, quique interdum in parte ſolummodo

a) Prael. de cognoſc. et cur. c. H. aff. pag. 9.

b) Med. rat. ſyſt. T. I. p. IV. C. 2. obſ. I.

c) Udens Briefe, p. 102. ſeq.

modo affecta et circa eandem percipitur, v. g. in utero, ſi illius haemorrhagia ſymptoma eſt; ex calore levi, ſudoreque topico partem affectam inprimis occupante, ſicuti in eadem interdum parte calor tantummodo ſentitur, conjiciuntur. Non raro autem ſigna haec cuncta deficiunt, febriumque illarum larvatarum praeſentia tunc ex conſtitutione epidemica interdum, interdum ex periodis, quas obſervant, et juxta quas mox quotidianarum, mox tertianarum, mox quartanarum inſtar decurrunt, increſcunt, decreſcunt, anticipant et poſtponunt, atque pro febrium intermittentium verarum more duplicantur, praeſumi poteſt. Tandem quandoque in febres intermittentes veras transeunt, unaque cum illis interdum graſſantur, neque raro ex his male tractatis oriuntur, unde tunc eo clarius cognoſcuntur. Sub apyrexia ſponte evaneſcunt ſymptomata, aut longe ſaltem evadunt mitiora. Morbi autem hanc ludentes tragoediam indolis praecipue ſunt ſpaſmodicae, et qui ſubinde cauſam ſuam proximam in viis primis habent, interdum autem absque cauſa materiali manifeſta febrium intermittentium inſtar, quibuscum, febre excepta, cuncta habent communia, homines ſaniſſimos invadunt ſubito. Febres hae larvatae pertinaciſſimae ſolent eſſe, praecipue ſi medicorum ignorantium curae committuntur, qui febrium harum larva a via abducuntur recta, ſiquidem remedia, ſymptomatibus his alias accommodata, hic perperam adhibentur, morbisque his cunctis unicum ſolummodo remedium tuto et infallibiliter medetur, *cortex* nempe *peruvianus.* Quando morbi illi ſymptomataque absque naturae ſuae larvatione febribus hisce adſociantur, *complicatae* vocantur, nominaque inde diverſa obtinent: febris *aſthmatica*, *cardialgica*, *haemorrhagica* etc.

Verum enim vero non quilibet morbus periodicus febris intermittens larvata eſt habendus. Dantur tales, qui cum febribus intermittentibus illarumque cauſis etc. nihil commune habent, ideoque cortice etiam peruviano non ſuperantur. Indolis hujus v. g. menſtruorum haemorrhoidumque non rite fluentium pathemata ſunt et effectus. Dantur epilepſiae, morbique convulſivi alii typum ſervantes adeo accuratum, ut eadem fere hora, absque omni tamen febris intermittentis ſuſpicione, redeant.

De febribus intermittentibus larvatis legi inprimis merentur: *Mortonus d*), *Torti e*), *Cleghornius f*), *Lautterus g*), *Rahn h*), *Medicus i*), *Hirſchel* l. c. etc. Neque minus obſervationes quaedam pulchrae *Piquei* huc ſunt referendae *k*).

§. 31.

Corporis habitum a febribus intermittentibus aliquatenus diuturnis vehementibusque ſerius maturiusve affici debere, nulli ſubjectum eſt dubio; unde corporis habitus miſer, flavus, in quem aegroti febribus intermittentibus diu conflictati convertuntur, originem trahit. Humores inſpiſſantur, ſucceſſive reſolvuntur, acredinem contrahunt, corpus univerſum, inprimis autem organa digeſtioni dicata, debilitantur, morborumque inde diuturnorum graviumque fundamenta ponuntur, qui, vel febre adhuc

d) Pyretol. cap. 9.

e) Therap. cap. II — III.

f) Libr. citato.

g) Hiſtor. bienn. morb. rar.

h) Adverſ. med. pr. Vol. I.

i) Geſchichte period. Krankh.

k) Aus dem Journ. de Med. T. XLII. überſ. in Samml. auserl. Abhandl. für pract. Aerzte, 2. B. 4. St. p. 71.

huc durante, vel eadem abacta, oriuntur, caute vero ab iis, qui methodo medendi perverſae, diaetae pravae, cauſisque aliis in ſequentibus accuratius eruendis, originem ſuam debent, ſunt diſtinguendi.

§. 32.

Febrium intermittentium cauſae materialis certae conſtantisque determinatio tantae eſt difficultatis, ut poſt experimenta tot fruſtranea, ſcopoque non ſatisfacientia, hac in re certi quidquam affirmare non audeat cel. Vogel. Aegrotorum plurimorum habitus cachecticus equidem, phaenomenaque et ſymptomata alia, nec non cauſae occaſionales plurimae poſtea recenſendae in pituita, lympha, et praecipue bile ſeorſim, vel conjunctim vitiata cauſam hanc materialem quaerendam eſſe, declarare videntur. Verum enim vero variis in caſibus cauſam materialem nullam accuſari poſſe, quia febres intermittentes ſubito interdum corpora corripiunt ſaniſſima, ac aeque celeriter omni absque evacuatione evaneſcunt, obſervationes teſtantur fideliſſimae. Sic foeminae cum febre intermittente olim conflictatae menſtruorum tempore recidivam ſine omni cauſa pati videntur, quod conſtitutioni earum irritabili atque ad ſpaſmos hoc tempore pronae procul dubio tribuendum eſt. Neque etiam fermentatio quaedam, neque aëris in humoribus noſtris et extra nos praeſentis aequilibrium ſublatum, neque materies quaedam in ſanguine noſtro oberrans, nervos irritans, aut partium ſolidarum atonia, aut ſanguinis, humorumque diatheſis quaedam ſingularis, vitium in viis primis praeſens, hepatis, lienis, pancreatis obſtructio quaedam aut corruptio; ſanguinis in portarum vena ſtagnatio, ſtagnatio in vaſis minimis, integumenta nervorum laeſa, tranſpiratio ſuppreſſa, vermes, ne-

que hypotheſes aliae, utut ingenioſiſſimae, circa hanc rem excogitatae, lucem affundunt deſideratam. Quinimmo illorum opinio, qui, cauſam febrium intermittentium proximam in nervis unice quaerendam eſſe, putant, dubiis premi videtur variis, quoniam morbi hi cum febribus nervoſis convenientiae revera parum habent. In his languor ingens apparet, naturae vires ſunt ſuppreſſae, pulſus tangitur debilis, parvus, inaequalis, criſes ſequuntur nullae; in illis contra naturae efficacia magna eſt, pulſusque fortis et vividus, evacuationes criticae largae ſequuntur, homines debiles, irritabiles, mobiles, ſenſibilesque in quemlibet alium nervorum morbum proni, infantes, quibus nervorum ſyſtema mobile adeo eſt, non magis, quam alii, quin minus adhuc, febribus ſubjecti ſunt intermittentibus, ſubjectaque robuſtiſſima ſubito ſaepe his corripiuntur. Quinimmo epidemiae ſunt viſae, in quibus illi, qui nervis praediti erant maxime irritabilibus, certisque nervorum pathematibus, a febribus intermittentibus ſuppreſſis adeo et ſublatis, laborabant, omnium maxime manſerunt immunes. Similiter Sydenhamus corpora cachectica ab illis non facile corripi, jam obſervavit, quamvis contrarium tamen viderit ſubinde Senacus. — Tantum ſaltem ex omnibus apparere videtur, illam nervorum conſtitutionem, ſi, quod vero tamen eſt ſimillimum, cauſa febrium intermittentium proxima in illis lateat, ab omni alio nervorum pathemate diverſam eſſe, nobisque incognitam. Febrium quoque intermittentium diverſarum, remittentiumque, nec non morborum non febrilium periodicorum plurium cauſa proxima, quoniam hi morbi ex cauſis oriuntur ſimilibus, unusque in alterum tranſit, atque unus ab altero excitatur, nec non periodos easdem, eundemque ordinem ſervant, mede-

lam-

lamque requirunt parem, valdopere ſibi reſpondere videtur. Morbos ſaltem omnes, quibus cortex peruvianus ex vi ſua contra febres intermittentes ſpecifica medetur, cauſae proximae ratione cum illis convenire magna cum certitudine libri noſter auctor doctiſſimus affirmare audens, ingenii ſui vires ulterius non penetrare fatetur.

§. 33.

Cauſae vero occaſionales ſunt: animi commotiones vehementiores, animi corporisque labor nimius, diu continuatus; purgantia fortiora; res virulentae, in corpus qualicunque modo delatae; ſudores ſuppreſſi, exanthemata repulſa, balnea tam frigida, quam calida; commoratio in locis humidis, humilibus, nemoroſis, paludoſisque aquarum ſtagnantium, particulariumque aliarum nocivarum exhalationibus impraegnatis, in quibus febrium intermittentium patria praecipua eſt, quae inprimis, ſi aëris humiditati putredo in aeſtu magno et poſt illum facillime generata aſſociatur, latiſſime graſſantur, faciemque prae ſe ferunt horribilem; ingluvies; cibi nimis duri, concoctu difficiles, pingues, terrei, glutinoſi, inprimis copia juſto majori ingeſti, quorſum quoque ciborum genera nonnulla pertinent, quae vi quadam ſpecifica febres intermittentes excitare videntur, ſicuti v. g. de ſicubus pharaonis Torti narrat, ab illorum eſu febres oriri tertianas etc. *l*) porro: pervigilium; defatigationes magnae, fames, victusque ſalubris defectus; viarum primarum ſaburra acris, acida, putrida, bilis corrupta; potio frigida in corpus calidum affatim ingeſta; dolor acerbus; pus; ichor; excretiones ſeminis, aliaeque, immodicae, atque exadverſo earundem ſuppreſſiones, dia-

l) Trnka de Krzowiz, Vol. I. pag. 97. ſeq.

diatheſis humorum quaecunque cacochymica, ſcorbutica, venerea; acrimonia herpetica *m*); peregrina in corpore hoſpitantia, calculi, vermes *n*) etc. haemorrhagiae conſuetae ſuppreſſae; idioſyncraſiae nonnullae etc. *o*)

Harum cauſarum quaedam febrium intermittentium genera quaedam excitare ſolent, ſicuti v. g. aër autumnalis praeter morem frigidus, exanthemata repulſa, cruditates viſcerum tenaces pituitoſae, prae aliis febres producunt quartanas. Febrium tertianarum cauſa primaria bilis eſſe ſolet. Febres illae tertianae periculoſae malignae humores plerumque bilioſos ſub diaphragmate ſtagnantes pro fundamento habent, quare etiam febres bilioſae putridae continuae non raro in febres tranſeunt intermittentes, quae ſaburrae putridae evacuatione juſta unice tolluntur.

Cauſarum harum nonnullae porro *febres* generant *ſporadicas*, aliae *epidemicas*, quamlibet poſteriores ex cauſis quoque ſenſibus noſtris obſcuris oriantur. Neque minus in corporibus ſingularibus absque cauſis manifeſtis febres intermittentes oriri poſſunt, quae ſine excretionibus conſpicuis ſponte evaneſcunt.

§. 34.

m) Powpart (von den Flechten p. 76.) exemplum refert perſonae cujusdam, herpete, quo jam diu laboraverat — febreque intermittente inter ſe alternantibus, ſic, ut, herpete evaneſcente, febris intermittens oriretur et vice verſa — affectae.

n) Huc pertinet praecipue epidemia, quam van den Boſch deſcripſit: Hiſt conſtit. epid. verm. cur. Ackermann. Norimb. 1779. 8.

o) Trnka de Krzowiz l. c. Vol. I. p. I. cap. V. Caput hoc cauſarum febres intermittentes excitantium catalogum continet completiſſimum.

Digitized by Google

§. 34.

Utut mirum videatur, febres intermittentes contagioſas eſſe, tamen hoc nihilominus teſtimoniis medicorum plurium fide dignis confirmatur, neque Meibomii, Cleghornii, Lautteri, Frid. Hoffmanni, aliorumque plurium a Trnka de Krzowiz l. c. p. 121. collectorum, obſervationes in dubium vocari poſſunt. Epidemica autem febrium harum natura, cum genio earum inficiente et contagioſo neque permutanda, neque febris quaecunque intermittens contagioſa eſt habenda.

§. 35.

Similiter febrium intermittentium haereditariarum exempla habentur, qualia Rhodius et Geiger in Eph. nat. cur. deſcripſerunt *p*).

§. 36.

Conſtitutiones tempeſtatum irregulares interdum febres intermittentes epidemicas mali plerumque moris *q*) producunt, quamvis tales aëris conſtitutionibus, annique temporibus ſub ſaluberrimis, maximeque regularibus occurrant, et tempeſtate exadverſo ipſis ſummopere favorabili apparente non oriantur, quare cauſae adhuc aliae, nobis hucusque imperſcrutabiles ut lateant, neceſſe eſt. In *febres vernales*, *autumnales*que dividuntur. Illae Februario menſe incipientes in Auguſtum usque dominantur, hae ab Auguſto menſe, quo incipiunt, in Februarium

p) V. Trnka de Krzowiz l. c. pag. 132.

q) Vid. *Hoffm.* Med. rat. ſyſt. T. I. Sect. I. c. 3. p. 87. et c. 4. *Sydenham.* Sect. I. c. V. *J. A. Fiſcher* Diſſ. de febr. intetm. epid. graſſ. Erford. 1728. *Chr. Tom. Eph. Reinhardi* carmen de febribus intermitt. ſpur. ſeu epidem. annorum 1747. 48. 49. 50. 51. Dresd. 1751. 8.

Digitized by Google

rium usque regnant; ſicut hoc idem de morbis quoque epidemicis aliis valet. Febres autumnales quandoque jam menſe Junio, interdum autem ſub Septembris finem demum, incipiunt, quod a tempeſtate maxima ex parte dependet. Quo maturius erumpunt, eo pertinaciores, absque ſingulari tamen menſis alicujus influxu, eſſe ſolent. Febres vernales verſus Junium Juliumque ſucceſſive decreſcunt, idem febres autumnales Januario menſe faciunt. Hoc in cauſa eſt, quare menſibus Junio Julioque aegroti in genere habeantur pauciſſimi, quoniam ſcilicet hoc tempore morbi vernales deſinunt, autumnalesque nondum inceperunt.

Febres vernales utplurimum tertianae ſunt, quotidianaeque, rariſſime quartanae. Febres autumnales contra quotidianae plerumque ſunt et quartanae. Sydenhamus hinc febrem quartanam autumni ſobolem appellat.

Saepe tempore eodem una cum febribus intermittentibus autumnalibus, febres continuae epidemicae, plus minusve remittentes, ex prioribus ortae in illasque transeuntes dominantur. Febres vernales plerumque ſunt leniores, typum obſervant accuratum, nullas relinquunt ſequelas malas, atque ſubinde morbis chronicis pertinacibus, maniae, melancholiae, epilepſiae, paralyſibus viſcerum obſtructionibus etc. medentur, corporis incrementum promovent, ſanitatemque conſervant, paucis cito cedunt remediis, aut ſponte ſua ſaepius quoque diſparent; quum febres autumnales exadverſo longe pertinaciores medelae reſiſtant efficaciſſimae, creberrimeque recidivent, neque raro viſcerum obſtructiones, malaque cuncta inde orientia, icterum, hydropem, generis omnis cachexias etc. ſequelas habeant, quod

quod febribus intermittentibus vernalibus quoque tamen accidere poteſt.

§. 37.

Tempore praeterea hyemali vernoque febres quandoque intermittentes, ratione diverſa cum diatheſeos ſanguinis inflammatoriae ſignis manifeſtis, pulſu ſcilicet pleno et forti, reſpiratione difficili, lingua ſicca, cephalalgia enormi, facie rubra, ſiti intenſa, urina rubra, cruſta ſanguinis inflammatoria, conjunctas, porroque inde ſe manifeſtantes, quod in plethoricis, praecipue poſt potuum ſpirituoſorum abuſum, aut poſt ſanguinis excretiones ſuppreſſas, neglectasque ſint ortae, graſſari, animadvertendum eſt. In febribus hisce pulſus quoque apyrexiae tempore naturali celerior eſt, atque cum membrorum languore gravitateque nec non ſenſuum ſtupore ſtipatus. Quin immo oculorum, pleurae, pulmonumque etc. inflammationes topicae cum febre hac taliter combinari poſſunt, ut cum paroxiſmis veniant, iterumque remittant. Jure miratur cel. de Haen, quomodo poſſibile ſit, ut plenarie contra inflammationis naturam die uno dolor adeſſe vehementiſſimus, alteroque ne veſtigium illius quidem ſupereſſe poſſit, conſueto interea inflammationis decurſu, tranſituque in ſuppurationem, gangraenamque rite ſuccedentibus. Aſt hic ſequentes diſtinguendi ſunt caſus. Quandoque inflammationes febribus junctae intermittentibus fundamentum ſuum primum potius in diatheſi ſanguinis phlogiſtica, quam in febrium intermittentium fomite proprio habere videntur, febrisque intermittens illis adſociata ſpuriae inſtar, magisque aperte remittens, quam revera intermittens eſt conſideranda.

Caſus

Digitized by Google

Caſus alius eſt, ſi cum febre intermittente morbus inflammatorius tali modo eſt conjunctus, ut hic aeque ac illa morbos conſtituant per ſe conſiſtentes, ſuisque ex cauſis ortos propriis, qui ambo nihil inter ſe commune habent, niſi, quod tempore eodem corpus afficiant idem, occaſioneque data alter non tueatur ab altero, quamvis febres continuae, febribus intermittentibus, his, illis frequentius, accedant. Complicatio haec ſtatum facit periculoſum, quum fieri aliter haud poſſit, quin febris inflammatoria, ejusque ſymptomata, a febris intermittentis inſultu, mirum in modum augeantur, exaltenturque.

Caſus tertius a prioribus binis plenarie diverſus eſt, ſi morbus inflammatorius cum febre combinatus intermittente ſymptomatis inſtar cum paroxiſmis tantummodo ingruit, in quibus nempe partis hujus, illiusve, oculorum, pleurae, veſicae urinariae etc. inflammationis ſigna manifeſte apparentia cum illis absque veſtigio ullo, ſaltim notabili, relicto, iterum ceſſant. Admiratione dignum eſt exemplum ab illuſtri de Haen *r*) hac de re allegatum, ubi pleurae inflammatio, plenarie cum febre intermittente tertiana intermittens, in vomicam tranſiit, qua rupta aegrotus ſanabatur.

Diatheſis inflammatoria, ſaburra bilioſa interdum adhuc ſtipata eſt, unde, complicatione hac non rite tractata, inflammationes facile oriuntur topicae.

§. 38.

Neque minus febribus intermittentibus febres exanthematicae intermiſceri interdum ſolent, et quidem pariter ita, ut vel nexum inter ſe nullum febres binae habeant, vel, ut exanthemata a febribus pen-

r) Theſ. febr. diviſ. ſiſt. p. 137.

pendentia intermittentibus earum effectus ſint atque proles. Tali modo febribus exanthematicis epidemice graſſantibus febres adſociantur intermittentes, aut illis tempore intercurrunt eodem, naturaeque epidemicae quidquam aperte ſuſcipiunt, ſicuti cel. Strack v. g. in epidemia quadam petechiali febres intermittentes cum petechiis obſervavit. Illud idem quoque de exanthematibus aliis, purpura, febreque valet urticata etc.

Febrium acutarum continuarum inſtar febres intermittentes non raro incipiunt, quae prius remittentes, tandemque evadunt intermittentes.

§. 39.

Febres intermittentes autumnales characterem quandoque habent putridum, ſordiumque bilioſo — putridarum in viis primis praeſentium, quin putredines adeo in ſanguine ſignis manifeſtis, nec non vermibus, variisque idcirco nervorum pathematibus periculoſis ſunt ſtipatae. In regionibus humilibus, humidis, exhalationibusque impraegnatis putridis, ſub humido fervidoque aëre graſſari ſolent, remediaque requirunt antiſeptica efficaciſſima. Interdum earum typus ab initio manet obſcurus, febrium putridarum faciem prae ſe ferunt perfectam, donec diebus aliquot elapſis hic tandem apparet. Febrium harum apyrexia plerumque eſt breviſſima. In regionibus calidis febres intermittentes, niſi celeriter tollantur, in febres transeunt putridas; ſed hoc ſibi retinent proprium, ut greſſus febrium intermittentium periodicus in illis adhuc obſervetur.

§. 40.

Febres intermittentes tandem indolis quoque ex toto nervoſae interdum eſſe videntur, ſi virium lan-

languore magno ſymptomatibusque ſtipatae ſunt vere nervoſis, neque illarum cauſae manifeſtae detegi poſſunt.

§. 41.

In pluribus terrarum orbis regionibus, locisque febres intermittentes endemiae ſunt, cujus cauſae univerſales vel manifeſte apparent, atque mox provinciae, regionis, locique ſituationi planae, paludoſae, nemoroſae, aquarumque ſtagnantium vel ſubterranearum exhalationibus expoſitae, mox aëri ob pluviam copioſam perpetuo humido, nebuloſo, variabili, fervidoque etc. debentur, licet hae cauſae nec ubicunque, nec in corpora cuncta pari agant modo; vel cauſae illarum quoque nullae detegi poſſunt; ſicuti febrium intermittentium epidemiae absque ulla quandoque cauſa oriuntur declarabili.

Peregrinos tales in regiones profectos, indigenis, quos conſuetudo adverſus cauſas ibidem obvias jam munivit, frequentius febribus hisce corripi, obſervationes docuerunt. Febres intermittentes praeterea diverſis in locis, in quibus antea vix cognitae erant *s*), jam frequentiores occurrere, viceque verſa, alibi ſucceſſive evanuiſſe, ubi antehac copioſe graſſabantur, obſervatores retulerunt. Hoc ex parte comprehenditur facile, ſi, quomodo earum cauſae in caſu priori oriri, ac in poſteriori, a natura, vel arte tolli poſſunt, conſideretur. Paludum ſtagnantium canalium ope derivationes, exſiccationes, expletionesque, ſylvarum denſarum aëris reficientis, ventorum depurantium exſiccantiumque affluxum prohibentium caedes etc. varias jam regiones, locosque

s) Exemplum tale nuperum ſiſtit Petropolis, ubi, usque ad annos quatuor retro effluxos, rariſſime fuerunt. Vid. Murray Bibl. III. B. p. 41.

Digitized by Google

que varios pertinaciſſimis liberarunt morbis, quorſum quoque pertinent febres intermittentes. Lanciſius inſtitutionibus ejusmodi ſalutiferis immortale in Italia nomen obtinuit, poſteaque providentia haec hominum myriades ſtatui conſervans repetita fuit frequentiſſime.

Dantur interim orbis terrarum quoque regiones, in quibus febres intermittentes vel plane non, vel ſaltem rariſſime obſervantur *t*), v. g. in India, in bonae ſpei promontorio, in Islandia, Grönlandiaque, in Scotia, in Sueciae provinciis diverſis, in Lapponia, et ex parte in provinciis ſeptentrionalibus ſuperioribus *u*) (unde a frigore derivari nequeunt) etc. Climati, victus vitaeque regionum harum rationi proprii quidquam adhaeret, quod illarum incolas mutationibus corporis morboſis febres hasce generantibus ſuſcipiendis impotes reddit. Regiones ſimiliter montanas a febribus intermittentibus, ſaltim quibusdam illarum generibus plenarie immunes eſſe, non eſt ignotum *x*), licet in provinciis Helvetiae montoſis maxime interdum evadant malignae *y*). In Americae ſeptentrionalis provincia quadam, in qua febres intermittentes adeo alias copioſe occurrunt, nunquam a medico ullo febris obſervata fuit quartana. Vid. Samml. auserl. Abh. für pract. Aerzte, XI. B. 2. St. p. 255. — Sicuti denique febres intermittentes endemicae in regione quadam poſt paludum exſiccationem etc. diſparent: ita exadverſo ſylvarum ventis nonnullis introitum prohibentium

 caede,

t) Trnka l. c. Vol. I. pag. 125. ſeq.

u) Vid. Murray med. pract. Bibl. III. B. 1. St. pag. 40. 41. —

x) Linckogel de febr. interm. in regione Andreaemontana exule Gött. 1747. 4.

y) Zimmermanns Erfahr. p. 480. —

Digitized by Google

caede, veſtimentorum calidiorum cum levioribus commutatione univerſali, diaeta ſucceſſive lautiori, habitationibus in vallibus, locisque paludoſis etc. illae oriuntur ibi, ubi antea raro occurrebant.

§. 42.

Quamlibet febres intermittentes per ſe et in genere non adeo ſint periculoſae, atque de illis primario valeat, quod in praecedentibus de vi febrium in morbis pertinaciſſimis medicatrici in genere propoſitum fuit, nihilominus praeter effectus a vehementia juſto majori durationeque longiori per ſe tandem productos, praeterque ſtatum malignum, quem interdum ſponte ſua incurrunt, ob cauſas adhuc varias intra corpus et extra illud praeſentes in morbos periculoſos, pertinaces, arte vincendos nulla degenerare poſſunt.

Prius autem, quam cauſarum harum mentio fiet, ſigna indicabuntur, ex quibus, num morbo chronico gravi accedens febris intermittens ſalutifera, grataque ſit habenda, nec ne, apparebit. Quando aegrotus poſt paroxiſmum quemlibet pathemata ſua ipſum hucusque afficientia leniora tolerabilioraque evadere, vires ſuas plus creſcere, quam decreſcere, appetitum ſomnumque emendari, faciei colorem hilariorem vivacioremque fieri; corporis functiones, cum moleſtia maleque hucusque ſuccedentes, facilius majorique cum ordine exerceri, habitumque ſuum totum in genere in melius transferri; morbumque, cum quo conflictabatur hactenus poſt acceſſiones febris intermittentis repetitas minui quotidie levarique ſentit; ſpes adeſt maxima, fore, ut febris intermittens corpus humoribus repletum pravis purgatura, viſcerum obſtructiones, morbum cauſantes illum, ſolutura, rationeque tali morbus totus paulatim cum febre ſit evaniturus.

Simi-

Similiter Tiſſotus z) pulchram huc ex toto pertinentem habet obſervationem, juxta quam cum febre indolis hujus, naturae mutationem finitam vidit, unde, humoribus ſuperfluis expulſis, obſtructionibus reſolutis, transpiratione aucta, plenarioque machinae aequilibrio reſtituto, ſanitatis vegetae cauſa fundabatur.

His omnibus contra vice verſa ſe habentibus, febrim intermittentem ſtatum morboſum in dies pejorem reddituram, morbi, cui adſociatur, periculum exaltaturam, mortemque acceleraturam eſſe, patet manifeſte.

Dantur autem quoque caſus, in quibus febris morbum, cui adjungitur, intactum relinquit; et tandem tales quoque, in quibus ſub febris curatione morbi hi ſimul cum illa evaneſcunt.

Cauſae influxum habentes in febrem maxime nocivum, illumque continuo pertinaciorem, curatuque reddentes difficiliorem, ſunt primo *voracitas*, unde febres fame perpetua ſtipatae a) tam difficulter ſuperantur, fames haec febribus quartanis praecipue accedit, unde febres famelicoſae vocantur; porro regiminis debiti neglectus; partium ſolidarum laxitas; praepoſtera medela, quae inprimis adſtringentibus intempeſtive datis, maximopere autem a nequiſſimo arſenico, cunctisque ejus praeparationibus ac ſic dictis correctionibus perficitur. Priora, qualia ſunt alumen, vitriolum, tormentillae, biſtortaeque radix, quin cortex ipſe peruvianus intempeſtive da-

z) Abhandl. von den Nerven und ihren Krankh. überſ. von Weber, 2. B. pag. 119. 120.

a) Colombier illam ex ſucci gaſtrici tenacitate derivat, in Code de Med. milit. p. III. p. 125.

tus *b*) etc. volatile tantummodo, citoque diſparens robur efficiunt, excretiones cohibent ſalutares, humores cacochymicos incarcerant, eosque figunt, atque magis magisque corrumpunt, febres intermittentes mutant in acutas, viſcera obſtruunt, icterumque, hydropem et phtiſin etc. producunt.

Arſenicum obſtructiones, moleſtias doloresque ventriculi, quem arrodit, vertiginem, capitis perturbationes, ſitim inexſtinguendam, capillorum defluvium, dolorem in pedum plantis ſingularem, cutis pruritum, exanthema quoddam, epidermidis deſquamationem, tuſſim ſiccam, toroſitatis viriumque decrementum, leucophlegmatias, febres hecticas, hydropes, emeſin, diarrhoeas, phtiſin, mortemque cauſatur. Quarinus *c*) febrem quotidianam tinctura arſenicali adgreſſam quinquennium duraſſe, corpusque conſumſiſſe vidit. Cel. *Wendt* contracturas, hydropes, phtiſes arſenici a medicaſtris adhibiti uſum ſequutas obſervavit. Nihiloque tamen minus medici plures illud tanquam remedium antefebrile ſecurum laudaverunt. Hi ſunt *Heuermannus*, *Lemery*, *Friccius*, *Riedlinus*, aliique plures a *Werlhofio d*) et *Trnka e*) recenſiti. *Stahlius* exadverſo, *Junckerus*, *Gohlius*; *Haenius*, *Foreſtus*, *Stoerkius*, *Werlhofius*, aliique multi, iſtud, ut meretur, abominaverunt rejeceruntque. Veteribus incognitum erat, quisque periculum cum illo temerarium primum fecerit, ignoratur.

Cau-

b) Febris intermittentis cortice peruviano, contra methodi praecepta exhibito, ſanatae, ſymptomatumque ſpaſmodicorum indolis peſſimae ſubſecutorum, tandemque arnicae florum ope perſanatorum hiſtoria mirabilis legitur in den Wieneriſch. Beitr. I. B. pag. 94. ſeq.

c) Meth. med. febr. p. 138.

d) Obſ. de febr. pag. 41.

e) L. c. p. 395. ſeq.

Digitized by Google

Cauſis ſuperioribus porro adhuc adnumerari debent vehementiores animi adfectus, potiſſimum ira ac terror, vitia in imi ventris viſceribus latitantia, coitus, haemorrhagiae *f*) caſu, aut venaeſectione intempeſtiva productae, vigiliae immoderatae, corporis animique virium intenſio nimia, atque interdum conſtitutio epidemica. Cauſae hae nunc partim febris breviter ablatae recidivas faciunt. Quo febris diutius protrahitur, eo facilius efficit recidivas, eoque curatu eſt difficilior. Habitacula quoque et dormitoria humida, generis cujuscunque refrigeria, acida multa, ventriculi oppletiones, cibi pingues, duri, digeſtuque difficiles recidivis anſam praebent.

§. 43.

Quando in febribus intermittentibus mors ſequitur, utplurimum hoc noſtris ſub frigore contingit, id quod *Sydenhami*, *Swietenii*, *Don Monroi*, *Frid. Hoffmanni*, aliorumque plurium *g*) ſibi reſpondentium confirmant obſervationes. Interim mors quoque ſub caloris ſtadio ſequi poteſt, quemadmodum *cel. Cleghorn*, aegrotantium Minorcanorum numerum maximum in caloris faſtigio ſummo cum vita mortem permutaſſe *h*), retulit. Hoc captu eo evadit facilius, quum febres intermittentes quandoque ſine frigore praevio ſubito cum calore incipiant urentiſſimo, in quo igitur mors quoque ſequitur, et quia aeſtus in febribus iisdem ad faſtigium pernicioſiſſi-

f) *Fothergill* ſub menſium fluxu periodico febrim obſervavit intermittentem, in cujus paroxiſmo quolibet haemorrhagia ſequebatur. Tiſſot Nervenkrankh. I. B. pag. 119.

g) V. Truka l. c. p. 238. ſeq.

h) V. Beob. über die epid. Krankh. in Minorca; die Ackermanniſche Ueberſ. p. 171. Huic quoque Lindii obſervationes, de quibus ſtatim plura, reſpondent.

ſiſſimum ſcandere poteſt. *Lindii* autem ſententia, mortem ſemper ſub calore incidere, experientiae manifeſte contradicit *i*), quamlibet hoc apud Indos ita obſervaſſe potuerit. In regionibus fervidis frequentius hoc contingere, aſſumi in genere forte poſſet. Neminem ſub frigoris ſtadio morientem ſe vidiſſe, caloremque periculo vitam exponere ſibi perſuaſum eſſe, *Lindius* verbis contendit expreſſis. Tantum non modo ex plurimis conſtat obſervationibus, frigus periculoſiſſimum temporis punctum eſſe, ſed inde quoque comprehenditur, quia ſub frigoris ſtadio humores vi ab externis ad internas retropelluntur partes, quum exadverſo calor et ſudor, quorum directio ab intra ad peripheriam corporis externam fertur, plerumque ſalutares ſint habendi, dum, motibus hisce durantibus illorumque ope, humores aequabiliter dividuntur, viae obſtructae aperiuntur, humorum maſſa depuratur, febrisque ipſa ſenſim ſolvitur. Hinc quoque nunc ex parte ratio petenda eſt, quare febres iſtae morbis aliis gravioribus, diuturnisque ſupervenientes illos ſaepe vincant, neque minus, cur, teſtantibus id obſervationibus pluribus, infirmi poſt febrem intermittentem ſuperatam conſtanti gaudeant ſanitate; et multi etiam toroſiores evadant robuſtioresque.

§. 44.

In cadaveribus febribus intermittentibus defunctorum, circa cor et pulmones ſanguis multus accumulatus, viſcera, praeprimis hepar et lien, praeternaturaliter grandia *k*), indurata, ulceroſa, ſuppurata, quin

i) J. Lind's Verſ. über die Krankh. denen Europäer in heiſſen Climaten unterworfen ſind. Aus dem Engl. Riga und Leipz. 1773. 8. im Anh. p. 294.

k) *Don. Monro* caſus cujusdam, in quo lien librarum XL pondus

Digitized by Google

quin rupta *l*) inteſtinaque aëre bileque referta ſunt reperta. *Cleghornius*, qui prope ducentorum febribus hisce defunctorum cadavera perſcrutatus eſt, in cunctis partem abdominis unam alteramve (omentum, meſenterium, inteſtinum colon) nigrore obſcuro tinctam, aut plenarie invenit deſtructam. Veſicula

E 5 fellis

dus habebat, meminit, *Kriegsarzneyw. a. d. Engl. durch Begue de Presle* 2. B. p. 418. — Hac occaſione panni ſic dicti febrilis (*fevercakes*, *aguecakes Anglorum*) mentio paucis eſt facienda, quem anatome *Don. Monroum* l. c. in hepatis obſtructione, moleque aucta conſiſtere docuit. Illud idem in cadaveribus reperit *Brocklesby*. Panni hi febriles ſub lateris ſiniſtri coſtis ſpuriis tumorem durum mox majorem, mox minorem formantes, abdomenque interdum totum plus minusve expandentes, non raro in adultis, praecipue autem in infantibus, indicium criticum ſalutiferum eſſe perhibentur. Si pannos hosce febriles in lienis obſtructione indurationeque conſiſtere verum ſit, quomodo iſti ratione ulla aegroto alicubi ſalutares eſſe queant, non comprehendit *auctor noſter Vogelius*, quamvis febrem tali modo metaſtaſeos ope, quae autem pro conditione ſua morbis graviſſimis anſam neceſſario praebere debet, totiesque idcirco in febribus intermittentibus defunctorum cadaveribus reperitur, facile perſpicit idem. Febrium intermittentium methodo perverſa ſanatarum ſequelae ſunt. Juxta *Brocklesby* öconom. und med. Beob. p. 178. ſub tropicis frequentiſſime occurrunt, atque febres intermittentes duplices tertianas bilioſasque remittentes in India occidentali praecipue in oris Guineae maritimis, indolis hujus ſymptomata ſaepiſſime excipere, ex aegrotantium multorum ore percepit, tunc autem obſervabantur potiſſimum, ſi aegrotis aquam fluviatilem temporibus certis exundantem, cujus partes putridae ſolis calore intenſo in vapores reſolvebantur etc. bibendi mos erat. Sub panni vero febrilis nomine intelligitur quoque pituita illa tenax glutinoſa, quae in febribus intermittentibus laborantium ventriculo non raro deprehenditur, morbique cauſam proximam conſtituit v. *de Haen.* prael. *in H. Boerh.* inſt. path. ed. *de Waſſerberg.* T. II. pag. 45.

l) Cujus exemplum memorabile vid. *in den Schwed. Abh. Murrays med. pract. Bibl. III. B. pag. 48.*

fellis impleta erat, atque tumefacta, et in ventriculo inteſtinisque bilioſae colluviei copia magna ipſi in conſpectum veniebat, lien grandis erat, quatuor interdum aut quinque libras ponderabat, adeoque mollis et putridus erat, ut potius ſanguis congrumatus, membrana quadam incluſus, quam pars organica eſſe videretur *m*). Uberior de his, febrium malignarum mentione facta, ſermo jam fuit.

§. 45.

De febribus *tertianis* reliquisque intermittentibus ſpecialiter quaedam nunc praecipienda ſunt. Si priores legitimae ſunt, corpusque juvenile viſceribus praeditum ſanis aggrediuntur, quinque, ſeptem, aut novem circuitibus judicantur, ut recte ab Hippocrate *n*) jam fuit obſervatum. Acceſſiones ipſae autem horarum duodecim ſpatium non facile excedunt, ſaepe citius adhuc finiuntur, quod de *tertianis* quoque duplicibus valet. Febres hae tertianae ligitimae, quae in genere valdopere rarae ſunt, frigore plerumque vehementer concutiente, caloreque urente acerbiori, ſiti intenſiori, capitisque doloribus acerbioribus, quam febres intermittentes aliae, ſunt ſtipatae, atque prae aliis vomitum bilioſum, diarrhoeamque bilioſam comites habent; earum paroxiſmi utplurimum horis meridianis adgrediuntur, verſusque veſperam iterum evaneſcunt, quamvis hoc tamen non conſtans ſit certumque, paroxiſmosque excipit apyrexia perfecta; quum in febribus tertianis ſpuriis e contrario ſymptomata cuncta longe ſint leniora, paroxiſmi multo accedant maturius, diutiusque longe, horarum interdum octodecim ſpatium excedentes durent, ſic, ut apyrexia

m) L. c. pag. 171. 172.

n) L. de judicat. p. 67. Coac. praenot. 148.

Digitized by Google

rexia ſaepe vix appareat, diebusque intercalaribus languor, appetitus defectus, cephalalgia, pulſus febrilis etc. inveniantur. Febres iſtae ideo quoque *extenſae*, *ſubcontinuae*, *nothae*, *ſubintrantes*, *protractae*, *communicantes*, *coalternantes* appellantur, quamvis denominationes iſtae non ab omnibus ſenſu adhibentur eodem. A febribus continuis frigore, quo acceſſio quaelibet, ſi paroxiſmi ſe mutuo excipiunt, incipit, diſtinguuntur. Apyrexia paroxiſmum inſequens acerbiſſimum, plerumque eſt maniſeſtiſſima, eaque poſt paroxiſmos leniores decreſcit perpetuo. Priores utplurimum anticipant, poſteriores aut poſtponunt, aut fixae ſunt.

Praeter criſes conſuetas febribus tertianis criſis adhuc ſingularis propria eſt, ut ſcilicet verſus paroxiſmum tertium quartumve in labiis, aut partibus corporis aliis quoque, ulcuſcula ſicca effloreſcant; et, ſi hoc contingit, ſpes adeſt, fore, ut cum paroxiſmo ſeptimo febris ſit adeptura finem. Criſis haec tamen interdum fallax eſt, niſi excretiones criticae aliae cum illa ſint conjunctae, atque in febris principio morbum denotant periculoſum diuturnumque.

Febres tertianae tempore vernali frequentiſſime, rarius autumno occurrunt, tumque negotio facili in febres tranſeunt quartanas. *Sydenhamus.*

Subjecta juvenilia, temperamenta cholerica, corpora motibus exercitata fortibus, aliis in febres tertianas ſunt proniora. Neque minus, *bilem* febres plerumque tertianas, *pituitam* potius quotidianas, quartanasque generare, ingenioſa eſt experientia repetita.

Num *Hippocratem* o), febrem tertianam poſt acceſſiones aequales, v. g. 2. 4. 6. etc. ceſſantem ſem-

o) Aph. IV. 61. Coac. 80. Febricitanti, niſi in diebus imparibus dimiſerit febris, reverti ſolet.

ſemper recidivare, neque prius evaneſcere plenarie, donec paroxiſmorum numerus maneat inaequalis, experientia docuerit infallibilis, ſuo loco relinquit *cel. Vogel.* Diebus autem illis, quibus paroxiſmi ſunt vehementiſſimi, ſive hae fuerint pares, ſive impares, criſin quoque ſequi, majori ſibi perſuaſum habet certitudine.

Febres illae juxta *Cleghornii* obſervationem in genere ſunt truculentiſſimae, quarum vehementia diebus paribus eſt acerbiſſima *p*). Igiturque in febribus tertianis duplicibus, quarum paroxiſmus die tertia, quinta, vel ſeptima quidem ceſſat, verum die quarta, ſexta, aut octava adhuc continuatur, cautela requiritur ſumma, ne intermiſſionem hanc fallacem impetus inſequatur ſubitaneus. Hinc jam *Hippocrates q*), quibus tertio die ſubſiſtit acceſſio, inquit, et quarto ingraveſcit, malum.

Febres tertianae in genere facili negotio in febrium ſpecies alias, in quotidianas utpote, continuas, duplicesque transeunt. Valet autem hoc inprimis de ſpuriis, apyrexiam brevem ſudore reficiente pauco vel nullo ſtipatam habentibus.

Febres tertianae quoque facile, levique ex errore recidivas faciunt.

Febres quotidianae, tertianaeque anticipant plerumque, quartanae utplurimum poſtponunt.

Tempeſtatem, annique tempora in harum febrium ſanationem influxum habere, *Hippocrates*, *Boerhavius*, *Stahlius*, *Swieteniusque* crediderunt. In febrium ortum exacerbationesque influxum habent certiſſime, eoque reſpectu curationem quoque reddunt difficiliorem.

§. 46.

p) L. c. pag. 167.

q) Coac. 78.

Digitized by Google

§. 46.

Febres quotidianae plerumque tempore hiberno, autumnalique coelo humido nubiloque occurrunt, et hanc quoque ob cauſam tempore vernali haud raro erumpunt, atque tunc plures ſimul tempore eodem ſine aetatis, temperamenti, ſexusque reſpectu prehendunt; quamvis pigri, mucoſi, phlegmatici, debiles, vitaeque genus non valde mobile habentes, infantesque praeprimis infirmi, longe in illam ſint proniores.

Febrium harum paroxiſmi utplurimum tempore matutino, aſt interdum quoque veſpertinis, nocturnisque oriuntur horis.

Febres quotidianae verae rarae ſunt, quod ſupra, febrium tertianarum duplicium mentione facta, jam monitum fuit, quippe quae pro talibus utplurimum erronee habentur.

Febrium quotidianarum ex aliis intermittentibus promta geneſis eſt. Neque febris intermittens ulla, in febrim lentam morbumque gravem alium, hac, facilius transit. Nihilo tamen minus febris quotidiana, febri accedens lentae, illam ſanavit *r*).

Febres quotidianae pertinaces ſunt, difficulterque ſuperantur, earum acceſſiones longe, octodecim usque horas: ordinarie autem ſex ſolummodo ſeptemque durant horas. Raro paroxiſmis apyrexia intercedit perfecta, typumque utplurimum obſervant fixum. Frigus plerumque lene eſt, ſine concuſſione, quandoque deficit plenarie. Calor non eſt vehemens ſineque ſiti magna, ſed mordens diuturniorque. Aegroti, inprimis infantes in ſomnum valde proni ſunt.

Febres quotidianae legitimae paroxiſmos plerumque abſolvunt decem, vel quatuordecim, antequam

r) Primit. Med. Polon. Vol. I. pag. 122. 127.

Digitized by Google

quam criſis ſequitur perfecta, eaque ordinarie fit per diarrhoeam.

Cavendum autem eſt, ne febris haec cum *catarrhali*, *lenta tertiana duplici*, aut *quartana triplici* confundatur. *Catarrhalis* facile per catarrhum, *altera* per exacerbationes ſuas poſt prandium et verſus noctem abſque frigore praevio ſe manifeſtantes, per calorem ſiccum urentem in manuum volis, pedumque plantis, atque per intermiſſionis verae defectum facile dignoſcitur; in *febribus tertianis duplicibus* acceſſiones alternatim ſibi reſpondent; in *quartana triplicata* idem cum paroxiſmo primo et quarto, ſecundo et quinto etc. contingit. Verum enim vero *Hoffmannus*, febrim *tertianam duplicem quartanamque triplicem* medendi methodum aliam, quam *quotidianam*, requirere affirmans, procul dubio errat.

§. 47.

Febrium intermittentium omnium longiſſima eſt febris quartana *s*), ordinarieque haud infra menſium duorum triumve ſpatium terminatur. Ante paroxiſmum igitur decimum quartum criſis perfecta vix eſt expectanda. Illius interim pauciores poſt paroxiſmos finitae exempla habentur rariora *t*).

Quum febris quartana perſaepe ex viſcerum vitio natales ducat, corporisque habitum praviſſimum effici-

s) Exempla diuturnitatis inſolita quartanae per VIII, XXII, et XLVIII annos affligentis adducunt *J. Wierus* obſ. p. 36. nec non *Wolfg. Gabelchoverus* Cent. VI. 74 Praeterea annorum II, V, VIII, IX, XII annorum exempla habentur. Vid. *Trnka* l. c. pag. 289. de veritate obſervationum harum ex parte inauditarum, incredibiliumque dubitandi ratio eſt. Narrationes falſae, recidivarumque plurium computationes exemplorum horum pluribus anſam procul dubio praebuerunt.

t) *Plater*, Obſ. L. II. p. 287. *Thoneri* obſ. 8. 11.

Digitized by Google

efficiat, neque etiam raro lethifera ſit, non recte cum *Hippocrate u*) et *Galeno x*) tutiſſima placidiſſimaque haberi poteſt, licet *Foreſtus* declaret, quomodo hoc, quibusque ſub exceptionibus ſit intelligendum *y*).

Autumnus febribus quartanis primario favet, aërque humidus, humidumque ſolum, verum ſunt earundem pabulum, quare etiam quibusdam in regionibus, borealibus inprimis, paludoſisque fere endemiae ſunt, in montoſis contra regionibus occurrunt raro *z*). Inde *Thedenius a*) quoque febres hasce milites, quibus in cellis humidis hoſpitium adſignatum erat, illis frequentius longe, qui ſub tegulis habitabant, frigoris licet acerbitate plus afficerentur, occupare obſervavit. Stetini quotannis ex CM militibus ultra L, autumno autem vereque humido ultra ducentos febre quartana laborantes ſanandos habuit. Tantus vix medico cuidam numerus occurrit. *Ill. Baldingerus*, qui in genere multa praeclara veraque de febribus hisce retulit, febres quartanas utplurimum hyeme profecta, ſub coelo humido frigidoque regnaſſe, tali ſub aëris conditione curatu difficiliores tardioresque fuiſſe, quum ſub frigore ſicco, eoque acerbiori citius ſucceſſerit ſanatio, perhibet *b*).

Raram, ideoque non minus memorabilem febris quartanae cauſam *M. Fabri* in ſuis Nouvell. obſerv.

u) L. I. Epid. 966.

x) De art. cur. ad glauc. LI. cap. 8.

y) Obſ. 32. Schol.

z) *v. Linekoegel* l. c.

a) Unterricht für die Unterwundärzte bei Armeen. — Berl. 1778. p. 167.

b) Krankh. einer Armee — 2te Ausgabe, p. 269.

Digitized by Google

ſerv. ſur les malad. vener. (vid. *Richter*. chirurg. Bibl. V. B. p. 327.) recenſuit. Cauſa haec erat gonorrhoea male curata, ideoque originis venereae. Febris, tuſſe ſimul ſpaſmodica ſtipata medicamentis reſiſtebat omnibus. Poſt frictionem mercurialem quartam e contrario cum tuſſi febris jam diſparuit. Typum ſuum febres quartanae inter febres intermittentes omnes accuratiſſime ſervant, earumque paroxiſmi tempore plerumque pomeridiano, veſpertinisque redeunt horis. Frigus diutius quidem durat, ſed lenius utplurimum eſt, quam in febribus tertianis. Frigus autem ſub acceſſione qualibet lenius fieri, tandemque — calore interea acerbiſſimo alternatim continuante — plenarie evaneſcere, obſervavit quoque *cel. Vogelius*.

Calor non valde vehemens eſt, quinque ſolummodo aut ſex horas durat plerumque. In febribus vero quartanis exquiſitiſſimis frigus eſt acerbius, doloroſum, et quaſi in oſſa usque penetrat, cui paroxiſmorum ſequentium tractu rigor adhuc ingens adſociatur. Hinc febris haec ſenibus adeo ſaepe periculoſa evadit *c*), frigusque haud raro necat illos, quos ſub aeſtu quoque mors apoplectica e medio tollere poteſt, quum juniores exadverſo diu, absque noxa, conflictentur eadem.

Quo accuratioribus quartanae redeunt circuitibus, quo illique ſunt breviores, eo plerumque ſunt pertinaciores diuturnioresque.

Pulſus in febribus quartanis debilis, parvus, rarus, ſubinde inaequalis eſt *d*), urina pallida, tenuis-

c) Senes aegerrime laborant quartana. *Klein* interp. clin. p. 99.

d) Hoc tamen juxta auctorem noſtrum nihil conſtans eſt, quippe qui pulſum quoque plenum et fortem, atque urinam ſaturatiſſimam eamque rubram obſervavit.

Digitized by Google

nuisque *e*) paroxiſmorum duratio fere eadem, ut in febribus tertianis.

Febris quartana munit praeſervatque homines haud raro a morbis gravibus pertinacibusque, quales praecipue ſunt: aſthmata, convulſiones, inprimis epilepſia, malum hypochondriacum, melancholia; neque minus fluxus menſtrui exorbitantis, cordis palpitationum, aurium manantium, triſmi, hemiphlegiarum, paralyſium, tumorum variorum, cephalalgiarum diuturnarum, vertiginis, morborumque aliorum plurium *f*) ab accedente febre quartana feliciter ſanatorum ablatorumque exempla habentur.

Effectus autem proſperos eosdem exoptatosque, licet non adeo frequenter, parique cum efficacia, quam febres quartanae, non raro febres quoque habent tertianae.

Febris quartana viciſſim ab aliis quoque ipſi ſupervenientibus morbis, ſcabie, variolis, febri miliari, haemorrhoidibus, ptyaliſmo, in quem febris haec praeprimis prona eſt, labiorumque ulcuſculis ſolvitur.

Boerhavii g), *Friderici Hoffmanni h*), *Werlhofii i*) aliorumque *k*) experientiae febrem quartanam ad longaevitatem diſponere appromittunt, quam licet febri huic adſcribere dubitet *Senacius*. Corporis ſimiliter proceritatis auctae exempla extant nonnulla *l*).

Febris

e) Galenus urinam nigram quoque hisce in febribus ſe vidiſſe perhibet.

f) *Trnka* l. c. p. 228. ſeq.

g) De cognoſc. et cur. morbis aph. 745.

h) Med. rat. ſyſt. T. IV. p. 1. S. 1. c. 2. theſ. path. §. 19.

i) Obſerv. L. 4. c. 4. obſ. 4. p. 450.

k) *Trnka* l. c. p. 296. ſeq.

l) *Trnka* l. c. p. 299.

Digitized by Google

Febris quartana nonnunquam in febrem tertianam ſimplicem duplicemque transit, et viciſſim quoque ex illis, febribusque intermittentibus aliis vel juſto diutius protractis, aut in erraticas mutatis gignitur, atque tunc in febribus autumnalibus nubecula nigra in urina apparens, illas in febrem quartanam tranſituras eſſe, ſignum ſiſtere perhibetur *m*). Neque minus quandoque in hemitritaeum febresque continuas alias transit.

Gravidas ante partum abſolutum febre quartana haud liberari, infantemque hoc editum partu morbo eodem affectum eſſe, *Hoffmannus n*) aliique *o*) obſervarunt. Fortaſſe prius ſanguinis fluxui reſtituto debetur: at obſervationes antea plures decidere debent, num natura hoc ſibi legem fecerit univerſalem; ſicut poſterius confirmatione quoque eget ulteriori. Febrim interim quartanam hydropi nuptam arte quandocunque nulla, niſi partus enixu, ſanari, et quidem infante enixo febre hac nullatenus correpto, ſicut hactenus credebatur, caſus ſequens attentione digniſſimus convicit auctorem noſtrum. Juvencula vice prima gravida ultra annum febre laborabat quartana, quae, per intervalla quidem ſilens, ſemper revertebatur. Hydrops huic ſupervenit tantus, ut partus naturalis facilisque, cujus tempus indies magis magisque appropinquabat, ob genitalia enormiter tumefacta, impoſſibilis videretur. Quare pudendorum labiorum ſcarificationes tempeſtivas, ut aqua evacuaretur, ſpatiumque ſic augeretur, ſuaſit *Vogelius*, quod autem non permittebatur. Medicamenta ſimiliter cuncta, quibus nunquam debite uſa fuerat, taedium ipſi creabant tantum, ut aliquot ante

m) Trnka l. c. p. 301.

n) M. R. S. T. IV. S. I. C. 3. §. 18.

o) Trnka l. c. p. 301.

ante partum menſes nullis uteretur amplius. Ob vomitum indeſinentem febri ſemper ſupervenientem arteque nulla placandum medicamenta quoque nulla in ventriculo retinere poterat. Tandem partus tempus, quod timens dolensque praevidebat auctor, revera inſtabat. Ipſa adeo illam antea explorans obſtetrix, qua ratione viam adeo anguſtam, ut digito nequidem minimo introitum permitteret, progredi infans poſſit, ſe neſcire affirmabat. Partum interim in admirationem auctoris gaudiumque ſummum abſolvebat feliciter. Verſus veſperam doloribus ad partum primis correpta, horis matutinis ſequentibus infantem enixa erat perfectum, ſanum beneque conformatum. Faciei, abdominis, pudendorum, manuum pedumque tumor ſubſidebat cito, ſineque artis auxilio minimo, cui inprimis quoque nullatenus favebat, ſucceſſive diſparebat. Febris ſimiliter quartana poſt paroxiſmos adhuc paucos ſponte evanuit. Infanti ſuo ubera praebuit, obambulavit, ſanitasque ſua in dies magis confirmabatur. Infans ſimul valetudine gaudebat proſperrima.

Praeter criſin communem et hanc peculiarem interdum ſervat febris quartana, quod furunculus in buccis naſcitur, qui protinus eam ſolvit *p*). Abdominis tumor et diarrhoea pariter nonnunquam, nec non indolis diverſae haemorrhagiae criſeos vice funguntur *q*).

Aliqui in hac febre non ſudant, neque vero, niſi per ſudorem, ad integritatem veniunt. Quidam exadverſo ſudoribus diffluunt, illique niſi ſudoribus hisce cohibitis ſublatisque, cum ſanitate in

 gra-

p) R. *A. Vogel.* Goetting. Praenot. Penſ. I. 15.

q) *Godofr. Klaunigii* Noſocom. charit. obſ. 6.

gratiam redire non poſſunt. Idem illud in febribus pertinacibus aliis obſervatur quoque.

Febris nulla facilius, quam quartana, recurrit. Recurrens vero rariſſime ita pertinax eſt, quam praegreſſa, et ſponte ſaepe poſt aliquot circuitus finitur. Quare, hominem ſemel tantum febre corripi quartana, falſum eſt. Exempla hac de re plura collegit in opere ſuo praeſtantiſſimo p. 303. ſeq. *Trnka.* Inter medicorum ſcandala non amplius referenda eſt febris quartana: neque verum hodie eſt, quod *Hippocrates* praedixit, quartanam autumno ortam per hyemem durare integram, neque vinci prius poſſe, quam ſolſtitii vernalis tempore. Falſum quoque proinde eſt, autumnalem curatu, in genere, vernali difficiliorem eſſe, neque infra annum deſinere.

Febres quartanae facile in morbos alios graves, praecipue hydropem, icterum, phtiſesque, ſine ulla ſaepe medentis culpa, transeunt.

§. 48.

Febres circuitu redeuntes longiore, diuturnae in univerſum durationis eſſe ſolent, ut unum, immo duos, vel tres perdurent annos: rariſſime interim lethales ſunt, nec corporis vires nimium exhauriunt. Epidemiarum more graſſantur nunquam. Febris quintana celerem quandoque judicationem habet, et ſponte quoque evaneſcit. Interdum ex febre quartana, nec non ex continua oritur. *Stollius* (aphor. p. 134.) febrim quintanam cum quartana aliquoties alternantem, nec non bis febrim obſervavit ſextanam, Boerhaavius autem non raro vidit febres ſeptimanas. Febris quintana phtiſin antecedens, illive accedens, ex *Hippocratis* ſententia, periculoſiſſima eſt et lethalis. Raro interim hoc fieri ſolet. Caeteroquin periculum haud majus, quam quartana, habe-

habere videtur; *Werlhofius*que pro tertiana notha, cujus paroxiſmus unus emanſerit, illam habet, atque bis cortice profligavit peruviano. Febres intermittentes vagae erraticae inprimis ſtatui abdominis pituitoſo, illius indurationibus, abdominibus tumidis vermibus repletis (dicken Wurmbaeuchen) pueris, autumnalique ſuperveniunt tempore; ob methodum medendi pravam, diaetaeque vitia etc. ex febribus intermittentibus regularibus oriuntur, atque utplurimum digeſtionis laeſae ſymptomatibus quibuscunque ſunt ſtipatae. Paroxiſmi ſinguli oſcitatione, pandiculatione, laſſitudine, ſudore foetente etc. horis praecipue nocturnis matutinisque ſe manifeſtant.

§. 49.

Progredimur nunc *ad febrium intermittentium* curationem, quae ante omnia et primario eo redit, ut ſucci corrupti in viis primis moram nectentes, raroque ibidem deficientes per evacuantia debita, certis ſub conditionibus mox *ſurſum*, mox *deorſum* ex corpore eliminentur. Priori ſcopo emetica ſatisfaciunt, poſteriori purgantia.

§. 50.

De *emeticis* ſermo erit prius.

Emetica in genere ibi neceſſaria ſunt, ubi certis ex ſignis in ventriculo colluviem corruptam, ſive febris ab illa, aut haec a febre fuerit producta, morari, plus minusve manifeſte apparet. Signa autem haec ſunt: lingua impura, ſordibus obducta, quae dentes quandoque etiam, palatumque, nec non os totum internum plus minusve conſpurcant, ſapor impurus; ſputatio frequens; halitus oris foetens, neque a dentibus carioſis, neque a gingivis ſcorbuticis productus; ructus nidoroſi; labii inferioris tremor;

ciborum aegroto alias gratorum nauſea faſtidiumque; appetitus proſtratus; vomituritiones vomitusque verus; anxietates; moleſtiae circa cordis ſcrobiculum, quae mox in ſenſatione mere preſſiva tenſivaque, mox urente (ac ſi candentes prunae jacerent ibidem) conſiſtunt; capitis gravedo ſtuporque; vertigo; capitis artuumque dolores; pectoris et ſcapularum dolores punctorii vagi; aurium ſuſurrus; oculorum acies fracta; quin adeo languor ingens; Lipothymiae; mentis aberrationes; convulſiones; artuum frigus; pulſus inordinatus; ſopor etc. Signa haec non ſemper quidem, rariſſimeque cuncta in febribus intermittentibus obſervantur; neque ex fonte ſemper eodem manant; at hic ſemel et pro futuro haec ideo colliguntur, ut, quot diverſi ſaepeque vehementes effectus ex ventriculi ſaburra oriri poſſint, perſpiciatur.

Quando ſaburra indolis praecipue eſt bilioſae, quae, acredinem adepta manifeſtam, ſymptomata creat omnium vehementiſſima; praeter ſigna communia adhuc per oculi tunicae albugineae, cutis, linguae urinaeque flavedinem, inprimis autem per ſaporem amarum, ructus amaros, excretiones ex ore et alvo bilioſas manifeſte proditur; quamvis lingua licet puriſſima, in qua ad ſummum ſpumoſum aliquid reſidet, in ventriculo tamen interdum colluviem bilioſam, ſapore amaro, nec non frequentiſſime tenſione preſſiva raro fallaci in cordis ſcrobiculo ſe manifeſtantem, adeſſe poſſe, notari mereatur.

Dantur nihilominus caſus, in quibus haec quoque, ſignaque reliqua cuncta deficiunt, atque tamen bilis corruptiſſimae copia magna emetici ope evacuatur, indeque febris ſtatim cohibetur tolliturque. Conſtitutio epidemica, emeticorum ſucceſſus ſalutaris,

Digitized by Google

ris, ex caſuum plurium ſimilium analogia obſervatus, circumſtantiaeque aliae lucem hic accendere debent, qua de re tempore alio, praecipue in capite de febribus bilioſis, ſermo erit prolixior.

Pituita tenax per faciei pallorem, urinam pallidam, vitae genus ſedentarium praegreſſum, crudorum, farinaceorum, mucilaginoſorum, indigeſtibilium ciborum ingeſtionem, ventriculi frigus et pondus, vomituque rejecti naturam cognoſcitur. Cruditates pituitoſae, bilioſaeque non raro inter ſe ſunt mixtae, ideoque et eorum ſigna.

Prae ſignis aliis omnibus emetica in febribus intermittentibus a nauſea vomituque extra frigoris ſtadium ſpontaneo indicantur. Praeterea moleſtia quaedam circa cordis ſcrobiculum, quod inprimis aliquatenus tenſum, ſenſibile tumidumque eſt, vomituritioque a cibo potuque quocunque ingeſto cauſata, ſigna ſunt colluviei impurae in ventriculo praeſentis graviſſima.

Aſt non vomitus quicunque febrium intermittentium paroxiſmis ſuperveniens ventriculi ſordes pro fundamento habet, ſub frigore hic utplurimum eſt ſymptomaticus, atque a ventriculi conſtrictionibus ſpaſmodicis motibusque excitatur, in quibus emetica nociva forent. Quare indicationes reliquae, quid ſit agendum, determinare debent.

Emeſis caeteroquin ſpontanea emeticorum uſum minime ſuperfluum facit, quoniam naturae effectus raro ſufficiunt, juſtoque etiam ſunt tardiores. Emeſis unica, arte excitata omnem ſaepe ventriculi ſaburram, ad quam plenarie eliminandam fruſtra diu natura irritabatur, vice evacuat una.

Quando interim ſaburrae praeſentis excernendae conatus naturae vehemens valdopere foret, tepido potu, vel theae conſuetae, vel chamomillae

 florum,

florum herbaeque meliſſae; aut avenae decorticatae decocto, aut aqua mera tepida ut ſublevetur, ſufficere interim poteſt; quibus autem non ſufficientibus, emetica reliquum abſolvant, tunc neceſſe eſt.

Saepe unicum ſufficit emeticum; aſt ſaburrae copia tanta eſſe poteſt, ut, poſt illius operationem, hujus ſigna vel ſe manifeſtare pergant, aut denuo iterum accumuletur; quare emetica ſaepius ſunt repetenda, quod praecipue in febribus intermittentibus epidemicis non raro neceſſarium eſt. Paroxiſmus ſequens poſt vomitum quemlibet continuo lenior plerumque evadit faciliorque.

Saburra in ventriculo praeſens tam tenax interdum eſt, adeoque firmiter ventriculi adhaeret ſuperficiei, ut emetica repetita, directe data, evacuare illam nullatenus poſſint. Hoc in caſu linguae ſordes, quae ideo ſubinde ſicca eſt, tam firmiter adhaerere ſolent, ut nullo adminiculo detergi eluique poſſint, vomendique conatus inanis eſt, ſub omni vomituritione nihil evacuatur. Emetica horrendas hic faciunt anxietates, ſanguis vehementer verſus caput ruit, facileque oriuntur herniae etc. Neque minus emeticum hoc in caſu excretiones ſolummodo promovet alvinas, idque modo interdum violentiſſimo. Materia mobilis vocatur, ſi copioſe neque difficulter expellitur, nec tamen idcirco vomitus ceſſat. In caſu priori materiam tenacem per ſalis cujusdam medii, ſalis mirabilis Glauberi, terrae foliatae tartari, tartari tartariſati, arcani duplicati etc. doſes diverſas, No. 1. 2. 3, atque per potus diluentes copioſos ſolvere eluereque, donec linguae ſordes magis ſolutae appareant, aut, ſi tempus hoc non permiſerit, emeticis ſaltem talia, quae vi ſua ſolvente evacuationem facilitant promoventque, admiſcere, expe-

expedit. Nonnunquam etiam poſt remedium tale ſalſum adſumtum et aliquoties repetitum ſponte ſequitur emeſis indicata, quae jam vomitorii lenis ope augeri facile poteſt. Libenter quoque hunc in finem auctor noſter tartaro emetico, vel per ſe, vel ſali medio admixto, No. 4., ea doſi uti ſolet, ut ab initio nullus inde oriatur vomitus, ſed tantummodo ſordes emolliat, unde poſthac, tartari emetici aut ipecacuanhae doſi ſucceſſive aucta, facili negotio vomitus ſequitur ſufficiens.

Ad evacuationes praeterea praeparat egregie *Riverii* mixtura tartari emetici granis paucis armata, ſic, ut emeſis inde oriatur nulla. In cunctas agit vias excretionibus aptas, et ubicunque convenit. Quando medicamenta evacuantia nihil amplius eliminant, ſordesque tamen manifeſte praeſto ſunt, quod anorexia, lingua impura, febrisque pergens docent, praeſtantiſſimo quadrat modo. Neque minus in febrium incognitarum initio, ſi, quid agendum, ignoratur etc., proficua eſt.

In genere neque emetica, neque purgantia danda ſunt, niſi ſaburra mobilis reddita ſit et ſoluta; raroque mobilis ita eſſe ſolet, rariſſimeque in febribus quotidianis quartanisque. Utrorumque effectus longe tunc facilior, conſtantior ſecuriorque eſt, longe rarius, quod experientia docuit nec mera eſt hypotheſis, evacuationum ſaepius repetendarum neceſſitas oboritur.

Praeter colluviei impurae expulſionem emetica hunc quoque habent uſum, ut corpus univerſum totumque nervorum ſyſtema ſalutari concutiant modo, unde corporis viae excretoriae aperiuntur omnes, ſecretiones promoventur, criſesque facilitantur, quare emeticum unicum plus interdum proficit,

 quam

Digitized by Google

quam purgantia multa; neque raro idcirco emeticum unicum febrim in partu quaſi ſuffocavit, aut paucos poſt acceſſiones, abſque remediis aliis omnibus, ſuſtulit, typumque fixiſſimum mobilem reddidit.

Hinc inde ratio quoque petenda eſt, ob quam, juxta Anglorum frequenter adhibitam methodum, emeticorum doſes parvae, nullas equidem excretiones notabiles, ſed nauſeam perpetuam motusque certos praeternaturales in nervis excitantes, febres quandoque auferant pertinaciſſimas. Saepius libri hujus auctor corticem peruvianum, viis primis licet purgatis, ſcopo non ſatisfacientem, poſt emetici, ratione ulteriori nulla indicati, operationem, opem tuliſſe vidit deſideratam.

Emeticum indicatum quo citius, eo melius, et quidem vel breviter ante paroxiſmum, quod multi ſine ratione culpant, ſic tamen, ut ante paroxiſmi inſultum emetici effectus plenarie ſit finitus, vel etiam, quemadmodum Vogelius, juxta Roſenii, Colombieri Murrayiique (*de tempore exhibendi emetica in febr. int. maxime opport. in ejus opuſc. Vol. II.*) methodum, optimo cum ſucceſſu imitatur, hora dimidia, vel integra poſt paroxiſmum plenarie finitum, transacta, ubi materia evacuanda mobiliſſima eſt, niſi fortaſſe paroxiſmi vehementia aegrotum defatigaverit nimis, quo in caſu illius exhibitio diutius eſt differenda, porrigi debet; ſub paroxiſmo, praecipue ſub frigore, emetici exhibitionem diſſuadet Vogelius maximopere, quamvis Al. Thompſon *r*) ſe paroxiſmi tempore quocunque, ſi nauſea vomituritioque fuerint praeſto, in viginti annorum praxi emetica feliciſſimo cum ſucceſſu exhibuiſſe perhibet. Optimo interim cum emolumento, maximoque cum leni-

r) Med. Eſſ. of Edimb. T. IV. art. 24. p. 407.

Digitized by Google

lenimine natura, ſub acceſſione colluviem impuram evacuare conans adjuvatur leniter; remedia autem efficaciora in apyrexiae tempus ſunt differenda, quo aegroti nullatenus tam vehementer ab illis afficiuntur, eorumque effectus longe perfertur facilius. Turbae ab emeticis ante paroxiſmum datis excitatae opii doſi parva ſopiuntur quandoque utiliter.

Emeticorum neceſſariorum uſum graviditas non vetat, quod conſummatiſſimus auctoris noſtri pater *s*) probavit. Morbus ipſe vomitusque ſpontaneus repetitus majori agunt impetu, quam emeſis unica, arte excitata, qua ſaburra omnis una vice eliminatur, vomitusque ſpontaneus ſequens praecavetur, morbusque ipſe in genere cohibetur. Indicationi interim huic non absque cautela attentioneque ſatis eſt faciendum, quia ſubjecta nonnulla ab emeſi violenter afficiuntur; quoniam, quo brevius a conceptione tempus elapſum eſt, eo abortus facilius eſt pertimeſcendus, quem mulieres nonnullae facile adeo patiuntur, ut irritamentum quodcunque paulo vehementius, inprimis concuſſiones corporis tam violentae omni cura vitari debeant. Menſium aut lochiorum fluxus, indicationum neceſſitate aliquatenus urgente, ab emeticorum exhibitione non facile quoque deterreat auctorem.

Prae-

s) Paralipom. de vomit. uſu in ej. opuſc. p. 196. Similiter hoc in Roux Journ. de Med. T. 39. p. 139. a cel. Emmanuel rationibus nec non obſervationibus idcirco inſtitutis novem affixis confirmatum fuit. Cel. Schäffer (Ortbeſchreibung der Stadt Regensburg, p. 143.) ſe ſub bilis ſuperfluae, aut turgeſcentis indiciis manifeſtis, nec facile dignoſcendis, ſtatim emeticum lene, absque reſpectu ullo ad quotumcunque graviditatis menſem habito, exhibere, neque methodi hujus poenitendae cauſam unquam habuiſſe perhibet.

Praeterea in ſcorbuto *t*), in ventriculi, inteſtinorum hepatisque Scirrho, ſub proclivitate ad apoplexias, in herniis diverſis ab emeticis abſtinendum eſt, neceſſitate urgente illa non aliter, niſi manu cautiſſima, ſunt porrigenda. Neque in ventriculum valde repletum emeticum eſt ingerendum.

§. 51.

Emetica eligi varia poſſunt. Conſuetiſſima ſunt ipecacuanha, tartarusque emeticus. Ipecacuanha per ſe data obſtructam facile relinquit alvum, hoc licet conſtans nihil ſit; ſi vomitum non excitat, alvum aperit; vomitum exadverſo facilius concitat, ſi medicamenta alia, v. g. tartarus emeticus, per inferiora ſolummodo ruunt; praeterea ipecacuanhae effectus non ſufficit, niſi materia mobilis ſatis fuerit, quapropter tartarus emeticus utplurimum illi potius eſt admiſcendus, niſi enim ventriculus valde ſit ſenſibilis, materia valde mobilis, alvusque laxa nimis. In genere quoque tardius operatur ipecacuanha, quam ex antimonio parata remedia, hora tamen plerumque quadrante dimidiave elapſa; eoque prius, quo ſubtilius in pulverem trita fuit, effectus exſerit ſuos. Hoc interim legum inſtar immutabilium non valere, dum medicamentum idem iisdem ſub circumſtantiis absque cauſis manifeſtis in ſubjectis diverſis, diverſo interdum agat modo, animadvertendum eſt. Infantibus II, III, annos natis, ipecacuanhae grana ſex, octo, pluraque tuto dari poſſunt. Pauca illius grana vomitum quandoque jam excitare, non ita pridem obſervatum fuit. Vis haec fortior partim radicis cortici longe reſinoſiori de-

t) Ut vaſa facile fluunt ſanguine in gingivis, ita ſaepe in internis viſceribus: letales hinc viſae haemorrhagiae — inquit *de Haen* in Prael. in *Herm. Boerh. inſt.* path. — T. V. p. 213.

debetur, partim, qua radice ſcriptores proprie ſint uſi, ignoratur (vid. Murray Appar. medic. Vol. I. p. 529.). Quod Laſſone autem et Comitte, poſt diverſa cum ipecacuanha inſtituta experimenta, obſervaverunt, attentione dignum eſt: partem ſcilicet radicis internam ligneam efficacia non minori gaudere, quam radix integra etc. Samml. auserl. Abh. für pr. Aerzte, X. B. p. 283. etc. Hanc ob cauſam ipecacuanhae effectus non ſatis eſt certus, quare caſibus in plurimis nunquam fallens, ejusdemque ſemper conditionis habendus tartarus emeticus praeferri meretur. Quo facilius hic in aqua ſolvitur, eo plures continet partes regulinas, eoque meliorem exſerit effectum. Saunderi obſervationes illum aptiſſime ex antimonii vitro praeparari docent (*obſ. de antim. p. 80. ſeq.*), ubi optima quoque illius praeparandi methodus legitur. J. G. A. Hoepfner (*Abh. über die Bereitung des Brechweinſteins. Weimar 1782.*) antimonii vitrum quoque praefert. Videatur ſimiliter de tartari emetici praeparatione cel. Mönch in Crellii diario chem. (Chem. Journal.) part. II.

Juxta cel. Strackii ſententiam ipecacuanha hanc prae caeteris emeticis praerogativam habere fertur, ut nauſeam nullam debilitatemque, neque ſitim illam urentem ventriculique, ut emetica reliqua, relinquat ardorem (de cruſta lactea pag. 14.), quod autem cel. Vogelius de tartaro emetico quoque obſervavit nunquam. At nunquam coquenda eſt ipecacuanha, coctione etenim vires amittit plurimas. Infuſum contra Caroli Gianella No. 12. cochleatim exhibitum effectum exſerit egregium. Emeticorum formulae reliquae videantur. No. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Tartari emetici granis III — IV in aquae unciis VI — VIII ſolutis ſyrupus quoque gratus admiſce-

miſceri poteſt, cujus ſolutionis omni quadrante dimidiave hora vaſculum dimidium, aut cochlear unum tamdiu ſumitur, donec vomitus ſequatur requiſitus.

In genere caſibus in plerisque melius eſt, ſi emeticorum doſis praeſcripta praebiis bipartitis aut tripartitis omni hora quadrante dimidiave exhibetur, quoniam illorum effectus, iisdem licet in ſubjectis, valde ſaepe diverſus eſt; niſi enim neceſſitas urgens moram pateretur nullam.

Infantibus quoque ſyrupi emetici aqua diluti guttae XII — XXX, adultis uncia dimidia, quin drachmae ſex, nec non aquae benedictae *Rulandi* uncia integra, et ultra robuſtioribus exhiberi poſſunt. Illorum loco Huxhamii vinum antimoniatum *u*) a drachmis III ad X commendationem meretur praecipuam. Aquae benedictae Rulandi drachmae II — III emeſin quandoque jam excitant ſufficientem. Optime ex croci metallorum uncia I in ſpiritus vini Gallici unciis XXX infuſa, aliquot dies digeſta, tumque accurate colata, praeparatur. Vini antimoniati Huxhamii doſin quoque indicata minorem prius ten-

u) Aptiſſime juxta methodum ab illuſtri Baldingero in Pharm. Ed. p. 249. praeſcriptam praeparatur, quae ſequens eſt: Rec. *Vitri antim. in pulv. tenuiſſ. triti unc. I.* affunde *vini ex inſula Madera, vel Hiſpanici unc. XXIV digere, agitando ſaepius per dies XII. Quieſcat per XLVIII horas, tunc decanta et filtra per chartam emporeticam.* Remedium hoc eſt gratiſſimum pariter et efficaciſſimum. A guttis XXX ad LXXX reſolvens eſt maxime egregium, a drachma I ad drachmas III per alvum evacuat leniter, vomitumque interdum excitat lenem, doſibus exhibitum majoribus vomitorii ſaluberrimi inſtar ſecuriſſimique agit. Aromata ejus compoſitionem ingredientia nullius, juxta ipſum Huxhamii effatum, ſunt momenti. Neque ſacharum admixtum quidquam prodeſt. Videantur, quae in cap. de rheumat. deſuper dicentur.

Digitized by Google

tentare, tutius eſt. Guttas XXX emeſin jam excitaſſe, vidit auctor noſter.

Quum, juxta *Mortoni* aliorumque obſervationes, medicamentis ex antimonio praeparatis vis antifebrilis ſpecifica ineſſe perhibetur, eo majorem hic tanquam remedia evacuantia praerogativam, experientia quoque copioſa confirmatam, merentur.

Infantibus aut tartari emetici ſolutio, aut linctus ex oxymellis ſquillitici ſyrupique rhei doſi anatica cum ipecacuanhae granis V — X, aut ſulphuris aurati antimonii tertiae praecipitationis granis aliquot admixtis cochlearis minoris (Theelöffel) praebio proſunt. No. 13.

Emetica commemorata ſufficiunt plenarie, atque pro aegrotantis lubitu circumſtantiarumque ratione varias redigi in formas figuraſque poſſunt.

Emeticis aliis cunctis partim carere poſſumus, partim infida ſunt nauſeoſaque, moleſtiasque creant varias *x*). A vitrioli cyprini drachma dimidia vomitus aliquot ciente, Alſton (Lect. on. mat. med.) duobus poſt aſſumtionem diebus ſaporem adhuc percepit cupreum.

Tandem auctor monet, ne ſumto emetico potus tepidus, cui ſcopo florum chamomillae, meliſſae millefoliique infuſum theaeforme proficuum eſt, ſuperbibatur prius, donec vomituritio adſit revera. Poſt vomitum quemlibet hoc immediate, ſed non ultra vaſculi theani pleni praebium, repetitur. Ventriculus purus eſt, ſi merum infuſum theaeforme vomitu rejicitur. Potus nimius, quin plenarie evacuetur ventriculus, impedit, aut emetici operationem juſto celeriorem accelerat.

Quan-

x) Catalogum illorum videas apud Trnka l. c. pag. 383. ſeq.

Digitized by Google

Quandoque ventriculi inteſtinorumque ſaburram tempore eodem praeſentem indicia produnt. Tali in caſu emetica purgantiaque utiliter combinantur. No. 14. 15. 16. 17. Plerumque autem remediorum horum conjunctim exhibitorum effectus una tantummodo via, ſcilicet aut ſurſum, aut deorſum ſequi ſolet, ideoque ſcopo non facile ſatis ſit ſufficienter; quare remedia utraque inter ſe mixta doſibus adeo diviſis, ut priores emeſis tantummodo, poſteriores autem alvi fluxus ſequatur, exhibere, aut, ſi methodo huic tempus non ſuppeteret, die uno vomitum excitare, altero autem alvum ſtimulare ſatius eſt. Caeterum laxantia leniſſima, ipſamque adeo mannam, ventriculo ſordibus repleto vomitum creare, emeticaque ventriculo puro, inteſtinis autem ſordibus impletis, purgantium vice fungi, obſervatio docuit repetita.

§. 52.

Quando a contra indicantibus emeticorum uſus vetatur, aut ſordes profundius in inteſtinis latent, quod ex functione alvi turbata, quae vel obſtructa eſt, vel nimis laxa, ex fecibus ſecedentibus paucis, acribus, liquidis, abdomine tenſo, inquieto, murmurante, flatulentia, praecipue ex doloribus dorſi, ex artuum inferiorum genuumque gravitate et doloribus etc. dignoſcitur; laxantia eaque ſemper tempore a febre vacuo, potiſſimum ſicut emetica, mox poſt acceſſionem plenarie finitam, aut die intercalari, caeteroquin ſemper tam cito quotiesque neceſſaria ſordesque mobiles ſunt, exhiberi debent. Rariſſime, praeter emetica, his quoque remediis carere poſſumus, eaque febri auferendae nonnunquam ſufficiunt ſola. Eadem febrim quandoque absque excretione qualibet ſuſtuliſſe, typumque fixiſſimum, eme-

emeticorum inſtar, mobilem adeo reddidiſſe, obſervationes docuerunt.

At quanta cum noxa requiſita negliguntur, quantoque tunc opere pertinacior continuo evadit febris, nec non diarrhoeae, dyſenteriae, malaque oriuntur alia, tanta exadverſo detrimenta illorum abuſus creare quoque poteſt. Evacuationes juſto copioſiores fortioresque ac ſine ratione repetitae protrahunt febrim, illam continuo reddunt pertinaciorem, viſcerum obſtructiones praeſentes figunt magis inſolubilioresque faciunt, atque tandem in hydropem, morbosque chronicos alios eosque graves praecipitant aegrotos. Manu incauta poſt febrem ſuperatam exhibita recidivas cauſantur.

Febres praeterea dantur absque omni cauſa materiali indolisque mere nervoſae, evacuationes idcirco nullas, easque ad ſummum leniſſimas tantummodo perferentes, atque in genere indicationes ad ſolutionem alicubi ullam evacuationemque deeſſe omnes poſſunt, ubi, praeter corticem peruvianum, nihil juvat. Si febris fuerit neglecta, apyrexia breviſſima, paroxiſmique ſint vehementiſſimi, ob magnam aegroti debilitatem, febrim corticis peruviani doſibus quibusdam frangere antea, aut laxantibus lenibus, inprimis rheo corticem peruvianum admiſcere, de qua re infra plura dicentur, neceſſe eſt.

A laxantibus caeteroquin lenioribus incipiendum, poſt quae tunc, ſi firmius profundiusque haeſerit materia, ad fortiora eſt progrediendum, quorum ope nunc febres pertinaciſſimae ſaepenumero ſunt profligatae.

Quid de medicamentis paregoricis, quibus Sydenhamus, *Boerhaavius* aliique magni nominis medici poſt evacuationes peractas utebantur, tenendum

ſit, ſuo loco relinquitur; cel. Vogelius his nunquam uſus, alios quoque, ſucceſſu non minus felici, eadem non adhibere videt. Proderunt fortaſſe unico hoc in caſu, ſi poſt febrim abactam purgantium uſus neceſſarius fuerit, ut praecaveatur inde recidiva forte pertimeſcenda, praecipue in ſubjectis valde ſenſibilibus; quamvis auctor, laxantia lenia pro re nata adhibita poſt febrim, rariſſimis in caſibus recidivas cauſari, tunc autem nullatenus, ſi poſt purgantium operationem corticis peruviani doſes adhuc quaedam, omnem certiſſime praecaventes recidivam, praebeantur, ſit convictus.

§. 53.

Laxantia in uſum vocari poſſunt diverſa. *Vogelius* huc refert pulverem coruachinum *y*) omni bihorio

y) Juxta laudes pulveri huic ab *Helvetio*, *Spigelio*, *Wedelio*, *Baglivio*, *Boerhaavio*, *Hoffmanno*, *Kergero*, *Fonſeca*, *Chesnavio*, *Werlhofio*, *Lauttero* aliisque pluribus, tributas, merito hic, cum *Trillero* illius adverſario ſummo, haud adeo rejiciendus cenſeri deberet. Cel. auctoris noſtri pater, posteaque auctor ipſe eodem feliciſſimo cum ſucceſſu ſunt uſi. Aſt diagrydium rite praeparatum, pulvisque ipſe neque ſitu, neque vetuſtate ſit corruptus, oportet, quare ſemper recenter mixtus ex tempore eſt praeſcribendus. *Trillerus* ipſe medicorum celeberrimorum perſuaſione aliquot ab initio annos, optimo cum ſucceſſu, ſe illo uſum eſſe fatetur, pulverisque diu aſſervati, ſituque corrupti ſucceſſum pravum, ab uſu illius ulteriori, poſthac illum deterruiſſe, manifeſtum eſt. Pulverem hunc per ſe innocuum eſſe, effectusque praeſtare indicatos, certum eſt; licet remedia alia virtute et efficacia pari praedita illum reddant ſuperfluum, inprimis ſi de apta ejus miſcela praeparationeque dubium ſuperſit. Praeſcribitur juxta formulam No. 18. *Tiſſotus* etiam antimonium diaphoreticum adverſus *Trillerum* vindicavit. *Von der Epidemie in Lauſanne p. 42.* *Tiſſotus* ibidem perhibet, antimonium diaphoreticum ipe-

horio ad drachmam dimidiam, donec aperiatur aliquoties alvus, exhibitum, praecipue autem mixturam No. 19.; porro in genere ad hanc claſſem pertinent ſalia media.

Cunctis antecellit ſal polychreſtus Seignette, qui absque amaritie omni, ſalibus acidum minerale continentibus propria, omnique ſine moleſtia ab uncia dimidia ad unam et dimidiam exhibitus vires exſerit egregie reſolventes, laxantesque. Quarinus drachmas ſalis hujus octo vel decem iuſculi carnis inſulſi menſura una ſolutas vaſculi theani doſi nauſeoſis delicatisque potandas exhibere prudentiſſime docet. Poterit quoque in aquae fontanae, aut alius deſtillatae unciis aliquot, inque theae coffeaeque potu calido diſſolvi, potionibusque laxantibus aliis admiſceri, qualis eſt No. 20., quae auctori noſtro in uſu eſt quotidiano.

Laxantibus quoque adnumerandus eſt pulvis quidam, quo per plures annos feliciſſimo cum ſucceſſu utitur cel. Vogelius. Saburram tenaciſſimam aufert promptiſſime et quidem omni ſine moleſtia: Rec. *pulv. rhei — Salis ammoniaci* āā *grana XV ad XX, Salis polychreſti Seignette, — Elaeoſachari foeniculi* āā

 drach-

ipecacuanhae effectus tutiores reddendi vi maxima gaudere, ſeque nunquam effectum illius ullum vidiſſe, unde illuſtris venerabilisque *Trilleri* timori ſymbolum ſuum conferre poſſit. In caſibus centenis et ultra Fordyce (Fragm. chir. et med.) febres intermittentes pertinaciſſimas, adverſus quas cortex peruvianus nihil valebat, cum pulvere, pulveri cornachino haud diſſimili, profligavit, quem horas ante paroxiſmum octo exhibebat, et qui ſequens eſt. Rec. Antim. diaph. — cryſtall. tart. aa ſcrup. I diagryd. gr. XII, croci opt. pulv. gr. III — IV M. Huic ſuperbibebatur potio ſequens:

Rec. Aqu. card. bened. unc. II — theriacal. ſimpl. drachmas II — ſaſis abſynth. drachm. ſemis, ſpir. ſal. ammon. ſcrup. ſemis. Syr. papav. errat. drachmas III. M.

drachmam dimidiam m. f. p. Datur omni bihorio pulvis unus, aut pro fortiori quotidie III — IV, debiliorique effectus ſui ratione. Quandoque auctor addit *radicis ari grana V*, pluraque, praeprimis ſi reſolutio efficax neceſſaria eſt. Remedium non minori praeditum efficacia pulvis eſt *Roſenii purgans et antifebrilis:* Rec. ſalis abſynthii — tartari vitriolati, *radicis ari* āā *drachmas V jalappae drachmas XV. Zingiberis albi drachmas II. m. f. p.* cujus doſis drachma dimidia.

Similem effectum habent ſal Sedlicenſe, mirabile Glauberi, Anglicum, ſive Ebſomienſe. Hoc vero omnium eſt nauſeoſiſſimum, impetu majori excretiones ſtimulat alvinas, quare reſpectu hoc reliquis, niſi ubi haec effectum exſerunt nullum, eſt poſtponendum.

Arcanum duplicatum a ſcrupulis II ad drachmam I — tartarus tartariſatus tartarusque vitriolatus — prior a drachmis II ad drachmas VI — poſterior a drachma I ad drachmas usque II, laxantium lenium vice quoque funguntur, quamvis haec raro per ſe et directe hunc in finem, ſed frequentius longe tanquam reſolventia egregia adhibeantur. Quod arcanum attinet duplicatum, praeprimis eo eſt reſpiciendum, ut vitrioli partes metallicae plenarie ſint praecipitatae. Tartarum vitriolatum equidem in viis primis non diſſolvi, particulasque propter metallicas, moleſtias in ventriculo, inteſtinisque varias creare, nonnulli contendunt, prius autem praecaveri poteſt, poſteriusque contradicit experientiae. Solutio ejus fervidam quidem requirit aquam, qualis caloris gradus in corpore noſtro locum non habet; aſt corporis animalis calor continuatus modicus, eadem — licet tardiori — pollet efficacia.

Idem

Digitized by Google

Idem de tartari cremore valet, corporaque multo adhuc fixiora, durioraque ab humoribus noſtris liquefieri obſervamus. Quomodo medici quidam tartarum vitriolatum in ventriculo in cryſtallos formari, ſicque cardialgias vehementiſſimas, vomitum etc. creare, imaginari ſibi adeo poſſint, minime comprehendit auctor. Quando moleſtiae tales oriuntur, illarum cauſa, ſicuti de arcano duplicato dictum eſt, in particulis cupreis huic ſali ob acidum non rite ſaturatum adhuc admixtis, eſt quaerenda.

Laxantia uſitata alia ſunt: Jalappa, manna, caſſia, ſennae folia, tamarindi, magneſia, rheum, tartari cremor, calomel. Ex his formulae diverſae componi poſſunt, quarum exempla ſufficientia tyronibus, No. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. auctor exhibuit.

Laxantia haec non abſque omni diſcrimine adhibenda eſſe, non difficulter comprehenditur. Ubicunque in inflammationem putredinemque ſanguis vergit, quod utrumque in febribus intermittentibus quandoque contingit, ex uſu ſunt tamarindi, caſſia, tartari cremor, ſalia media mannaque; ubi bilis correctio ſcopus eſt primarius, rheum cum tartari cremore ſalibusque mediis conveniunt; in pituita evacuanda praecipue ſalia media, ſal mirabile Glauberi, terra foliata tartari, arcanum duplicatum, tartarus tartariſatus, nec non Calomel, quo poſtremo Lyſon laxandi ſcopo fere ſemper maxima cum utilitate utitur, et quidem ita, ut plerumque verſus veſperam Calomelis grana V — X — temporeque matutino ſequenti potionem exhibeat laxantem, locum habent. Quibus praemiſſis pulverem ſuum antifebrilem ex *corticis peruviani partibus duabus radicisque ſerpentariae virginianae parte una* compoſitum praeſcri-

 bit,

bit, eaque ratione febribus, quarum plures allegat obſervationes *z*), medetur pertinaciſſimis. Ubi acrimonia acida praeſto eſt, magneſia rheo admixta proficua eſt; ubi reſpectus ad acrimoniam ſingularem nullus habetur, jalappa ſennaeque folia, quae tamen non ſine omni agunt calefactione, adhibentur, apteque aliis remiſcentur laxantibus.

Plethoricos in genere a purgantibus difficilius moveri, quorum operatio igitur venaeſectione — ſi neceſſaria fuerit — praemiſſa facilius longe ſuccedit purgantiumque leniorum doſes diviſas in difficulter movendis ſcopo plerumque melius, quam fortiora, ſatisfacere, quamvis ſordibus ad excretionem praeparatis eliminandis purgantis congrui doſis eadem vice una exhibita, efficacia polleat majori, quam doſes illius diviſae, notari praeterea meretur.

§. 54.

Arcana et ſpecifica copioſe olim adverſus febres uſitata, ex meris fere conſtant purgantibus iisque utplurimum draſticis, v. g. *euphorbio*, *mercurio vitae*, *diagrydio*, *gummi guttae*, *reſina jalappae*, *ſcammonio* etc., ex quibus Riverius, Dethardingius aliique *antiquartia* ſua et *febrifuga* praeparaverunt *a*). Indolis ejusdem quoque remedia fere cuncta ſunt, quae veteribus contra febres intermittentes in uſu erant, *tithymalus*, *elleborus* etc. Praeterea cum *pentaphyllo*, *trifolio*, *laſeris ſucco*, *hyoſcyamo mandragoraque* illis medendis operam dabant.

§. 55.

z) Vid. Dan. Lyſon's pract. Abh. von den Wechſelfiebern, der Waſſerſucht etc. Aus dem Engliſchen. Leipzig 1774. 8. pag. 23. ſeqq.

a) Trnka l. c. p. 381. ſeq.

Digitized by Google

§. 55.

Febres quasdam intermittentes ex Baglivii obſervatione *b*) medicamentis laxantibus duplicatas, aut ſymptomatum graviorum acceſſu exacerbatas, quin immo ab illorum exhibitione repetita in febres chronicas hecticasque mutatas fuiſſe, febresque tertianas ſimplices per integrum duraſſe annum, verum eſſe poteſt, ſi abuſive ſineque ratione et indicatione repetebantur laxantia. Sub debita autem illorum adminiſtratione nunquam hoc auctori contingebat.

§. 56.

Febrium igitur intermittentium cura ſub cautelis conditionibusque commemoratis ab evacuantibus ſemper incipienda eſt, quae perſaepe febri tollendae ſola ſufficiunt. Aſt ſubinde illis non obtemperant, earum cauſae profundius latent, ſordiumque viarum primarum ſigna poſt evacuationes repetitas non modo non diſparent, ſed ſemper de novo oriuntur, febremque hac ratione alunt, ejusque ſanationem absque fontis obturatione reddunt impoſſibilem. Quare remediis adhuc aliis, materiam febrilem immediate adgredientibus, ſolventibus, mobilem reddentibus naturaeque illius ex corpore eliminationem facilitantibus, indigemus.

Hoc autem praeſtant remedia ſic dicta reſolventia. Non modo ad materiam tenacem, immobilem, pituitoſam biliosamque in viis primis nidulantem ſolvendam mobilemque reddendam, adhibentur, ſic, ut apyrexia ſaepius prima, quin ſecunda tertiaque, antequam in proxime ſequenti evacuatio tentari cum ſucceſſu poſſit, ſolutioni ſint impendendae, ſed praeterea quoque praecipue ab humorum craſi tenaci,

G 4 pitui-

b) Opp. L. II. c. 10. §. 2.

pituitoſa, in febribus nonnullis quotidianis quartanisque inprimis praeſenti, longeque urgentius adhuc a viſcerum abdominalium obſtructionibus, quarum ſigna interdum manifeſta, interdum autem adeo ſunt obſcura, ut mentis ſolummodo acie ſumma cognoſcantur, indicantur. Si, more ſolito, in hepate latent, excretione alvina plus minusve turbata obſtructaque, cutis oculorumque albugineae tunicae, valdopere tamen interdum palleſcentium — colore flavo, praecordiis tenſis, duris, doloroſis, gravibus, urina bilioſa, quandoque turbida, ore amaro ſiccoque, interdum tuſſi ſicca periodica, pectoris oppreſſione, vomitu repetito ſaepiſſime ab hepatis in ventriculum preſſione oriente, fecibus limoſis, pallidis doloreque obtuſo in hypochondrio dextro, manifeſte produntur. Praeterea in genere phyſiognomia plane ſingularis, oculi turbulenti, ſplendore orbati, languidi, animus dejectus, pulſus tardus, reſpiratio tarda et laborioſa, macies, corporis animaeque pigritia, cordis palpitatio, ſputatio frequens c) etc. vitium ejusmodi in abdomine, et quidem mox in hepate, mox in liene, mox in pancreate, mox in inteſtinis, in utero, in omento meſenterioque, mox in vaſis brevibus ſub cordis ſcrobiculo,

c) Dum in capite hoc exarando occupatus erat *Vogelius*, curae ſuae mulier, jam multis ex annis viſcerum obſtructionibus pertinaciſſimis laborans, committebatur. Symptomata, quibus conflictabatur — maxime memorabilia ſunt ſequentia: 1) per intervalla ſudore topico moleſto, in regione inter ſcrobiculum cordis et umbilicum intermedia, illique directe oppoſita dorſi ſuperficie afficiebatur; ſudor hic ex tempore quodam jam diſparuit, cujus loco ſputatio omni momento repetenda oriebatur, ſalivaque in os indeſinenter affluens ſapore praedita eſt nauſeoſo accurate tali, qualis odor erat ſudoris taedioſus. Symptomata alia plura commemoratione digna occaſione alia ſemet commemoraturum promiſit auctor.

lo, in ventriculo ipſo locisque mox in pluribus ſimul latere, ſuſpicionem dant juſtam.

Aſt infinite alia ex obſtructionibus hisce adhuc oriuntur mala, quorum mentio ulterior tempore fiet alio. His adhuc addendum: ſenſationem quandam fixam alicubi in abdomine pulſu celeri ſtipatam, absque calore ſitique, circumſtantiis caeteroquin paribus, obſtructionem aliquam ibidem latere, probabile facere.

Ex viſcerum autem abdominalium functione laeſa humorum corruptorum affluxus oritur perpetuus, unde febris tamdiu atque ad periculum usque ſummum alitur, donec viſcerum functio libera ſit reſtituta, quae, ſi poſſibilis fuerit, a ſolventibus perficitur remediis. Tunc febris aut evaneſcit ſimul cum obſtructionibus illis, aut character febrilis nervis impreſſus ſolummodo remanet, quem nunc cortex peruvianus, qui, absque remediorum reſolventium adminiſtratione praevia, inutilis eſt noxiusque, certo tollit et efficaciter.

Cortex peruvianus legitime licet — ut videtur — adhibitus, febrim quandoque non vult abigere, quo in caſu viſcerum obſtructiones, quarum ſigna opinione frequentius latent, fere ſemper ſunt ſuſpicandae. Quare remedia reſolventia febres intermittentes, corticis peruviani uſui largiſſimo reſiſtentes, ſuſtulerunt quandoque.

Interdum contra viſcerum obſtructiones remediis reſolventibus efficaciſſimis cedere nolunt, febris perpetuo incrementa capit, aegrotus continuo debilior humoresque acriores evadunt, atque tunc miraculi inſtar juvat cortex peruvianus.

Praeterea dantur caſus, in quibus reſolventia directe adhibita febrim non modo intactam relinquunt, ſed effectus quoque producunt peſſimos; et

hi ſunt, 1) Si indicationes illa exigentes deficiunt omnes; 2) ſi ob febris durationem valde diuturnam cauſamque aliam latentem corporis partes ſolidae adeo debilitatae ſunt et relaxatae, ut absque roboratione illarum efficaciſſima febris in dies pertinacior evaderet; atque 3) ſi humores ex parte ob durationem febris longam tam tenues ſunt et reſoluti, ut reſolutio artificialis quaelibet ſtatum maximopere redderet pejorem.

Neque reſolventia quaecunque quibuscunque proſunt in caſibus. Nonnulla acria, calefacientia et irritantia ſunt. Haec frigidis, phlegmaticis, pigris, exhauſtis, ſenio enervatis, humores pravos corruptosque habentibus, in indurationibus ſcirrhoſis, febribusque autumnalibus, ab aëre frigido humidoque productis, conveniunt. Huc pertinent medicamenta amara, aromatica illorumque extracta, reſinae gummataque, gummi ammoniacum, ſagapenum, myrrhae, hederae, bdellii, guajaci, aſa foetida, ſalia alcalina fixa volatiliaque, ſapo hiſpanicus, belladonna, ſal ammoniacum, radix ari, tartarus emeticus, ſulphur auratum antimonii tertiae praecipitationis, inprimis autem ſulphur antimonii auratum liquidum *d*), tinctura antimonii Thedenii, cortex Mezerei, vinum antimoniatum Huxhamii etc. Porro huc numerandum eſt ſinapeos ſemen, quo medici nonnulli Sueci cum emolumento ſunt uſi, (vid. Murray. app. med. Vol. II. p. 326. Tode Bibl. 7. B. p. 334.) neque minus arnica attentionem meretur (vid. ſoc. Havnienſ. coll. Vol. II. p. 162. etc.).

Sub-

d) Vid. *J. E. T. Guericke* Diſſert. de ſulph. antim. liquido. Erf. 1776. in Baldingeri Sylloge ſelect. opuſc. Vol. III. p. 164.

Subjecta exadverſo juvenilia, plethorica, ſenſibilia, irritabilia, in inflammationes prona, febres vernales, et quae in continuas libenter transeunt, hujus indolis medicamenta minus illorumque uſum continuatum minime perferunt, ſed his melius conveniunt ſalia media, atque ex illis praecipue terra foliata tartari a drachmis II — III quovis die, cujus loco ſal alcali vegetabile aceti, aut citri ſucco ſaturatum, quod vilius longe, neque tamen efficacia praeditum eſt minori, inſervire poteſt, tartarusque tartariſatus doſibus ſimilibus, ſpiritus Mindereri, ſapones vegetabiles, fructus horaei, ova; mel, herbae reſolventes in decoctorum, extractorum, ſuccorumque expreſſorum forma: rad. taraxaci, graminis *c*), ſaponariae, heder. terr. cichor., quinque aper., herbae marrub., etc.; mercurius dulcis.

In caſibus fere cunctis cliſmata repetita diuque continuata proficua ſunt manifeſteque utilia. Pro circumſtantiarum diverſitate ex herbis reſolventibus; ſalibus mediis; aſa foetida; radice valerianae; et aqua calcis vivae praeparantur. Neque minus balnea huc referenda ſunt tepida.

Quantae ſit utilitatis, in caſu dato reſolventia eligere requiſita, exemplum memorabile ex Tiſſoto (*Nervenkr. 3. B. pag. 19. 20.*) probat. Sapo, hellebori nigri extractum tincturaeque antimoniales etc. in hepatis obſtructione tam male cedebant, ut nauſea magna, anxietas flatulentiaque etc. orirentur. *Tiſſotus* balnea tepida, clyſteres, medicamentorum potulentorumque omnium loco, lactis ſerum cum altheae

c) Rad. gram. decoct. in febrib. interm. epid. effectus praeſtantiſſimos vidit *Todenius;* digeſtivo nulli altero ſecundum illud eſſe perhibet idem. Vid. ejus *med. chir. Bibl. V. B. p. 186. IV. B. 2. St. p. 180.*

altheae ſucco, omni die altero mercurii dulcis grana duo, octiduoque quolibet laxans lene ſuadens aegrotum plenariae reſtituit ſanitati.

§. 57.

Inter medicamentorum reſolventium copiam ingentem ſal ammoniacum certis ſub conditionibus primum procul dubio meretur locum; idque eo magis, quum vis illi antifebrilis ſpecifica tribuitur, quam praeter cel. *Muys f*) *Werlhofius*, *Senacus*, *Tiſſotus*, *Medicus*, *Jacobi*, *Hirſchelius*, *Tillingius*, *Loeſecke*, *Lautterus*, *de Waſſerberg* aliique permulti confirmarunt. Utilitas ejus ſumma uſusque caſui inprimis competunt illi, ubi alvus valdopere laxa, viresque, praecipue digeſtio, valde ſunt debilitatae (cui fini aroma quoddam lene, quale chamomillae flores continent, ſalutariter illi admiſcetur) iſtaeque circumſtantiae laxantium uſum prohibent ulteriorem; quoniam alvum non irritat ad egerendum, eamque potius, ſi laxa nimis fuerit, absque noxa tamen, ſordes ſolutas verſus urinae vias determinando, ibidemque evacuando *g*) cohibet. Quin febres adeo cortici peruviano non cedentes ſal ammoniacum profligare perhibetur. At quibus in caſibus fieri hoc poſſit, quantoque opere circumſtantiarum diverſitas, pharmaci utriusque utilitatem praerogativasque determinet, ex praecedentibus patet.

Datur ſal ammoniacum vel in pulveris forma a ſcrupulo I — ad drachmas I — II ſacharo multo tritum (in vaſe porcellaneo) bis terve, apyrexia durante, aut melius in aqua ſolutum deſtillata, ſicuti No. 29., aut aptiſſime in emulſione No. 30., ſi nihil

f) Diſſ. de ſalis amm. praecl. ad febr. interm. uſu.

g) *Rahn.* Adverſ. med. pr. Vol. I.

Digitized by Google

hil aliud huic obeſt formae, hac etenim ratione ſalis ammoniaci ſapor nauſeoſus acerque optime involvitur et abſconditur.

Ubicunque ſalis ammoniaci uſus *h*) juxta cautelas antea deſcriptas locum invenit, ibidem prae omnibus aliis praerogativam procul dubio meretur; in ſenſibilibus autem irritabilibusque ſubjectis, quibus ſal hoc acre, ſub uſu inprimis continuato, moleſtias crearet, ſalia media: alia minus acria ſunt praeferenda, praecipue tartarus tartariſatus, terra foliata tartari, ſal mirabile Glauberi, polychreſtum etc.; et quidem doſibus minoribus, quam ſi laxandi ſcopo exhibentur. Huc quoque abſynthii ſal citratum, potiones ſalinae ad Riverianae mixturae normam praeparatae, ex acido vegetabili ſalibus alcalicis ſaturato conſtantes, cujus generis potio eſt antifebrilis Roſenii, referri debent.

Salia alcalica fixa pura vim habent reſolventem ſingularem, ac ubicunque propter naturam ſuam calefacientem irritantemque locum inveniunt, laudem, ipſis a *Werlhofio*, *Senaco* aliisque tributam merentur. Adverſus febrium intermittentium recidivas *Werlhofio* ſufficiebant ſaepe ſola, *Senacusque* tartari ſal, puriſſimum utpote cunctisque praeferendum, adverſus febres quartanas felici adhibuit cum ſucceſſu.

Per

h) Spiritus quoque ſalis ammon. a *Biſſeto* (Eſſ. on med. conſt. of gr. Brit.), *Ettmullero*, *Hartmanno*, *Allenio*, aliisque, maximopere laudatur, illumque cortici peruviano adeo praefert *Biſſetus*. Datur a guttis XV — ad XLV. Sylvii ſal volatile oleoſum certa quoque ratione huc pertinet, quod ſpiritus eſt ſalis ammoniaci oleis impraegnatus aethereis, remediumque conſtituit per ſe gratum, ob ſaporem et odorem laudabile, non abſque irritamento agens notabili. Doſi guttarum XII — XX praeſcribitur. His autem remediis ſine noxa carere poſſumus, quippe quorum uſus ad caſus reſtrictus eſt rariores.

Per ſe locum non habentia, medicamentis commode admiſceri poſſunt aliis.

Neque minus vires, quas in febribus pertinacibus aquae minerales acidae praeſtiterunt, huc ſunt referendae.

Salia haec pura alcalina prae remediis calcinatis, terreis, ignis tortura alcalinam adeptis naturam, qualia ſunt *ſpecif. antifebr. Cr.*, *ſal febrifugum ph. Bat.* aliaque plura, praerogativam merentur procul dubio manifeſtiſſimam. His commode ſatis carere poſſumus, inprimis, quum, doſi data juſto majori, aut vetuſtate corrupta, facillime cardialgias moleſtiasque creent alias.

Ari radix inter medicamenta quoque reſolventia locum adhuc obtinet praecipuum. Diſcutit et aperit egregie, ventriculi cruditates corrigit, digeſtionem promovet obſtructionesque reſolvit. Aptiſſime in pulveris forma a ſcrupulo I ad drachmam I vel ſola, vel remediis admixta congruis aliis, praeſcribitur. Illuſtris Vogelius pulvere Nro. 31. magno nonnunquam cum emolumento uſus eſt. Quoniam vero inſigniter irritando agit, caſibus haud convenit omnibus.

Remediis illis reſolventibus multa adhuc alia magno olim in pretio habita, et adhuc hinc, illinc partim cum ſucceſſu adhibita, adnumerantur, ſcilicet *ſal febrifugum Sylvii*, *ſal mar.*, *febrifugum Kergeri*, *arcan. duplic. Mynſ.*, *Millepedes* etc.

§. 58.

Tranſimus nunc ad corticem peruvianum, qui, praeter medicamenta pauca alia, mercurium in lue venerea, belladonnam in rabie canina — remedium unicum eſt, ſpecifici nomine jure inſigniendum, quippe qui, ſi neque adulteratus, neque nimis vetuſtus,

ſtus qualitatibusque cunctis, quas ab illo requirit Werlhofius *i*) fuerit inſtructus, ſi porro tempore juſto, quantitate ſufficiente reſpectuque caeteroquin quolibet, modo plenarie legitimo, adhibetur, febres intermittentes quaslibet, fere ſine exceptione, tempore quovis cunctisque in hominibus, ſi idioſyn-

i) Obſ. de febr. p. 83. Conf. quoque *Murray.* App. med. Vol. I. p. 553. *Rahn* l. c. p. 6. *Spielmann* Mat. med. p. 252. *Medicus* Beob. 2. B. p. 340. *Roſén* Kinderkr. überſ. von *Murray.* 4te Ausg. p. 187. Vid. etiam *die Geſchichte der Chinarinde und ihrer Würkungen, kritiſch und practiſch entworfen in Baldingers Magaz. II. St. pag. 993. 12. St. pag. 1089. Zuſatz im 5. B. 2. St. p. 157. ſeq. Die Geſchichte der Chinarinde noch fortgeſezt in Baldingers neuem Magazin* 7. B. *6. St. p. 541. ſeq.* — egregia quoque circa corticis peruviani hiſtoriam collectio extat *in med. transact. Vol. the third, No. 12.* in cortice eligendo nemo providus ſatis eſſe poteſt, de bonitate illius autem certus ſit abſolute oportet, qui effectus inde expectare voluerit indubitatos. Pharmacopoeo hoc reſpectu fides rariſſime eſt tribuenda. Optime corticis peruviani ſpeciei fragmenta craſſiora lignea ſunt intermixta, quae caute ſeligi ac ſeparari, corticisque tenuiſſimi tenerrimique ex arboribus nullatenus annoſis deſumti in uſum aſſervari debent. Quo ſubtiliores illi ſunt tenuioresque, eo in pulverem pollinemque rediguntur facilius. In pulverem autem ſubtiliſſimum cortex peruvianus tritus ſit oportet. Cortice tali, cujus fragmenta ſingula ſelecta ſunt, utitur *ill. auctor* illiusque effectus quotidie experitur ſaluberrimos. Cortex talis rariſſime alvum obſtruere, aut ventriculo moleſtias faceſſere obſervabitur, quum *cel. Vogelius* contra a ſpecie illius viliori feces duriſſimas, aſſulis conglutinatis haud diſſimiles, excretas viderit.

Arborem corticem peruvianum nobis ſuppeditantem, ſub aequatoris hemiſphaerio ſeptentrionali, et quidem in inſulis commode ſitis. creſcere, ſic ut medicamentum hoc graviſſimum facile et ſine opera multa inde in Europae commodum transportari poſſit, timoremque idcirco penuriae hujus remedii nobis inſtantis, inanem eſſe, ſatis jam ſuperque omnibus notum eſt.

Digitized by Google

ſyncraſias paucas, easque rariſſimas, conſtitutionesque forſitan aliquas epidemicas exceperis, infallibiliter, perfecte, cito, tuto feliciterque ſanat. Verum enim vero longiſſime abeſt, quin febribus intermittentibus cunctis, earumque periodis quibuslibet conveniat; igiturque ſaepe non prodeſt ibi, ubi medicamenta alia proficua ſunt; nocet, ubi non convenit, ubi vero convenit, juvat certiſſime. Mediante vi ſua ſpecifica cauſam febris proximam, characterem nervis impreſſum ſic dictum febrilem, quem nihil aliud cum certitudine aufert, quamvis, cauſa materiali expulſa, ſponte quandoque evaneſcat, tollit.

Quando igitur febris intermittens remediorum laxantium ſolventiumque uſui in praecedentibus accurate ſatis determinato, ſordibus licet cunctis ablatis, cauſaque materiali omni ex corpore eliminata, cedere non vult, nihil cortice peruviano citius juvat tutiusque. Quali hinc methodo hic ſit praeſcribendus, in praeſenti docebitur. Cortex peruvianus in pulveris, mixturae, electuarii, decocti, infuſi ſpirituoſi aquoſique, boli, extracti, tincturae, linctus, ſalis ſic dicti eſſentialis, forma; externeque in clyſteribus, fomentis, balneis, amuletis etc. praeſcribitur.

Pulvis vel per ſe, vel in mixturis, ſi ventriculus illum digerere poteſt, efficaciſſimus eſt, quippe in quo vires cunctae ſunt combinatae, illeque idcirco etiam omnibus praeparationibus aliis *k*) inprimis in febri-

k) Deſcriptio illarum recenſioque accurata extat apud Rahn. l. c. p. 50. ſeq.

Pulveris *drachma una* eadem efficacia pollere perhibetur, quum illius *drachmae duae* aqua decoctae, ejusdem reſpectu reciproco extracti (quod digeſtionis ſolius ope, ſi vires inde expectare velis, praeparandum eſt), *ſcrupulus unus*, *tinctu-rae*

febribus intermittentibus, praeferri meretur, quoniam in particulis volatilibus, aromaticis, gummi-reſinoſis, ſub praeparatione quacunque plus minusve avolantibus, vis antifebrilis primaria reſidere videtur. Ejus ſapor addita cinnamomi, ſacharive, aut liquiritiae radicis portione quadam aptiſſime corrigitur. Doſis ejus ordinaria a drachma dimidia ad drachmas usque duas intervallis longioribus brevioribus-

rae ſpirituoſae uncia una, ſalis eſſentialis grana quatuor praeſcribi debent, quamvis praeparationum diverſitas quantitatem hanc reciprocam reddat incertam. Nonnulli pulveri decoquendo, ut decocti color clarior evadat, corticisque peruviani particulae eo ſolvantur perfectius, ſalis tartari portionem quandam addere ſolent; aſt, ut ſilentio prematur, ſalem hunc, calefacientem utpote, doſi licet additum minima, non ubique convenire, partes quoque conſtitutivae, aqua excoctae, facile praeterea inde praecipitantur iterum. Plerumque pulveris uncia una in aquae libra una et dimidia, aut libris duabus ad partis dimidiae tertiaeve evaporationem coquitur, colaturaeque ſacharum, vel ſyrupus quidam ad ſaporis gratiam admiſcetur, decoctique hujus cochlear unum, aut patella integra horis ſtatutis exhibetur. Si decoctum efficaciſſimum efficere volueris, ſique circumſtantiae requirunt, ut corticis peruviani quantitas maxime poſſibilis corpori ingeratur, ſicuti in febribus putridis: pulveris adhuc quantitas quaedam decocto addenda, extractique copia tanta, quantam in ſe recipit decoctum, in eodem eſt diſſolvenda. Si decoctum ante colaturam refrigueerit: colorem quidem gratum, clarum pellucidumque obtinet, partes autem efficaciſſimae reſinoſae, colatorio adhaereſcentes, decoctum non ingrediuntur, illudque longe idcirco evadit debilius. Extractum nauſeam creat minimam, praecipueque infantibus ſyrupo grato dilutum optime propinatur; illius autem effectus, ubi in partibus corticis peruviani volatilibus aromaticisque cardo vertitur, niſi frigide praeparatum fuerit decoctum, longe illo inferior eſt. Pulvere decoctoque alvum conſtipantibus, ab extracto ſumto fluxam eam-

ribusque praeſcribitur. In genere autem corticis peruviani quantitas exhibenda, illiusque uſus continuandus aegroti viribus, febris vehementiae periculoque, nec non apyrexiae durationi longiori breviorive accommodari debent; proutique corpus purius eſt, febris brevior diuturniorque fuerit, recidivaeque ſaepius ſint ſecutae, febrisque in continuam vergere videtur, tempeſtas, et anni tempus humida aut ſicca ſunt, nec non prouti cortex peruvianus melius pejusve perfertur, eo majori minorive doſi, temporeque

eandem manſiſſe, interdum obſervatum fuit. Tincturae ſpirituoſae ob vehiculum calefaciens non facile doſi ſufficiente dari poſſunt, corticisque peruviani partes conſtitutivas optimas continent minime. Tinctura volatilis, ſpiritus ſalis ammoniaci ope praeparata, vix corticis ſaporem continet coloremque. Infuſa frigide parata decocto ad minimum aequipollent; hac autem praedita ſunt praerogativa, ut clariora longe ſint corticisque peruviani partes conſtitutivas accuratius ſolutas contineant. Evaporata extractum largiuntur praeſtantiſſimum, uniceque efficax. Pulveris groſſioris unciae I, aquae communis aut deſtillatae librae II affunduntur ſeduloque agitando horas reponuntur XXIV. Si corticis peruviani copia major ſumitur, mixtumque hoc diligenter agitatur et concutitur, tempore longe breviori infuſum obtinetur aeque efficax, cujus quantitas dupla reſpectu virium ſuarum, cortici peruviano, in pulveris forma praeſcripto, quam proxime aequipollet. Infuſa vinoſa potibus ſpirituoſis adſuetis, ac ubicunque ſpirituoſa locum caeteroquin habent, proficua ſunt. Sal eſſentiale, quod nihil aliud eſt, quam extractum ſiccum, viribus equidem bis terque majoribus, quam extractum commune, pollet, longe autem pulvere inferius manet; quoniam partes reſinoſae permultae, poſt infuſiones repetitas remanentes, perduntur. Drachma praeterea illius unica duos fere conſtat imperiales. Electuaria maximam partem ob ſaporem nauſeoſum amaro dulcem diſplicent, cortex peruvianus diutius relinquitur in ventriculo indigeſtus. Idem mucilagine quadam v. g. gummi tragacanthae, in electuarium aut bolum redactum, ſaporem ſuum optime abſcondit faciliusque ſolvitur.

reque longiori aut breviori ille continuandus eſt. Quare exactum in genere corticis peruviani ad debellandam febrim pondus perfecte accurateque determinari nequit. Tantum ſcimus, corticis peruviani uſum utilem non ad pondus certum, quod excedere non liceret, reſtringi, quoniam ponderis exceſſus noxius locum haud facile invenit, quum doſis contra juſto minor non modo non juvet, ſed ſequelas adeo noxias, a febre imperfecte ſuppreſſa ſemper relictas, habet.

Quo corticis peruviani doſes ſunt majores, eo certius, tutius perfectiusque febrim ſanant, neque ullis uſus illius terminatur limitibus, niſi febris ceſſatione perfectiſſima. Plerumque corticis peruviani in intervallo quolibet exhibendi copia in febribus quotidianis a drachmis duabus ad unciam unam, in febribus tertianis ab uncia dimidia ad unciam unam, in febribus quartanis ab uncia una usque ad duas adſcendit uncias. Corticis igitur uncia una dividitur in partes XVI — XII aut VIII aequales, quarum doſis una omni horae quadrante, usque qualibet hora quarta, ſumitur. Quo apyrexia brevior eſt, eo corticis peruviani doſis major eſſe, intervallisque eo brevioribus ille exhiberi debet. Ipſo in paroxiſmo, inprimis ſub frigore, non convenit. Apoplexiae inde lethales in frigore ſunt obſervatae. Nonnulli eundem paroxiſmi caeteroquin tempore ſine noxa ſe exhibuiſſe perhibent; atque caſus occurrunt revera, in quibus periculum ſubitaneum imminens cautum hujus generis periculum non modo admittit, ſed etiam neceſſarium facit, in febribus nempe, quarum apyrexia fere tantummodo remiſſio, aut ita tamen brevis eſt, ut ſe fere contingant paroxiſmi. Hic periculum adeſt ſummum, fore, ut febris intermittens transeat in continuam. Quod ut praecaveatur,

 cor-

cortex peruvianus, juxta medicorum experientiſſimorum praecepta, antequam adhuc paroxiſmus plenarie ſit finitus, ſimulac aeſtus ſummus remiſit, ſtatim, doſibus magnis intervalliſque ſub breviſſimis, quovis horae quadrante dimidiave hora, maximo exhibetur cum emolumento. Hic cortici, ad febris intermittentis tamen in continuam tranſitum praecavendum ſumme neceſſario, tempus aliud ſupereſt nullum. Praeter hanc exceptionem apyrexia ſola corticis uſui eſt deſtinata, et quidem ita, ut poſt plenarium paroxiſmi finem cum doſi incipiatur prima, atque tunc pro febris conditione, omni hora, bihorio trihorioque in apyrexia qualibet illius uſui tamdiu inſiſtatur, donec febris ſit ablata *l*).

At ibi quoque, ubi neceſſe eſſe videtur, in febribus inprimis chronicis, viſcerum obſtructionibus cacochymiisque ſtipatis, corticis peruviani doſibus maximis non ſemper incipiendum, ſed ab initio doſes minimas, easque ſub intervallis haud adeo brevibus, porrigendas, atque tunc ex euphoria majori minorique, num illius doſis ſucceſſive augenda, aut ille plenarie ſit ſeponendus, rite dijudicandum eſſe, attentionem meretur maximam. Quo majori cum cura

l) Corticis peruviani poſt paroxiſmum exhibiti doſin eandem febrem, cui ante frigoris ſtadium doſibus diviſis omni hora exhibitus, tollendae impar eſt, tollere, experimentorum XIV ſucceſſus *cel. Home* (cliniſche Verſuche, aus dem Engl. Leipz. 1781. pag. 1. ſeq.) docuit. Paroxiſmum tunc exaſperare potius videre, vomituque interdum rejici, perhibet idem. Corticem, ut operetur, tempore indigere, quum paroxiſmum plerumque demum ſecundum auferat, inde apparet. Igiturque etiam ſolvi debere, in vaſorum ſyſtema transire ibidemque effectus ſuos primarios producere, per conſequens non in ſolos ventriculi nervos agere videtur. Horae XV aut XVI ad facultatem cortici peruviano tribuendam, ut effectus exſerat ſuos, ſufficere videntur.

cura corpus viaeque primae ſunt purgatae, eo cortex ſalubrior eſt, eoque minor illius quantitas ſufficit.

Quo contra febris diutius jam duravit, quo frequentiores jam recidivas fecit, eo corticis peruviani doſes majores eſſe, eoque continuari diutius debent. Verum hoc ipſo in caſu illius uſus cautelam requirit majorem, quia ob febris durationem diuturnam, ob ſanguinem diſſolutum, viſcerumque functiones laeſas, ſordes continuo accumulantur plures, quae maxima ex parte in vias deponuntur primas. Inde ſimul regula derivatur, febrem intermittentem quamcunque, indicationibus praeviis impletis, quam citiſſime fieri poteſt, cortice peruviano profligandam eſſe, quoniam ob tot impedimenta poſſibilia, corporis conſtitutionis, regiminis, obſequii aegrotantis, conſtitutionis epidemicae, anni temporis etc. reſpectu, febris ſolutio ſpontanea aut methodo quacunque alia perficienda rariſſime eſt expectanda. Eo autem febris curationi citae opera major navanda eſt, quo illa eſt malignior, quoque magis, aegrotum inſultus haud amplius multos toleraturum eſſe, timendum eſt, quemadmodum etiam in graviditate nihil in toto terrarum orbe abortus periculum avertere poteſt, niſi febris ſanatio citiſſima, remedio nullo, cortice celerius peruviano abſolvenda.

Poſt uſum corticis peruviani indicatum paroxiſmus ſequens ordinarie non redit; at febris tunc in genere emanſurae certitudo adhuc habetur nulla; quare cortex peruvianus per dies adhuc aliquot, quibus revertere febris ſolebat, totidemque per apyrexias, atque diutius eſt continuandus, tunc corporis totius vires labefactatas, organa praecipue digeſtioni dicata reſtaurat egregie, cui ſcopo, praeter diae-

tam adaequatam, motus adhuc corporis moderatus, vinique generoſi veteris hauſtus inſerviunt ſatisfaciuntque.

Quando autem ſecuriorem adhuc inire viam velimus, id, quod praecipue in febribus nonnullis epidemicis autumnalibusque, quae prudentiſſime licet tractatae recidivare nihilominus libenter ſolent, neceſſarium eſt; tunc *in febribus tertianis* octo elapſis diebus, poſt quos ſuſpicio febris ne minima quidem ſupereſſe ſanitasque uſu corticis peruviani modo expoſito reſtituta plenarie videtur, illius uſus denuo auſpicandus, atque per dies integros octo, bis terve quotidie, aut diebus alternis a ſcrupulo uno ad drachmas usque binas, horis praecipue duabus ante, aut ipſo ſub tempore, quo paroxiſmus accedebat olim, eſt continuandus. Si febris propter conſtitutionem epidemicam, aegroti idioſyncraſiam tempeſtatisque conditionem etc. in recidivas valdopere prona, aut corpus ob febris pertinaciam valde enervatum, neque aegrotus in regimine ſuo ſatis eſt providus, methodus procedendi eadem de novo, poſtque dies octo alios iterum eſt repetenda. In *febribus quotidianis quartanisque* repetitio haec poſt dies XIV ſemper tantummodo obſervatur, ſic, ut die XV, XVIII, atque XXI, quippe quibus paroxiſmi redibant olim, corticis peruviani drachmae duae, tres pluresque verſus acceſſionis tempus exhibeantur. Periculum removetur omne, ſi doſes eaedem reliquis quoque ſeptimanae diebus febre vacuis porrigantur. Quando tempore illo, dum hoc fit, motuum febrilium indicia quaedam, ſub corticis peruviani uſu cum hac hebdomade iterum diſparentia, apparent, febrim recidivaſſe corticisque idcirco repetitionem neceſſariam fuiſſe, ſignum eſt certiſſimum, atque tunc in febribus tertianis ab octiduo ad octiduum, in febribus autem

quoti-

quotidianis quartanisque a diebus XIV ad dies XIV, idem procedendi modus eſt repetendus, donec pathematis febrilis veſtigium ſe manifeſtet ne minimum quidem. Plerumque autem repetitio ſolummodo unica eſt neceſſaria.

Si febris indolis eſt mixtae, ideoque pertinacioris, poſt dies decem corticis peruviani uſus iterum auſpicandus, diesque VII — VIII — pluresque eſt continuandus. Maximopere methodus haec illi praeferenda eſt, juxta quam, poſt febrem immediate ſublatam, corticis uſus dies hebdomadasque plures continuas continuatur, hac quoniam ratione febris recidiva non debito praecavetur modo, milleque in ſanitatis ſtatu excitantur turbae.

Si ſenibus praeterea, debilibus tenerisque in febres pronis intermittentes ſub tempeſtate humida autumnali praeſervationis cauſa corticis peruviani doſes minores quotidianae, id quod ſumma fit cum euphoria — habeantur ratae: dierum nonnullorum intervallis corticis peruviani uſum, ut effectus illius efficax in corpus conſervetur, intermittere, congruum eſt.

Quandoque paroxiſmus proxime ſequens, cujus ceſſatio poſt corticis peruviani uſum inceptum expectabatur, celerius redire magisque exacerbari ſolet, quod corticis peruviani doſibus non ſufficienter magnis plerumque tribuendum eſt. Verum enim vero hoc minime eoque minus deterrere debet, quum paroxiſmus hic, ſi cortex jam doſibus exhibeatur majoribus, ultimus plerumque ſoleat eſſe.

At corticis peruviani uſus leges adhuc requirit longe plures, ejusque uſus et utilitas non ad illos ſolummodo caſus, in quibus ab omni colluvie corpus

plenarie purgatum eſt, viſcerumque obſtructorum ſigna quaecunque ſunt ſublata, reſtringuntur.

Febris interdum viſcerum obſtructiones cauſatur, vel easdem valde depravat, atque ad periculum usque ſummum depravaret, niſi, corticem peruvianum, reſolventibus remixtum medicamentis, febri tunc obſtructionibusque tollendis vi medicatrice pollere efficaci, experientia docuiſſet.

Pari modo cortex peruvianus icteris absque hepatis obſtructione, a ſpaſmis ſolummodo febrilibus orientibus atque cum febre ordinarie intermittentibus, egregie medetur. Si remedia evacuantia et reſolventia juvare nolunt, icteros hosce cortice nihil promptius ſanat. Sulphuris lacti, rheo, ſaponi hiſpanico nuptus egregios tunc exſerit effectus, in quorum connubio in caſibus quoque peſſimis, periculo febris ſummo viriumque jactura ingenti, in ipſis hepatis obſtructionibus tutus eſt et neceſſarius.

Exempla porro haud rara ſunt, in quibus omni ſub evacuatione ſordes nihilominus in vias primas affluunt perpetuo, et absque remediorum reſolventium cunctorum reſpectu viſcerum obſtructorum ſigna tamen pertinaciter progrediuntur, aegrotusque interea in dies debilior miſeriorque, ſtatusque in genere perpetuo evadit periculoſior. Hoc in caſu corticem peruvianum vel ſolum ac per ſe doſibus exhibere maximis, vel remediis indicationibus gravioribus reliquis ſatisfacientibus admiſcere, abſolute neceſſarium eſt, donec natura eo usque fuerit ſuffulta, ut ad febrim ejusque fontes ſuperandos cooperari poſſit efficaciter. Si cortex peruvianus indicationibus febris ſecundariis revera foret contrarius, malorumque febri adſociatorum exaſperatio inde timenda videretur, hoc tamen conſiderationem idcirco meretur nullam, quo-

Digitized by Google

quoniam febris malignitas absque cortice peruviano mortem, jam fortaſſe praecavendam, inevitabili cauſaretur modo.

Corticis praeterea peruviani effectus noxios accuſatos, plurimis in caſibus parum pertimeſcendos eſſe, experientiae quoque docent copioſae. Neque obſtruit, neque irritat, excretionemque notabilem nullam ordinarie producit, neque eandem, ſi critica fuerit, turbat, ſed potius, naturae vires roborando, promovet, quod ſudores illi foetidi craſſi, urina illa copioſa craſſa coctaque ſub illius uſu excreta extra omnem dubitationis aleam ponunt.

Eo in genere cortex peruvianus eſt neceſſarior, quo minus a naturae viribus ſperari poteſt, quo febris diutius jam duravit, quo ſubjecta debiliora, teneriora magisque ſunt cacochymica, quo intervalla a febre vacua longius durant, quo anni tempus pejus, tempeſtas humidior frigidiorque atque conſtitutio epidemica eſt malignior. In caſibus hisce cunctis morbi periculum corticem peruvianum vel ante remedia commemorata reliqua, vel cum illis, vel poſt illa urgentiſſimo indicat modo.

Cortex peruvianus per ſe et abſolute neque additamentum quoddam, neque praeparationem alicubi aliquam, niſi haec ſpecialiter indicetur, requirit, remediaque reſolventia, evacuantia ac quaecunque alia tunc potius nocent.

Ubi igitur neque in partibus ſolidis, neque in fluidis vitium aliquod detegi poteſt, neque cauſae alicujus materialis ſignum ullum praeſto eſt, quales febres qnandoque in ſenſibilibus irritabilibusque plenarie caeteroquin ſanis ſubito ex meris animi affectibus, terrore, timore etc. oriuntur, quid hic praeparatio quaecunque prodeſſet? Statim hoc in caſu

 cor-

Digitized by Google

cortex peruvianus absque ullius adeo paroxiſmi expectatione dari, remediisque motus ſpaſticos nervorumque mobilitatem nimiam ſopientibus remiſceri ſalutariter poteſt, quem in finem opii aut laudani liquidi Sydenhami, aut caſtorei doſis parva proficua eſt. Interim tamen non nocebit caſibusque in plurimis via erit tutiſſima, quando et hic purgans lene praemittetur.

Caſus contra occurrunt permulti, in quibus cortex peruvianus, directe datus, maxime nocivus foret, ideoque, antequam exhibeatur, conſideratio circumſtantiarum accuratiſſima neceſſaria eſt.

Quando corpus viaeque primae ſordibus adhuc turgent multis, naturaque eo usque nondum labefactata eſt, ut virium conſervatio febrisque ſuppreſſio ante omnia neceſſariae forent urgentesque: cortex peruvianus peſſimos produceret effectus, praeterque oppreſſiones vehementes, anxietates, abdominis inflationem, vomitum, diarrhoeas moleſtiasque multas alias, febrim continuo magis figeret, fundamentumque ad morbos chronicos periculoſiſſimos poneret; quemadmodum in viſcerum obſtructionibus, quae febrim nutriunt et ante illam jam praeſto fuerunt, directe datus, cachexias, hydropem, tympanitidem, phtiſes malaque alia inſanabilia inevitabili cauſatur modo.

Febres intermittentes quandoque tempore hyemali vernalique craſeos ſanguinis inflammatoriae ſignis manifeſtis ratione diverſa, quin adeo inflammationibus topicis veris pleurae, pulmonum, oculorum, veſicae urinariae, catarrhis rheumatiſmisque ſtipatas eſſe, ſupra jam monitum fuit, ſignaque, ex quibus ſtatus hic dignoſci queat, ſunt expoſita. Febres tales corticem peruvianum nullatenus perferunt,

quippe

quippe qui has mutat in febres acutas, recidivas cauſatur peſſimas illarumque acceſſiones duplicat et protrahit, donec remediis antiphlogiſticis, venaeſectionibus *m*), laxantibus lenibus medicamentisque refrigerantibus inflammationis ſuſpicio quaecunque ablata, pulſusque in apyrexia plenarie quietus fuerit; hic autem caſus illi ſunt excipiendi, in quibus inflammatio topica vera cum febre intermittente ordinarie intermittit, cum paroxiſmis redit, atque cum illis, niſi plenarie, maxima tamen ex parte iterum diſparet. Febres iſtae, remediis antiphlogiſticis efficaciſſimis, venaeſectione, purgantibus refrigerantibus, breviter praemiſſis, apyrexiae tempore doſibus corticis peruviani largiſſimis ſunt adgrediendae, ſimul tamen inflammatio attentionem requirit perpetuam, ac pro illius conditione et ſede remedia temperantia, aperientia, reſolventia, emollientia et expectorantia cortici peruviano ſunt commiſcenda. Taliter Huxhamius, Hoffmannus aliique hisce in caſibus cortici peruviano nitrum ſaluberrimo admiſcuerunt modo. Neque etiam remedia externa ad inflammationis reſolutionem neceſſaria, qualia ſunt fomentationes, veſicatoria etc. ſunt negligenda.

Aſt prudentia opus eſt, ne in febrium harum diagnoſi error committatur, neque typus quilibet, non aperte remittens aut intermittens, corticis peruviani

m) Comm. german. Bibl. T. LVI. part. 2. p. 430, Cenſor quidam, febrem intermittentem inflammatoriam tam gravem eſſe, adeoque celerem venaeſectionis, ejusque etiam interdum repetitae adminiſtrationem requirere, ut ſine illa aegrotus perditus ſit, aut in febrem incidat maxime degenerem, quia medicus febrim ſolummodo intermittentem, neque autem febre intermittente affecti ſtatum univerſum conſiderat, veriſſime docet. Cenſor idem viri vice quarta febre intermittente laborantis venam die eodem bis aperiendam praeſcribere debuit.

Digitized by Google

viani habeatur indicatio, cum paroxiſmo quolibet quaſi inflammationis criſis ſequi debet. Ejusmodi epidemias, in quibus cortex peruvianus maximopere noxius erat, *Sarcone*, *Stoerckius*que obſervarunt *n*). Si diatheſi inflammatoriae colluvies adeo bilioſa adſociata eſt, quod quibusdam in epidemiis facile contingit, neceſſario venaeſectio praemittenda, tunc evacuatio inſtituenda, neque cortex peruvianus prius eſt adhibendus, donec bilis inflammatioque ſunt ablatae, febrisque perfecte intermittit.

Praeterea ſi febres intermittentes morbis epidemicis aliis aſſociantur, aut his intercurrunt ſeorſim, curationem priori in caſu ſemper, in poſteriori utplurimum, morbo epidemico accommodandam eſſe, atque ſi febris methodo huic medendi tamen nondum ceſſerit, quod tamen haud raro fieri ſolet, corticem peruvianum non prius, quam character febris peregrinus plenarie ſit ſublatus, convenire, regula eſt generalis.

Si febres intermittentes naturae ſunt putridae ſaburraque in viis primis ſtipatae putrida, quod ex ſignis ſuis facile dignoſcitur: remedia antiſeptica efficaciſſima, inprimis laxantia lenia acidula requiruntur, neque cortex peruvianus prius proficuus eſt, quam cauſa materialis quaecunque ſublata febrisque in intermittentem puram fuerit mutata; niſi enim periculum maximopere urgeat, ſanguinisque maſſa ipſa putredine ſit correpta, adverſus quam cortex peruvianus acidis praecipue nuptus mineralibus haud pridem medicamenti inſtar efficaciſſimi cognitus eſt, praeprimis ſi Lindii Tortique doſibus exhibeatur magnis, qua de re ſub febrium putridarum deſcriptione ſermo erit prolixior.

Si

n) V. Rahn l. c. p. 172. ſeq.

Si vermes fuerint praeſto, febris haud prius, quam his expulſis, corticem perfert peruvianum. Scopus hic re nulla facilius efficaciusque obtinetur, quam Stoerckii electuario anthelminthico *o*), quod apyrexiae tempore toties repetitur, donec vermes expellantur. Si remedio huic, licet ſufficienter purgaverit, non cedant, optimo ſaepe cum ſucceſſu corticis peruviani tantum additur, quantum febris requirit, aut mercurius dulcis quoque ea doſi, eaque adhibita cautela, ut ſalivatio nulla ſequatur, cortici admiſcetur peruviano. Purgantia nonnihil fortiora his ſunt interponenda, donec vermium ſuſpicio omnis fuerit ablata, atque tunc, febre nondum abacta, cortex peruvianus, omni ſine additamento, modo ſupra deſcripto curationem abſolvit.

Exanthemata regulas hucusque traditas nullatenus mutant, curatioque unice febris reſpondere debet indicationibus. Ex indubitatis adeo *Meadii*, *Tiſſoti*, *Dimsdalei* aliorumque obſervationibus, variolarum ſuppurationem, ſi praeparationes indicatae fuerint praegreſſae, ratione nulla a corticis uſu turbari, ſed promoveri potius, quoniam febrim intermittentem, decurſum variolarum liberum earumque ſuppurationem inevitabili turbantem modo, morbumque totum periculo exponentem majori, tollit, apparet.

Quando febres intermittentes morbis chronicis cacochymicis, arthritidi, ſcorbuto, podagrae, rheumatismis, ſcrophulis, ſcabiei luique venereae adſociantur; morbi hi vel cauſarum occaſionalium febriumque harum pabuli inſtar ſunt conſiderandi, ideo-

o) Remedii hujus adverſus omnis generis morbos verminoſos efficaciam fere infallibilem experimentorum permultorum ſucceſſu felice poſt operis hujus editionem primam expertus eſt *ill. Vogelius.*

ideoque antidota ſua requirunt propria, quem in finem quibusdam in caſibus ipſe cortex peruvianus proficuus eſt, poſt cujus uſum haud raro cum morbis illis febris una diſparet; vel febris morbi inſtar ſingularis ex cauſis ſuis propriis orti, quae morbis illis ſolummodo ſe admiſcuit, aeſtimanda eſt, quo in caſu cortex peruvianus remediis morbis illis accommodatis v. g. lumbricis terreſtribus, camphorae, antimonio, mercurio dulci, acido vitriolico, aquae calcis, ſulphuri, guajaco, aconiti extracto etc. admixtus, effectus exſerit optimos. Medicamenta haec morbis idiopathicis medentur, cortexque peruvianus febrim profligat talique ratione morbus tollitur totus. Tali modo morbi pertinaciſſimi, medicamentis illis corticique peruviano ſeorſim datis non cedentes, ad ſanationem ſunt perducti. Regulae in genere raro fallentis inſtar animadvertendum eſt, ſi, adverſus morbos febri intermittenti admixtos, remediorum hos contra morbos efficaciter caeteroquin agentium uſus continuatus plenarie manet inefficax, corticem peruvianum tunc in remediorum horum connubio — ſi poſſibile eſt, verum unicumque hisce medens morbis remedium eſſe.

Cum ictero quandoque febres intermittentes junctas eſſe, qui corticis peruviani uſum non modo non vetat, ſed potius requirit, quia non prius, niſi febre ablata, evaneſcit, ſupra jam monitum fuit. Caſus hic jam exponetur accuratius.

Icterus ille non ab hepatis obſtructione, ſed ab ipſis illis conſtrictionibus vaſorum ductuumque biliferorum ſpaſmodicis, quae frigoris febrilis tempore toties abſque ventriculi ſaburra illis anſam praebente, vomituritiones, vomitus cardialgiasque cauſantur, oritur. Hoc ipſo ſpaſmo bilis effluxus liber

cohi-

Digitized by Google

cohibetur, in ſanguinem reſorbetur igiturque icterum facit. Icterus hic ſimilitudinem perquam magnam cum illo habet, qui interdum poſt lapſum ictumque ab hepatis ductuumque biliferorum concuſſione vehementi oritur. Quando ſaburrae bilioſae, cujus portio quaedam ſimul vaſis reſorbentibus impreſſa, in illaque reſorpta fuiſſe poteſt, ſigna hic apparent; huic omnino remediis reſolventibus laxantibusque antea proſpiciendum erit. Quando his licet adhibitis icterus non diſparet, aut ſi cum acceſſione ſolummodo ſingula oritur, cum eaque etiam maxima ſaltem ex parte, nonnunquam per diarrhoeam, evaneſcit, in ſignum manifeſtum, illum a ſpaſmis ſolis febrilibus excitari, nullum eidem, praeter corticem peruvianum, medetur remedium, utpote qui cauſam illius unicam, febrim nempe, tollit.

Si exadverſo hepatis obſtructi ſigna minima apparent icterusque poſt longam demum febris durationem oritur, neque extra paroxiſmos maxima ex parte iterum diſparet; cortex peruvianus ſummopere noxius eſt, ſtatusque ille remedia reſolventia efficaciſſima et laxantia in antecedentibus jam ex parte indicata requirit. Palmam cunctis aliis ob efficaciam ſuam praeripit No. 32. Si ſimul radicum graminis decoctum aut lactis ſerum cum cremore tartari praeparatum largiter potatur, ſcopo rariſſime non ſatisfit. Remediis hisce cortex peruvianus hoc ſolummodo in caſu cauta manu admiſcetur, ſi debilitas aegrotantis extrema ſub febris duratione indefinenti, morbum absque naturae inopis adminiculo efficaci non iri ſuperatum, dat ſuſpicionem.

Si febris intermittens hydropi cuidam aut tympanitidi adſociatur, rite inquirendum eſt, num morbi hi ab inteſtinorum totiusque ſyſtematis vaſorum ato-

atonia quadam et debilitate a febre cauſata originem traxerint, aut num viſceris alicujus obſtructi, induratique indicia vera appareant, quippe quae facie flava inflata, praecipue albugineae oculorum tunicae flavedine aut pallore ſingulari, halitu oris foetido, tuſſi ſicca, praecordiorum doloribus, paroxiſmorum febrilium irregularitate, excretionum conſuetarum ſuppreſſione etc. plus minusve aperte ſe manifeſtant.

In caſu priori nihil praeter corticem peruvianum, praemiſſis aut cum eodem combinatis diuraeticis, alvum leniter ſubducentibus tranſpirationemque promoventibus medicamentis, juvat; talia ſunt ſquilla, rheum, ſapo, pimpinellae albae radix, juniperi Rob. cum quo cortex in electuarii formam redigitur, pulvis diuraeticus Thedenii (cujus effectus egregios cel. auctor ſaepiſſime eſt expertus) etc. Obſtructiones contra verae medicamenta efficaciſſima aperientia et reſolventia, ſi vires id permittant, requirunt.

Quando phtiſi cuidam febris adſociatur intermittens, quae autem a febre hectica periodica rite eſt diſtinguenda, ſic, ut cauſa ejus proxima non ſit in phtiſi quaerenda, qualis caſus rariſſimus eſt, febris, quam citiſſime fieri poſſit, corticis peruviani ope tollenda eſt, cujus ſucceſſus egregii exemplum memorabile narrat Werlhofius *p*). Si febris ob malignitatem ſuam durationemque longam etc. phtiſin produxit, ſimiliter febris ante omnia eſt ſananda neceſſario.

Adverſus febres intermittentes lue venerea complicatas cum cortice peruviano mercurius combinatur.

Si febres intermittentes febrium mere nervoſarum inſtar ſe habent, quales hiſtericis hypochondriacisque interdum accedunt, atque ſi in paroxiſmis ner-

p) Opp. T. I. p. 248.

nervorum pathemata varia, extra illos quoque remanentia, apyrexiaeque requiem plus minusque turbantia, oriuntur, opii doſes cautae, motus nervorum inordinatos ſopiendo, febrimque, ut cortice peruviano ſanetur, diſponendo, utilitatem habere poſſunt maximam.

Opii virtus capitis dolores enormes durante aeſtu ſopiens, ejusque in febre ſoporoſa utilitas etc. prolixius poſthac exponentur.

Corticis peruviani uſus continuatus non minus ſequelis plurimis poſt febres quandoque remanentibus, praecipue ſi remediis aliis, circumſtantiis accommodatis, additur, convenit.

Tali modo adverſus ſudores immoderatos, corpus valdopere exhaurientes, quin ſucceſſive conſumentes, durante abactaque febre, antimonium crudum, alumen, vitrioli ſpiritus; adverſus ventriculi debilitatem magnam, faciei pallorem partiumque ſolidarum laxitatem ingentem aromata diverſa, centaurii minoris ſummitates, millefolii chamaedrios, chamaepytis herbae, chamomillae romanae flores; gentianae rubrae calamique aromatici radices etc. nec non ferri limatura aliaque plura pro indicationibus praeſentibus requiſita, cortici ſunt admixta peruviano.

Adverſus alvi fluxum bilioſum haemorrhoidalemque remanentem, appetitumque et vires ab illo retardatas aquas *Emſenſes* matutinis horis calide ad libras usque quatuor potandas, tam diuque, donec alvi fluxus ceſſet, continuandas ſuadet *Werlhofius.* Si aqua haec autem aut *Wisbadenſis* non praeſto forent; ſalia media, inprimis ſal mirabile Glauberi, quae ſimiliter in aqua calida ſoluta fontis ſoterici inſtar bibuntur — illis ſunt ſubſtituenda. Sanguini verſus vaſa haemorrhoidalia nuenti ſalis mirabilis ſul-

 phuris

phuris lacte remixti doſes partitae egregie medentur. Indicationibus caeteroquin praeſentibus cuncta ſunt accommodanda.

Haemorrhoides coecae, praeter corticis peruviani uſum diu continuatum, remedia temperantia, decoctum millefolii, clyſteres emollientes, lac ſulphuris, linimenta lenientia, balnea vaporoſa, hyrudinesque requirunt. *Werlhofius* hisce in caſibus corticis peruviani doſi veſpertinae mercurii dulcis grana aliquot ſalutariter addidit.

Moleſtiae permultae aliae poſt febrim remanentes cauſam vero materialem nullam habentes, ſed vel characteri febrili non plenarie deleto, vel vaſorum nervorumque atoniae tribuendae, quales ſunt pedes oedematoſi, pathemata hypochondriaca, flatus, aurium ſuſurrus, capitis obnubilationes etc. remedio nulli melius, quam cortici peruviano martialibus nupto aquisque martialibus, ſub corporis motu ſedulo diaetaque bona, cedunt.

Tuſſis adhuc, interdum, praecipue poſt febres autumnales hyemalesque remanentes, atque a materia labiorum effloreſcentias producente, jam verſus pulmones viasque aëriferas depoſita, oriri viſae, mentio eſt facienda. Tuſſis haec laxantibus lenibus, aquae Selteranae cum lacte, vel ſine illo neceſſitateque urgente veſicatorio inter ſcapulas applicato, optime cedit.

Febres intermittentes *anomalae* mox anticipantes, mox poſtponentes. Sanguinis craſi inflammatoriae plerumque, vel viarum primarum ſordibus ſunt adſcribendae, ideoque hoc ſub rerum ſtatu cortex peruvianus non prius proficuus eſt, quam obſtacula iſta remediis congruis ſint ablata, inde enim typus plerumque in ordinem redigitur certum.

Quando

Digitized by Google

Quando anomalia haec magnae nervorum debetur mobilitati, ſicuti v. g. in hyſtericis, in quibus cauſa parva quaelibet acceſſionem cauſatur novam, tunc ſtatus hic irritabilis remediis antiſpaſmodicis efficacibus eſt corrigendus, febreque hac ratione quadamtenus in ordinem redacta, ſtatim cortex peruvianus eſt exhibendus.

Febrium duplicium ratio ſubinde quoque in cauſarum ſupra recenſitarum quadam quaerenda eſt, quae idcirco harum ablatione in ſimplices prius ſunt mutandae, quam cortex prodeſt peruvianus.

Quando autem cauſarum harum nulla apparet, vel, his licet ablatis, febris tamen manet duplex, jam nihilominus cortex peruvianus et quidem ita datur, ut ejus uſus poſt paroxiſmum vehementiorem incipiatur, unde ſequens lenior diſparet, atque tunc plerumque vehementior ille ordinarie quoque profligatur, proficuus eſt. Eadem quoque febrium reliquarum aliarum ex pluribus compoſitarum ratio eſt.

Si cortex peruvianus alvum obſtruit, adeo, ut exonerare illam vix poſſint aegrotantes, ideoque cardialgiam, anxietatem, cephalalgias etc. cauſatur, vel quoque poſt dies aliquot indigeſtus revomitur *q*), quae omnia tamen, ſi cortex peruvianus bonae notae et ab omni ſubſtantia lignea eſt depuratus riteque alcoholiſatus, rariſſime contingent, aut ſub ejus uſu continuato mox ceſſant: cortici peruviano aliquid, quod caſu in priori alvum ſervat apertam, cui ſcopo rheum aut ſal medium optime inſerviunt, ea tamen adhibita cautela, ne alvus inde nimium relaxetur, eſt addendum; niſi enim, ſordibus licet ad-

I 2 huc

q) *Cullenius* poſt octiduum adeo vomitu illum immutatum vidit rejectum. *Lect. on the Mat. med.* Vid. *Tode med. chir. Bibl.* 2. B. 3. St. p. 112.

huc praeſentibus, celerrimum corticis peruviani uſum febris requirat, de quo alibi ſermo jam fuit. Praeterea clyſteres quandoque additamenti hujus vice fungi poſſunt.

Si autem ſub corticis peruviani uſu alvus ſufficienter maneat aperta, quemadmodum hoc plerumque fit, ne unicum quidem remedii alius granum ad augendas ſic vires ejus contra febrim, indicationibus niſi ſecundariis id exigentibus, eſt addendum.

Quandoque cortex peruvianus alvum non modo non obſtruit, ſed diarrhoeam potius excitat. Quae ſi viarum primarum, quarum motum periſtalticum cortex peruvianus auget, unde ſaepius quoque in obſtructiones alvinas proclivitati medetur, ſaburrae reſiduae *r*), ut plerumque, debetur: hoc quidem per ſe nihil mali indigitat ſimulacque ſordes ſunt evacuatae, diarrhoea ceſſat; interim ut corticis peruviani efficacia tota conſervetur, ſordes haſce laxante evacuare leni, tumque, corticis redauſpicari uſum, longe eſt ſecurius.

Si exadverſo, ſordibus licet nullis praeſentibus, cortex peruvianus tamen ob idioſyncraſiam aegroti ſingularem per alvum ruit, aut vomitu adeo rejicitur, unde autem effectus illius exoptati perduntur: cortici peruviano remedium quoddam hoc impediens eſt addendum, quod re nulla melius, quam laudani liquidi Sydenhamii vel tincturae thebaicae guttis aliquot, doſi corticis peruviani cuilibet inſtillatis, obtinetur, cui fini theriaca quoque ventriculi regioni impoſita, infuſi frigidi florum chamomillae ſuperpota-

r) Remediis amaris aromaticisque alvum caeteroquin retardantibus hoc commune eſt, ut illam laxent aperiantque, ſi ſordes in viis primis praeſentes inveniunt.

Digitized by Google

potatio, aut caſcarillae ſuccique catechu etc. admixtio inſervire poſſunt. Vini potatores praecipue corticem peruvianum in pulveris forma raro perferre, diarrhoeam ipſis cauſari, indigeſtumque per inteſtina transire, obſervationes docuerunt. Optime illum adhuc juxta *auctoris celeberrimi* experientiam in vino ſumtum perferunt, ſicuti alias quoque corticem in vehiculo aquoſo ſumtum diarrhoeam cauſantem, eundem in vino exhibitum, cohibuiſſe, pluries apparuit. Si vini vehiculum ſcopo huic tamen non ſatisfacit, extractum, vel infuſum frigidum ſunt praeſcribenda. Catameniorum fluxus ſub corticis peruviani uſu erumpens proprie non prohibet illius continuationem, quia excretionem nullam, neque ipſum adeo lochiorum fluxum, juxta indicationes rite formatas exhibitus, turbat. Quando interim tale quid in ſubjectis ſenſibilibus pertimeſcendum foret, aut tamdiu intermitti, vel ipſi quidquam, quod fluxum hunc periodicum conſervat, quale v. g. myrrha eſt, tempore iſto addi poteſt. Alii pulveris loco decoctum modicum, aut infuſum frigidum, aut etiam extractum hoc tempore exhibendum ſuadent.

Si contra menſium fluxus, aut haemorrhagia uteri quaecunque a febre intermittente augetur: malo utrique nihil cortice peruviano efficacius medetur; qui iſto ſolummodo in caſu, ſi calor immoderatus, aut ſpaſmi vehementes, aut atonia vaſorum ingens ad haemorrhagiam augendam conferunt, cum medicamentis temperantibus, antiſpaſmodicis adſtringentibusque, ſpiritu vitrioli, elixirio Halleri acido, nitro, alumine etc. eſt combinandus.

Ipſi in utero materno puſioni experientias juxta diverſas cortex peruvianus non modo innocuus, ſed etiam proficuus eſt, quia febris intermittens quae-

 cunque

cunque ob commotiones ſuas vehementes, calorem ſymptomataque alia, eidem neceſſario periculum minatur, quod autem re nulla promtius meliusque, quam cortice peruviano, praecavetur et avertitur. Si forte unquam corticis peruviani uſum abortus fuerit ſecutus, culpa profecto cortici nulla, ſed febris potius vehementiae tribuenda eſt. Aeque minus cortex peruvianus prudenter, atque remediis aliis, circumſtantiarum rationi congruis, praemiſſis, vel eidem remixtis, exhibitus lochiorum fluxum turbat, ſi febris intermittens tempore illo illius requireret uſum.

Si infantes lactentes, quibus cortex peruvianus non apte dari poteſt, febribus corripiuntur intermittentibus, nutrix, ac ſi ipſa febre laboraret, cortice peruviano uti debet, aut, quod efficaciae adhuc majoris eſt, ante et poſt paroxiſmum ſub toto apyrexiae tempore omni hora quarta aut octava, poſtquam inteſtina clyſterum laxantium ope ab omni ſaburra aliena antea purgata fuerunt, cortex peruvianus in clyſteribus infanti eſt ingerendus. Hunc in finem decoctum ſaturatum, aut extracti ſolutio adhiberi poteſt. Interim tanta hoc proportione fieri debet, ut ter tanto plus corticis peruviani corpori ſic ingeratur, ac infans ore adſumere debuiſſet. Clyſteris caeteroquin portio tota ad ſummum quantitatis conſuetae partem dimidiam aut tertiam pondere aequare debet, illique, quo ſecurius remaneat, laudani liquidi Sydenhami guttae aliquot ſunt addendae. Neque minus *cel. Lind.*, infantibus medicamenta quaevis reſpuentibus, ſub acceſſionis principio dorſi ſpinam tincturae thebaicae linimentique ſaponati partibus aequalibus illiniendam jubet, unde paroxiſmus ſaepe fuit averſus. Sub aeſtus ſtadio ſyrupi e meconio cochlearia minora II — III illis praebet, atque ad profi-

profligationem febris plenariam, praemiſſa laxandi cauſa magneſia (quem in finem nunc ſemper *uſta* in uſum vocanda eſt), quae, ſi mucum in ventriculo invenerit, emeſin creat, unius anni infantibus omni trihorio clyſter ex extracti corticis peruviani drachma una cum tincturae thebaicae guttis quibusdam applicatur.

Methodus eadem in infantibus natu majoribus, corticem peruvianum nulla in forma aſſumturis, cui fini alias extractum (frigide paratum) in ſyrupo grato ſolutum, aut decoctum vel infuſum ſufficienter edulcoratum, in quantitate debita, congrua ſunt, locum invenit. Quid, quod adultis quibusdam corticem peruvianum plenarie abhorrentibus, neque illum ulla in forma perferentibus, ſic, ut addito quamvis additamento quolibet remediorum adſtringentium hoc aliter impedientium, illum vomitu ſtatim aut alvo reddant, pathemataque varia alia, ventriculo moleſta, inde percipiant, methodus eadem *s*) interdum eſt applicanda.

Ab initio periculum eſt faciendum, num homines ejusmodi corticem peruvianum non ſub forma aliqua alia, quam in pulvere, perferant, quoniam

 aegro-

s) *Baglivius* (Pr. med. L. I. c. 13. §. 9.) nec non *Helvetius* (Meth. pour guerir toute ſorte de fievres, ſans rien faire prendre par la bouche à Par. 1694. 8.) methodum illam felici cum ſucceſſu primo tentaverunt. Vid. quoque *Lindius* l. c. p. 292. corticem clyſterum ope applicatum non minori efficacia praeditum invenit, quam ſi ore fuerat ſumtus. Clyſteres chinati adeo, ubi cortex per os ingeſtus fruſtraneus erat, profuerunt, talique ratione, corticis peruviani copiam maximam corpori ingeri poſſe, verum eſt. Illius extractum ſcopo huic omnium optime inſervit, illudque frigida infuſione paratum ſemper ſit oportet. Methodus interim medendi talis pretioſa omnino fieri poteſt.

aegroti ex pulvere ſumto peſſime ſe habentes remedium idem alia in forma feliciſſimo cum ſucceſſu ſumſiſſe ſunt obſervati. Quarinus quoque in febribus intermittentibus indolis biliosae aeſtuque magno ſtipatis, extractum pulvere longe melius perferri, qui in epidemia ab ipſo deſcripta, viis primis licet purgatis, anxietatem, oppreſſionem etc. cauſabatur *t*), perhibet.

Si neque etiam in clyſterum forma cortex peruvianus applicari poteſt, vires illius alia adhuc ratione et quidem externe ſunt tentatae, pulvis nempe in amuletis *u*) cataplaſmatibusque *x*), decoctum in bal-

t) Meth. med. febr. pag. 133. ſeqq.

u) *Pye* (Med. obſ. by a ſoc. of phyſ. at Lond. Vol. II. 16.) nec non Keſslerus (Geſchichte der Faulfieber p. 251.) horum ope febres ſe profligaſſe perhibent. Puella annorum IV ex longo jam tempore febri laborans maligna induſio, cui corticis peruviani librae duae erant inſutae, ſanabatur. *Reichard's med. Wochenbl.* 1780. 1. *Quart.* 9. *St.*

x) *Roſenſteinius* ſemet ipſum his abdomini impoſitis a ſemitertiana ſanavit (Kinderkrankh. p. 300. Reiſeapoth. pag. 17.) Hannes (Brief an Hrn. Baldinger, p. 77.) et Welſter in Cole Tr. de febr. int. Lind. L. c. pag. 283. camphoram cum emolumento addiderunt. Similiter ill. *Weikard* febrem quartanam pertinacem, qua matrona gravida laborabat, pultis chinatae cum aqua et vino paratae, calide abdomini impoſitae ſaepiusque renovatae efficacia feliciter ſuſtulit, ſimul tamen cortex peruvianus interne quoque exhibebatur. V. *verm. Schr.* 1. *St.* *p.* 41. Obſervationem ſimilem habuit cel. *Reich medicus Laubacenſis*. Corticis peruviani ſubtiliſſime triti libram I ſacculo linteo duplicato inſutam infantis tertiana duplici laborantis abdomini imponendam curavit, ſic ut omni bihorio vino calefacto conſpergeretur. Poſt ſeptimanas III absque remediis aliis ſanitati reſtituebatur. V. *Reichard's med. Wochenbl.* 1. *Quart.* 13. *St.* Ejusdem argumenti caſus memorabilis alius, in quo aegrota quaedam corticis peruviani unciis quinquaginta ſex linteo inſutis involvebatur, atque ſic a febre peſſima liberabatur, extat in *Baldingers neuem Magazin* 7. *B.* 6. *St.* *p.* 553. *ſeq.*

Digitized by Google

balneis *y*) aut fomentationibus. Aſt methodorum illarum omnium effectus tamen ſemper incerti manent dubiique, licet plenarie negari nequeant, quoniam, corticis peruviani vim ſpecificam primariam contra febres intermittentes in partibus ejus volatilibus aromaticis latere ſatis demonſtratum eſt, quum cortex peruvianus febres adeo profligaſſe fertur, antequam ventriculo illum concoquendi tempus ſuppetierit, et quamvis portio exhibita tota poſt longum ſatis temporis ſpatium immutata plane vomitu ſit rejecta.

§. 59.

Poſt libri hujus editionem primam *cortex peruvianus ruber* jam ubicunque notus multorum excitavit attentionem. Navi hiſpanica ex America redeunte a praedone marina anglico capta 1779 Londinum venit, ubi a pharmacopoeis pro cortice peruviano ordinario emebatur, poſteaque a medicis anglicis experimenta cum illo inſtituebantur. Cortice peruviano ordinario efficacior longe inveniebatur, igiturque cortex peruvianus ille, quocum *Sydenhamus Mortonusque* tot miracula perfecerunt, eſſe credebatur. Medicorum anglicorum experimenta felicia maxima ex parte deſcripta extant in *W. Saunders Beob. über die vorzügliche Wirkung der rothen peruv. Rinde u. ſ. w. nebſt einem an Hrn. Bergr. Buchholz mitgetheiltem Auſſatz, die Mahagonyrinde betreffend. Aus dem Engl. (von Ludwig). Leipz. 1783. 8.* Poſtea diverſis in locis copioſe eſt adhibitus, illiusque reſpectu virium prae cortice peruviano ordinario praeferentia apparuit magna. Confirmant hoc quoque experimenta chemica *a Cothenio* Berolini cum eodem inſtituta.

y) Balnea ejusmodi nec non pediluvia felici cum ſucceſſu adhibuit *Alexander* (Exper. eſſ. p. 38.)

tuta. Examina cuncta docuerunt: 1) plures illum continere partes reſinoſas, ideoque acriorem eſſe; 2) corticem peruvianum ſic dictum rubrum minime genus novum, ſeu ſingulare eſſe, ſed in eo ſolummodo ab ordinario differre, hunc ex junioribus, illum autem ex arboribus vetuſtis detractum eſſe. Du Roi. corticem peruvianum rubrum trunci, ordinarium autem ramorum arboris ejusdem corticem eſſe, credit. Vid. Hannöv. Magaz. 1783; 3) ante annos ſexaginta pluresque cortex peruvianus alius nullus habebatur, quam ruber. Febrium intermittentium a doſibus illius tribus quatuorve, miraculi inſtar, tunc temporis profligatarum recordatur b. m. Cothenius; 4) corticem peruvianum rubrum utpote efficaciſſimum ab Hiſpanicis retineri, neque venalem deportari, vero eſt ſimillimum. Cothenius hoc ab oculato teſte expertus libram ejus integram 1758, affirmatione addita hiſpanorum proceres omnes hac corticis peruviani ſpecie ſola uti, in donum accepit. In omnibus fere cortici peruviano rubro jam famigerato ſimilis erat. 5) Cortex peruvianus ruber non modo partes reſinoſas plures, ſed majorem quoque prae ordinario terrae ferreae copiam juxta Cothenii experimenta continet. Extractum largitur puriſſimum facileque in pulverem redigitur. Sapore praeditus eſt amariore adſtringentioreque. Ordinario ponderoſior quoque eſt. Fragmenta plurima craſſiora ſunt illorumque color eſt obſcurior. 6) Corticem peruvianum rubrum ordinario efficaciorem eſſe, dubium reſtat nullum. Drachmae illius ſex juxta *Camperi* experientiam vires cum corticis peruviani ordinarii uncia integra pares exſerunt. Ex medicorum plurium fide dignorum ore atque ex propria experientia vires ejus eximias confirmat cel. auctor noſter. Febrem tertianam duplicem pertinacem, contra

tra quam cortex peruvianus ordinarius inefficax erat, cito radicitusque, ſic ut non redierit, ſuſtulit. — Fraus autem varia ſuſpicanda eſt. Vid. *Cothenius chem. Unterſ. der rothen Chinarinde etc. Berl. 1783. 8.* — *Jo. Andr. Orlovius* Progr. de cortice peruviano rubro. Regiom. 1783. — Alia adhuc corticis peruviani ſpecies (cinchona floribunda) amarior eſt adſtringentiorque, atque a cortice peruviano ordinario differt, generis licet ſit ejusdem. Regia ſcientiarum ſocietas Londinenſis illam ab inſula *St. Luciae* accepit. Doſibus parvis cortice peruviano rubro efficacior longe eſſe perhibetur. Aſt ultra ſcrupulum unum exhibitus vomitum facit *). Vid. The Lond. medical Journ. 1784. Vol. V. no. 2. Michaelis Bibl. I. B. I. St p. 24. philoſoph. transact. vol. 67. for the Year 1777. p. 504. Medic. comment. of Edinb. vol. V. pag. 398. (*Dr. Wright*) phil. Tr. p. II. vol. 74. Year 1784. (*G. Davidſon*). — *Blumenbachs Bibl.* 2. B. 1. St. p. 159.

Cinchona caribaea L. eſſe perhibetur, cortices autem hi bini juxta alios magnopere a ſe invicem differre perhibentur. (V. Thee Skeete l. c. p. 323). Illa praeter inſulas caribaeas in inſulis Leuwardicis Windwardicisque creſcit. Vis purgans et emetica corticis hujus peruviani inſulae St. Luciae coctione evaneſcere perhibetur. De cinchona caribaea etc. vide quoque Kentish Exp. and obſ. on a new ſpec. of Bark etc. Lond. 1784. überſ. zu Leipz. 1787. (in verſione hac plagium extat nulla venia dignum ex

*) Saporis eſt nauſeoſi adverſique, atque juxta *van den Sande* et *Sam. Hahnemann.* grana ejus quatuor nauſeam creant intolerabilem; juxta quos quoque a corticis peruviani ordinarii proprietatibus longiſſime recedere, viresque adverſus febres intermittentes perpaucas poſſidere videtur. *Kenp.*

ex ſcripto Irwingii p. 78. ſeq.) cortici St. Luciae, quae eadem cum Quinquina pitonienſi, Quinquina martinicenſi caribaeaque eſſe fertur, praerogativae tribuuntur magnae; liber hic autem erroribus pleniſſimus eſſe dicitur. Ex parte, in refutando Saundero, ſed ſine rationibus ſufficientibus, verſatur circa corticem peruvianum rubrum ſcripta ſequentia adhuc commemoratione digna ſunt: An Eſſ on the uſe of the red. peruv. Bark etc. by *Edward Rigby*. Lond. 1783. 8. Corticem peruvianum rubrum valdopere laudat. In aegrotis CCL ſpem nunquam fefellit paroxiſmusque proximus ſtatim ſemper emanſit. — Exp. on the red. and. quill. peruv. Bark etc. by *Ralph Irving*. Edinb. 1783. translat. Lipſ. 1787. 8. cortici peruviano rubro praerogativam tribuit. Similiter *Th. Skeete Erf. und Beob. über die röhrichte und rothe peruv. Rinde, nebſt einer Anleitung, die Fieber, die Bräune und andre Krankheiten zu heilen. Aus dem Engl. nebſt einigen Beilagen des deutſchen Herausgebers. Leipzig 1787. 8.* Hic quoque corticis caribaei inſulaeque St. Luciae etc. relationes inveniuntur, additamenta autem litteraturae novae ſuper corticis peruviani ſpecies diverſas proſpectum brevem continent. — Bell *von den Vorzügen der gewöhnlichen Chinarinde vor der rothen in Geſchwüren und dem kalten Brande.* V. Samml. auserl. Abhandl. für pract. Aerzte II. B. 1. St. p. 3. — *Groſchke* von den verſchiedenen Arten der Chinarinde, in *Blumenbachs* Bibl. 2. B. p. 485. ſeq. corticis peruviani ſpecies ſex dantur: *1) cortex peruvianus communis. 2) Cortex peruvianus ruber*, (qui plantae generis ſingularis botanice nondum determinati productum eſſe fertur: falſumque profecto eſſe, ab eadem deſumi planta, quae corticem ſuppeditat communem, ſicuti du Roi, aliique credunt, perhibetur). *3) Cortex caribaeus*

us

us *). 4) *Cortex de St. Lucia.* 5) *Species priorum degenerata probabiliter.* 6) *Cortex de St. Fe*, cujus ſpecies binae dantur, (Adam Michael Birkholz. D. de cort. peruv. virtute propria et ſpecif. Lipſ. 1785. 4. Hiſt. de la ſoc. roy. de med. à Par. ann. 1779. à Par. 1782. p. 252.). Plantae hujus generis ſpecies plures materiei medicae non tam graves ſunt, quam illarum uſus aliqualis incognitus ſit.

§. 60.

Praeter corticem peruvianum remedia adhuc habentur multa alia adverſus febres intermittentes laudata, earundem a medicis pluribus virium habita cum cortice peruviano, quin illi praelata *z*). Huc pertinent caſcarilla, aurantiorum arboris cortex, cortex quercinus, ceraſi, fraxinus, hippocaſtani *a*) ſalicis viminalis, ſalicis capraeae, frangulae, ramo-

*) Cortex hic vires ſuas medicatrices tam frigidae quam calidae impertitur aquae, atque ſi uncia ejus dimidia cum aquae menſ. I ad medietatem usque decoquitur, decoctum obtinetur aeque ſaturatum, ac alius a corticis peruviani communis uncia una et dimidia; aurantiorum cortices additi, in medicamentum mutant gratum; amarum. Caſcarillam inter corticemque peruvianum medium quaſi tenere videtur. Uſus ejus primarius eſt in febribus nervoſis periculoſis remittentibus. Adverſus febres intermittentes vim quidem magnam, aſt non parem cum cortice peruviano communi monſtravit. Veroſimiliter *Quinquina* eſt ſic dicta *piton*, a monte hujus nominis Indiae occidentalis denominata. *K.*

z) Gmelin Vergleichung einiger Rinden, welche an die Stelle der Fieberrinde empfolen worden ſind, in Baldingers Magaz. 1. St. p. 76.

a) Circa hippocaſtani nobilitationem experimenta diverſa inſtituit cel. Medicus, quorum tamen ſucceſſus certus nondum cognitus eſt. — Vid. della febrifuga facolt. dell' ippocaſtano. Lett. ed. off. di *Ant. Turra.* Viz 1780. Gött. gel. Anz. 1782. 37.

ramorum radicumque ſalicis fragilis, pruni ſylveſtris, ſalicis albae *b*) quaſſia, gentianae rubrae et albae radix, ſemen paſtinaciae, radix imperatoriae, radix ſerpentariae virginianae. Dan. Lyſon (pr. Abhandl. von den Wechſelfieb. etc. aus dem Engl. pag. 13.) illius ſcrupulum unum corticis peruviani ſcrupulis duobus admiſcet, atque hac ratione ſecurius, quam cortice ſolo, medelam perficit, poſt doſes duas aut tres febris pertinaciſſima evaneſcit, flores chamomillae *c*), ilex aquifolium L. *d*). Porro huc pertinent matricaria, chelidonium, abſynthium, carduus bene-

37. St. in linguam vernaculam translat. 1783. In caſibus XXV ſemel illo ſolummodo ſine ſucceſſu uſus fuit. Pulveris ſubtiliſſime triti uncias duas viribus duodecim ſumendas praeſcribit.

b) Cel. *Frize* praeter *Hallerum*, *Claſſium*, *Hartmannum*, *Jungium*, *Stone* alioſque, eodem optimo cum ſucceſſu in febribus intermittentibus uſus fuit, interim unciarum aliquot quantitate majori, quam corticis peruviani, opus habuit, ſi a recidivis tutus eſſe voluerit. *Günzii* diſſertatio inauguralis denuo elaborata ſub titulo de cort. ſalicis cort. peruv. ſubſtit. com. Lipſ. 1787. 8. jam attentionem meretur eo majorem.

c) Si certis temporibus cortex peruvianus diu inefficax manſit, flavedo florum chamomillae effectum exſerit celeriorem efficacioremque juxta cel. *Crellium;* qui febres nonnullas floribus chamomillae alumineque ſe ſanaſſe perhibet, vid. Baldingers Magaz. 7. St. p. 552. Limatura ferri quoque remediis remixta aromaticis juxta eundem interdum efficaciſſima fuit: Tartarum emeticum ex antimonii vitro praeparatum doſibus horam ante paroxiſmum talibus exhibitum, ut nauſea ſolummodo exoriatur, aegrotos a febre liberare quandoque, perhibet idem, pluriesque methodi hujus ſucceſſum optatum in noſocomio Edinburgenſi ſe vidiſſe teſtatur. Vid. *Hallers* Beiträge zur Beförd. der Geſch. und Heil. der Krankh. — von *Crell*, 2. B. p. 40.

d) Efficacia ſua corticem peruvianum ſuperare juxta cel. Durande fertur. Vid. hiſt. de la ſoc. royale à Par. 1776. T. I. Gött. gel. Anz. Zug. 45. St. 1779. Frize med. Annal. I. 371.

Digitized by Google

nedictus, arnica *e*) medicamenta ex antimonio praeparata, ipecacuanhae tartarique emetici doſes parvae *f*), nux moſchata, piper, theriaca, mithridatium, opium *g*), alumen, ſulphur, oleum animale Dippelii, elixir vitrioli et antifebrile Mynſichti, remediaque innumerabilia alia interna externaque *h*) ex triplici naturae regno ſimplicia, compoſita praeparataque, quae partim ad reſolventium, partim ad diaphoreticorum *i*) diuraeticorum, adſtringentium, roborantium, partim ad narcoticorum etc. claſſem pertinent, atque ex quibus non modo medici diverſi veteres recentioresque ſpecifica ſua febrifuga ſibi compoſuerunt praeparaveruntque, ſed quorum varia quo-

e) V. Soc. med. Havn. Col. Voll. II. p. 162. ſeq. *Nielſen* diſſ. in praeſ. *Tode* praeſt. rat. illuſtr. mat. med. pr. p. 60. Cel. Tode et Aaskow herbae hujus floribus paroxiſmum praecavent febrilem. Similiter, ibid. p. 64. febres intermittentes pertinaciſſimae cortice peruviano, cui nucis vomicae pars ſeptima admiſcebatur, profligatae perhibentur. Nec non pag. 57. ibid. cardui benedicti infuſum aquoſum laudatur.

f) C. *A. Meyer.* diſſ. de eximio ipec., nec non alior. quor. emet. refract. doſi exhibit. uſu. Gött. 1779.

g) Vid. *Moriſot Deslandes* de uſu opii in febr. interm. Ex Seance publ. de la faculté de Méd. de Paris — 1779. transl. in Samml. auserl. Abh. zum Gebr. für pr. Aerzte. 7. B. 1. St. p. 141. ſeq. — latius infra §. 62. in nota *t*) ſermo erit de illo prolixior.

h) Huc pertinent Balnea calida frigidaque, unguenta et emplaſtra diverſa, amuleta etc.; ut ſympathiae innumerabiles ſilentio premantur.

i) Tunc inprimis indicantur, ſi paroxiſmi cum ſudoribus debitis non terminantur, ubi curationem promovent efficaciter. Praecipue huc referri debent medicamenta antimonialia, frictio cum pannis camphoratis ab initio paroxiſmi inſtituta. Similiter hunc in finem ſaluberrime camphorae cortex admiſcebatur peruvianus. Vid. *Rahn.* l. c. p. 158. ſeq.

Digitized by Google

quoque plebi remediorum inſtar domeſticorum conſueta ſunt *k*).

Remediis tandem antifebrilibus adnumeranda eſt *myrrha*, cujus drachmae II brevi ante paroxiſmum ſunt exhibendae (Med. Tr. vol. the third no. 12.), nec non *globularia* (Journ. de Med. etc. 1784. Oct. LXII.)

Quicunque cuncta de febrium intermittentium cauſis, complicationibus indicationibusque ſecundariis variis, atque de idioſyncraſiis diverſis ſingularibus etc. hucusque expoſita rite conſiderat, facile comprehendit, quatenus, quibusque in caſibus ſupra recenſitorum remediorum multa ſeorſim atque conjuncta in pulverum, decoctorum, infuſorum, eſſentiarum, tincturarum extractorumque formis diverſis, nec non in corticis peruviani connubio, effectus omnino optimos, partim loco ſuo jam commemoratos exſerere poſſint. Eorum permulta autem propter effectus ſuos vehementes, calefacientes, irritantes, narcoticos periculoſosque plenarie rejicienda, alia caſibus ſolummodo in rariſſimis utilia, nonnulla inertia plurimaque ſunt ſuperflua. Medicamentorum adhuc binorum, *reguli antimonii medicinalis mercuriique* mentio fiet ſtatim.

Unum autem hic adhuc commemorandum eſt remedium, quod temporibus recentioribus magnis in libello ſequenti extollitur laudibus: *Rud. Buchhave* circa caryophyllatae vires — Edit. altera, correct. et nov. tentaminibus auct. Havn. 1784. 8. Additamenti inſtar conſiderari debet: *Buchhave* de Gei urbani utilitate in febr. intermitt. etc. ad *J. C. G. Ackermann. Marb. 1786.* Cel. Ackermann. gei urbani

k) Catalogus remediorum horum omnium completiſſimus extat in cel. *Trnka de Krzowitz* libro citato.

Digitized by Google

bani adverſus febres intermittentes efficaciam in ill. Baldingeri promptuarii novi Tom. 8. parte 2. pag. 153. valde reddiderat ſuſpectam. Adhaec cel. Buchhave hoc in ſcripto reſpondet caſusque illos, in quibus remedium hoc ſolummodo proficuum eſſe poſſit, demonſtrat. Vid. allg. Litt. Zeit. no. 123. 1787. Cel. Buchhave a ſocietate regia oeconom. Havnienſi ob utilia ſua cum gei urbani radice experimenta monetam obtinuit auream ab haereditario principe ipſi traditam. — Medici Moguntini aliique crebro illam idque cum euphoria in uſum vocare perhibentur. Experimenta a cel. Rahn. in noſocomio ſuo privato Tigurini inſtituta, corticem peruvianum praeferendum eſſe, aperte demonſtrant. Vid. ejus Briefwechſel 1. Samml. pag. 321 — 363. Experimenta nihilominus copioſa hac cum radice inſtituta illius efficaciam extra dubium ponere videntur. Vires poſſidet antiſepticas, adſtringentes atque in nervos agit. Unde remedium eſt antifebrile tam praeclarum. Datur vel in eſſentiae forma (radicis unciae LXIV ſpiritus vini gallici libris duabus infunduntur) ad unciam dimidiam, raro integram, ter, quaterque per diem, diebus a febre vacuis, vel in aquae frigidae infuſo, vel in decocto (radicis ſiccatae drachmae VI — uncia I cum aquae libra una, ſemis, ad librae unius remanentiam decoquuntur ſacharoque aut ſyrupo edulcorantur), vel in ſubſtantia a drachmis duabus tribusque ad unciam usque dimidiam doſibus partitis. Iſtae febri tollendae certiſſime pares ſunt. Febres quartanas pertinaciſſimas profligat. Quum cel. Buchhave in his morbisque aliis tot felicia cum eadem inſtituerit experimenta: radicis hujus vires quocunque perſcrutandi modo, operae procul dubio pretium eſt. Hoc adhuc ill. Vogelius addit, radicem craſſiorem fi-

brillis ſuis, viribus utpote praeditis minoribus, praeferendam, temporeque ſolummodo vernali autumnalique effodiendam eſſe. — *Anjou* diſſert. Goett. de rad. car. Goettingae 1783. Experimenta felicia ducenta Kiloniae indolis commemoratae febribus in diverſis cum eadem inſtituta narrat *Weberi* et Kochii diſſert. de nonnullorum febrifugor. et ſpec. gei urbani rad. efficacia. Vid. Murray App. med. Vol. III. Doſes requiruntur majores. Aliorum obſervationes minus huic favent remedio.

Pariter hic *lignum mahagonicum* juxta *Lindium* ut medicamentum efficax a Jamaicenſibus copioſe olim adhibitum commemorari meretur, quippe quod ſecundum cel. Michaelis relationem in ill. *Richteri* bibl. chir. Tom. V. pag. 130. 131. a medico quodam Londinenſi copioſe, nec unquam ſine emolumento, adverſus febres intermittentes adhibetur. Illius pulverem eodem modo, quo cortex peruvianus praeſcribitur, exhibet. Vid. quoque teutſch. Merkur 1783, Jul. pag. 31, ubi cel. Loderi litterae ſuper corticem mahagonicum ad cel. Buchholz exaratae reperiuntur. Eaedem quoque in operis Sauderiani de cortice peruviano rubro verſione additamenti inſtar cel. Buchholz communicata, inveniuntur.

Remedium adhuc antifebrile, quod etiam tunc, ſi cortex peruvianus inefficax fuerit, juvare dicitur, ſaepiusque profecto interdum profuit, caffea eſt. Caffeae toſtae molendinoque tritae drachmae ex cum aquae unciis tribus et dimidia ad medietatem usque decoquuntur, decocto huic ſucci citri recenter expreſſi uncia una et dimidia adduntur. Die a febre vacuo mane jejuneque hoc vice unica calide hauritur, illi-

illique juſculi portio quaedam ſuperpotatur, atque tunc per diem integrum in lecto manere debet aegrotus. Excretiones alvinae copioſae ſudorque profuſus illud inſequuntur. Quando evacuationes humorumque ſtagnantium tenacium reſolutiones fuerint praegreſſae, ſpem raro fallere perhibetur remedium hoc. Vid. Frize med. Annal. I. Th. p. 322. 323. Hiſpanis remedium hoc in uſu eſt frequente. Audonio debetur ideoque Audonii febrifugum vocatur. Journ. de Med. Vol. 24. p. 243.

Tartari emetici ope cel. *Causland* (Duncan's comment. vol. VIII.) ab anno 1775 usque ad annum 1781 ad minimum trecentos febre intermittente laborantes, absque remedio ullo alio adhibito, unice, ſanavit. Plura hac de re vid. in ill. Richteri Bibl. chir. T. 8. p. 235. ſeq. Tractatus totus quoque in linguam verſus germanicam extat in Samml. auserl. Abhandl. für pr. Ae. XI. B. 2. St. p. 245. ſeq. Equitationem in febribus intermittentibus potius, quam in phtiſi, remedii ſpecifici nomen mereri, occaſione hac teſtatur. Medici Pariſini electricitatis ope febres quoque profligarunt intermittentes. Vide *Précis de Journaux tenus pour les malades, qui ont été electriſés pendant l' anné 1785. Par. 1786. 8.* — De Zinci florum vitriolique albi in febrium intermittentium pertinacium curatione, efficacia, vid. Blane von den Kr. der Seeleute pag. 319 ſeq.

§. 61.

Febres quartanae, et quae circuitus habent longiores, curatu plerumque ſunt difficillimae, corticique peruviano reſiſtunt pertinaciſſime.

Digitized by Google

Antea tunc, num viſcerum abdominalium obſtructiones, quarum ſigna ex parte jam expoſita, interdum autem adeo ſunt abſcondita, ut mentis acie perſpicaciſſima exercitatiſſimaque dignoſci vix poſſint, ideoque haud raro poſt mortem demum cadaveris ſectione deteguntur, praeſto ſint, inquirendum eſt. Hoc in caſu a cortice peruviano auxilium fruſtra expectatur; ſed hic remediorum reſolventium, quae in fontem morbi veram profunde penetrando febribus ſucceſſive medentur pertinaciſſimis, utilitas praecipue eſt manifeſta. Aſt, quaenam in caſu quocunque eligantur remedia reſolventia, non indifferens eſt *l*).

Si materia obſtruens lympha ſtagnans, aut mucus tenax immobilis, pallore faciei inprimis, urina pallida, excretionibus alvinis pituitoſis, frigore etc. ſe manifeſtans, eſſe reperitur: proficua ſunt ſal ammoniacum, ſalia alcalina, pilulae ſquilliticae Edimburgenſes No. 44., calomel, extractum aconiti, hyoſcyami, aſa foetida, extracta amara, cum illisque mixta gumm. ammoniacum, galbanum, ſagapenum, ſapones, ſarſaparilla. ari radix, herba cum floribus arnicae *m*) cicuta, belladonna, pimpinellae albae,

l) Vid. quae hac de re ſupra jam ſunt expoſita p. 105. ſeq.

m) B. m. *Stolle* adverſus febres quartanas pertinaces duplicesque feliciſſimo cum ſucceſſu illa uſus fuit. Florum arnicae in pulverem tritorum quantitatem quandam cum corticum aurantiorum ſyrupo in electuarii ſpiſſioris formam redigebat, cujus portionem nuci moſchatae pondere aequalem quater quotidie exhibuit. Poſt doſin hanc ventriculi dolor — tolerabilis tamen — oriebatur. Doſes autem majores ſymptomata omnino excitabant vehementiora, quae tamen remediis anodynis diverſis, inprimis opio, celeriter tutoque ſuſtulit. Quo doſes exadverſo majores ſumebantur, eo febris profligabatur citius. Decoctum, quod in febribus putridis ab ipſo praefertur, hoc in

albae juniperique radix, nec non inprimis tartarus tartariſatus, terra foliata tartari, ſulphur antimonii auratum, No. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44 45. 46. usque 53., aquae ſelteranae, Wildungenſes, Spadanae, Emſenſes, aqua calcis vivae etc. — cel. Wendt (5. u. 6. Nachricht von dem Krankeninſtitut zu Erlangen, p. 34.) ſulphur auratum antimonii cum ſapone Starkeyano junctum in febribus quartanis quotidianisque, inprimis in febre quartana hepatis induratione, ictero corporisque totius tumore ſtipata efficax invenit proficuumque. Compoſitio erat ſequens: Rec. ſap. Stark. drachmas duas,

ſulph. antim. aurati liquid. drach. ſex.
aquae menth. piperit. uncias ſex.

M. S. omni trihorio ſumatur cochlear unum.

Syrupus quoque addi poteſt, nec non quandoque extracta amara. Sulphur autem antimonii auratum, ut ſulphur auratum revera in ſe contineat, juxta cel. Hermbſtaedt methodum praeparatum ſit oportet. Selle neue Beiträge, 3. B.

Efficaciae quoque inſignis hic ſunt clyſteres ad modum *Joann. Kämpfii n*) indeſinenter continuati. Methodus Kämpfiana comprobata obſervationibusque feliciſſimis confirmata *o*), qua cel. auctor noſter ad morbos chronicos pertinaciſſimos, a viſcerum abdominalium obſtructione ortos, debellandos incredi-

 bili

in caſu effectus exoptandos minime praeſtitit. Vomitum ciet celerius, cardialgiam autem, a qua febris ſanatio tamen hic pendere videbatur, cauſabatur rarius. Rat. méd. Tom. III. p. 168. 169.

n) *J. Kämpf.* Enchirid. med. pag. 103.

o) Deſcripta eſt methodus haec in ſerie diſſertationum V, quarum IV extant in *Baldingeri* ſylloge ſelect. opuſc. Vol. III. p. 245. 281. 314. et 364. Vta reperitur in Tom. III. diſp. pr. *Halleri.* —

Digitized by Google

bili cum emolumento uſus fuit, quaeque laudari ſatis nequit, jam ſatis ſuperque nota eſt ex illius tractatu: *Abhandl. von einer neuen Methode, die hartnäckigſten Krankheiten, die ihren Sitz im Unterleibe haben, beſonders die Hypochondrie, ſicher und gründlich zu heilen. Zwote verm. u. verbeſſ. Auflage, welcher die Beantwortung der dagegen gemachten Einwendungen angehängt iſt. Leipz. 1786. 8.* *) Methodus haec multis in caſibus morbos procul dubio ſanavit pertinaciſſimos; aſt non ſemper ex voto ceſſit: 1) quia perverſe applicabatur; 2) quia neque debite, neque diu ſatis continuabatur; 3) quia impedimenta inſuperabilia, partim nota, partim incognita, praeſto erant; et 4) quia ſaepius, ubi applicabilis non erat, applicabatur. Diverſis hinc in caſibus noxia fuit, quotidieque adhuc in manibus illorum, qui debite illam adminiſtrare ignorant, nocet. *Kämpfium* ex hac vita ereptum eſſe, damnum eſt irreparabile. Diem obiit ſupremum 29. Octobr. 1787. Remediis hisce reſolventibus laxantia quoque et reſolventia ſunt interponenda, de quibus omnibus tempore ſuo plura dicentur. Sub reſolventium cunctorum, inprimis acriorum, uſu, decoctorum ptiſanarumque congruarum portiones largas potandas eſſe, regula quoque eſt primaria.

Quando remediis ſupra commemoratis obſtructiones hae cedere nolunt, remedium adhuc ſupereſt egregium, *antimonii medicinalis regulus*, qui moderate irritando lympham quamlibet ſtagnantem efficaciſſimo modo mobilem reddit et reſolvit, viasque tranſpirationi dicatas, rebus ſic ſe habentibus, in

*) Anno praeterito prodiit iterum editio hujus libri nova, quam autem nondum vidi, ideoque, num prae editione 1786 praerogativas habeat, determinare nequeo. Translatus quoque eſt in linguam belgicam. *K.*

Digitized by Google

in febribus praecipue quartanis, pigerrime ſuccedenti, omnique idcirco ratione promovendae *p*), aperit, febriumque harum indicationibus graviſſimis hac ratione praeſtantiſſimo ſatisfacit modo. Addita ſimul infuſa ſemivinoſa ex roborantibus, reſolventibus laxantibusque medicamentis utilitati nonnunquam fuerunt maximae, cujus generis formula habetur No. 33. Pro potu ordinario hic ſarſaparillae decoctum ex radicis hujus unciis quatuor cum aquae menſuris ſex vel octo ad partis quartae conſumtionem evaporatum, cuique in coctionis fine radicis liquiritiae portio quaedam addi poteſt, utile eſt. Sarſaparillae quoque graminis aut bardanae radix ſubſtitui egregie poteſt, cujus decocto vinoſo — aquoſo ſolo, cui ſennae folia addebantur, quartanas multas ſe ſanaviſſe perhibet empiricus gallus *q*). At ſi praeceptis his quoque obſtructiones pertinaces radicibusque defixae altiſſimis obtemperare nolunt, ad mercurialia refugiendum eſt, utpote quae lympham tenaciſſimam, tam humores incraſſantem, quam in inteſtinis ſtagnantem efficacius adhuc reſolvunt, quaeque Huxhamius, Ballonius, Stahlius, Fr. Hoffmannus, Don. Monrous, Schulzius, Alberti, Senacus, Collinus, Ludwigius, Pezoldus, Buch-

p) Sudoris promotioni ſucceſſus procul dubio felix debetur, quem cel. Fordice (med. and ph. comm. vol. VI. Murray's Bibl. 3. B. 3. St. p. 408.) a pulvere Doveri expertus eſt, quippe cujus doſi unica, una cum potu ſudorifero ex ſale cc, duabus ante paroxiſmum horis exhibitis febrem quartanam biennem cortici peruviano remediisque aliis reſiſtentem paucis profligavit diebus. Experimentum hoc Genevae ſucceſſu pari repetitum fuit. Quando ad ſudorem perduci poteſt febricitans, paroxiſmus evaneſcit plenarie, ſin minus, inde tamen valdopere minuitur idem.

q) *Welſch*: epiſt. IV.

Buchnerus, Medicus, Lyſonius, Benevenuti, Tiſſotus, Baldingerus, Lentinus aliique commendant. Optime antimonii regulo medicinali mercurii dulcis grana quaedam, ſimul cum ſulphuris antimonii aurati tertiae praecipitationis grano uno alteroque admiſcentur, cum quibus tempore eodem ſarſaparillae, bardanae polypodiique radicum decoctum, utpote mercurii effectum egregie promovens, bibendum exhibeatur. Uſui eidem aethiops mineralis Plummerique pulvis alterans inſervire poſſunt. Si forte ſalivationem excitaret mercurius: haec non modo non pertimeſcenda, ſed potius conſervanda eſt, quoniam ſucceſſus felix moleſtias curationis cunctas ſufficienter remunerat *r*), quamvis hoc nihil conſtans ſit, febrisque absque omni ad ſalivationem reſpectu perpetuo progredi poſſit, quo in caſu illa omnino eſt cohibenda. Media ſimiliter ſub ſalivatione febres exortae ſunt intermittentes.

Medici nonnulli mercurium febribus intermittentibus eo ſolummodo in caſu mederi contendunt, ſi malum quoddam ſub illis deliteſcat venereum; verum enim vero febres quartanae pertinaciſſimae, absque omni venereae luis ſuſpicione, illo certiſſime ſunt perſanatae. Praecipue Lyſonii hoc probant obſervationes. Quando corticis peruviani uſum ſucceſſive permittunt circumſtantiae: calomel illi per tempus adhuc quoddam admiſceri ſaluberrime poteſt.

Ut autem mercurius proſit, neque noxas cauſetur ſummas: remediorum reſolventium contraindica-

r) J. H. Schulze diſſ. de mercurial. uſu in febr. int. cur. Hal. 1742. in Halleri Beiträgen zur Beförderung der Geſchichte und Heil. der Krankh. — von Crell, 2. B. pag. 100. Hic quoque, inprimis mercurii reſpectu, nota cel. Crellii p. 112. legatur R. A. Vogel. Prael. cit. p. 18. —

Digitized by Google

dicatorum ſuſpicio omnis abeſſe debet; contraindicantur autem a corporis decremento magno, humorum diatheſi putrida etc.

Si obſtructiones indolis magis ſunt bilioſae, quod urina flava, cutis flaveſcens, oculi flavi, quorum albuginea tunica quandoque etiam maximopere pallida eſt, feces paucae, albae, argillaceae, ovorum albumini interdum ſimiles, dolor obtuſus fixus, in hypochondrio dextro ſub coſtis ſpuriis, praecordia tenſa, os ſiccum, ſapor amarus, tuſſis nonnunquam periodica ſicca, manifeſte declarant: tunc potius ſucci expreſſi (inprimis ad ſyrupi conſiſtentiam inſpiſſati et cochleatim cum lactis ſero hauſto), aut decocta ſaturata extractaque rad. bardanae c. tot. rad. graminis, taraxaci c. tot., cichorei, ſaponariae c. foliis, marrub. alb., heder. terreſtr., ſcolopendr., flor. arnicae aliarumque reſolventium, ſaponacearum herbarum cum ſalibus mediis, prae cunctis aliis, tartaro ſolubili tartarique terra foliata; oxymel, fructus horaei maturi recentes coctique, ova cruda, lactis ſerum etc. No. 32. 54. 55. 56. 57. 58, clyſteres et balnea conveniunt.

Si cum illis remedia congrua externa, unguenta et emplaſtra diſcutientia, volatilia mercurialiaque, praecipue emplaſtrum ſaponatum, de cicuta, de belladonna, de galbano, frictiones abdominis ſedulae, diaeta levis accurata, motus moderatus continuus, inprimis equitando, thermae Emſenſes, Wisbadenſes, Meinbergenſes climatisque interpoſita mutatio combinantur: hilaritatem, appetitum, ſomnum ſucceſſive redire, faciei colorem emendari, excretiones alvinas debite ſuccedere, ſtatumque in genere eatenus in melius mutari, ut nunc cortex peruvianus ferro inprimis aquisque martialibus junctus febrem

K 5 for-

fortaſſe nondum plenarie abactam tollere, ſanitatemque univerſam reſtituere et confirmare poſſit, laeti videmus.

Captu caeteroquin haud difficile eſt, quod saepius jam monuit cel. auctor operaque data repetit, ex remediis reſolventibus commemoratis ea ſemper tantummodo eligenda eſſe, quae individui cujuslibet ſtatui, prout hic plus minusve plethoricus, ac in inflammationes pronus, ſenſibilis, irritabilis, debilis eſt et cacochymicus etc. maxime ſunt congrua.

Sub hoc rerum ſtatu nihil praeterea magis nocet, quam purgantia fortiora copioſa, quippe quae obſtructiones perpetuo faciunt immobiliores, tandemque in hydropem malaque maxime inſanabilia praecipitant. Haec interim certis ſub intervallis, prout cruditates ſolutae denuo ſe accumulaverunt, atque per ſigna cognita ſe manifeſtant, non ſunt negligenda.

Quando autem ſub remediorum reſolventium uſu continuato aegrotus perpetuo infirmior ac miſerior, febrisque continuo progrediens pertinacior evadit: tunc cortex peruvianus nihilominus in uſum vocandus, atque tentandum eſt, num poſt illius uſum, vel ſub eodem remedia reſolventia effectum exſerant ſalubriorem. Corticem peruvianum hoc in caſu tam ſalutarem fuiſſe, ut medicamenta reſolventia haud ulterius fuerint neceſſaria, exempla habentur. Neque minus cum cortice peruviano flores ſalis ammoniaci martiales cum emolumento tunc ſunt combinati, quippe qui, praeter vim fortiter reſolventem, tonici quidquam, utut parum illud ſit, quum particulae martiales, floribus ſalis ammoniaci adhaerentes, reſpectu doſis, qua iſti praeſcribuntur, non magnam mereantur attentionem, conjunctum habent.

§. 62.

Digitized by Google

§. 62.

In febrium intermittentium paroxiſmis remedia quoque interdum requiruntur, quae vero ſanationem febris ipſam non concernunt, ſed partim ſymptomatum conſuetorum, ſitis, aeſtus, cephalalgiae levamen pro ſcopo habent, partim autem primarioque ſymptomatibus aliis inconſuetis gravibusque, unde malignitatis nomen febres iſtae obtinent, occurrendi fine adhibentur.

In frigore febrili nulla alia e re ſunt medicamenta, praeter talia, quae motibus naturae ſpaſticis immoderatis obicem ponunt ſudoremque futurum facilitant promoventque, quem in finem praecipue flores ſambuci, chamomillae, meliſſae malvaeque folia etc. in infuſo theaeformi ex tepido calido proficua ſunt. Infuſa interim haec moderatiſſime ſunt potanda, quia aliter ventriculum gravant et inflant, ventriculum enim in frigoris ſtatu ſpaſtice affici, ſupra jam monitum fuit, unde ejus orificia clauduntur, neque liberum potulentis permittunt tranſitum. Aegrotus igitur potius ſaepe, vicibusque ſingulis parum bibere, ſitimque caeteroquin etiam citri aurantiorumque malorum lamellis in ore retentis levare debet. Potus frigidi nocent omnes. In caloris ſtadio hoc longe ſe habet aliter. Aliquot horas ante frigoris, ſeu paroxiſmi initium nihil eſt edendum, ut vomitus praecaveatur moleſtus.

Praeterea in frigoris ſtadio, quaecunque minimo modo calorem cauſari ſolent, cautiſſime ſunt vitanda, quoniam calor inde frigus excipiens mirum exacerbatur in modum; calefactio corporis moderata exadverſo per potus lenes ſupra deſcriptos, per integumenta bona, per pediluvia ex tepido calida corporisque univerſi balnea, frigus ſalutari minuit modo,

modo, et quamvis frigori calor non ſemper ſit aequalis, tamen frigoris allevatio abbreviatioque regimine deſcripto inſtituta calorem plerumque efficit moderatiorem. Imitatione omni digniſſimum eſt, quod cel. Lind. in caſibus centenis proficuum invenit. Mixtum nempe ex aceti vini unciis duabus, cretaeque vel cancrorum oculorum drachmis duabus in ipſo efferveſcentiae actu ſub frigoris ſtadio hauriendum, ac qualibet ſub acceſſione repetendum ſuadet. Frigus inde abbreviari ſudoremque promoveri perhibet s).

Neque minus adverſus ſpaſmos vehementes, frigus violentiſſime exaſperantes, ſi hoc nihil vetet, opii doſis quaedam tuto praeberi poteſt. Caſibus in peſſimis mortem ſic praecaveri poſſe, credit ill. auctor. At methodus illud dandi cognita eſſe debet. In caloris ſtadio potulenta medicamentaque temperantia, atque regimen frigidiuſculum et quietum proficua ſunt. Scopo priori aqua fontana pura, cui pro aegrotantis lubitu aceti ſacharique, aut ſyrupi cujusdam grati v. g. rubi idaei quantitas quaedam admiſcetur, e. g. utriusque unciae binae aquae menſurae I admixtae, aut limonada ex aqua, citri ſucco ſacharoque compoſita, aut ceraſorum decoctum cum ſacharo addito, aut hordei, avenae, acetoſae, radicum graminis et altheae ptiſana. cui nitri oxymellisque portio quaedam additur, aut hordei perlati infuſum cum citri ſucco ſacharoque etc. ſatisfaciunt. Neque minus cereviſia tenuis potus eſt adſuetis innocuus. In caloris ſtadio caeteroquin potulenta quaecunque, ut ſitim extinguant caloremque imminuant, frigidiuſcula ſint oportent. Medicina valdopere grata reficiensque deſcribitur No. 34. ubicunque acida haec minus conveniunt, nitrum, vel

s) L. c. p. 269.

vel in formula No. 35, vel, ut potentius refrigeret, in pulvere a granis XV, ad drachmam usque dimidiam, cum ſachari dimidio praeſcriptum, viceque ſingula in aqua pura recenter ſolutum, effectum praeſtat eundem. — Capitis dolores in febribus intermittentibus facili modo evaneſcere, ſi aegrotus linteum tenue faciei ſuperimpoſitum patiatur, fomenta exadverſo frigida periculoſa eſſe, *perhibet *Roſen.* Vid. Haus- und Reiſeaporh. Lpz. 1781. pag. 101. nec non Kinderkr. 4. Ausg. p. 434. 435. Lintei ſuperimpoſiti ope ſudor faciei excitatur, indeque cephalalgia tollitur.

Sudor debite ſemper curandus, quin potibus tepidis, ſero lactis vinoſo etc. conſervandus, nullatenus tamen cum vehementia eſt pellendus, quoniam ex illius neglectu ſequelae oriri poſſunt peſſimae. Bonnet (ſepulchr. T. I. pag. 333.) illius exemplum memorabile narrat: Puer annorum XIV, cui ſudor, ſub acceſſione febrili tertia, ex negligentia erat cohibitus, in oris, colli, partiumque aliarum convulſiones incidebat, tetano corripiebatur vehementi, paralyſis partes occupabat diverſas, aphonia afficiebatur plenaria, perque dies quatuordecim hoc in ſtatu manebat, donec febris acuta continua inde ipſum liberabat. Sequelarum noxiarum ſudorem non debite curatum excipientium exemplum in *Tiſſoti* libro: *Nervenkr. 2. B. p. 82. (Weberi Uebers.)* reperitur.

Interdum paroxiſmum inſtantem, ſi impedimentum obfuerit nullum, cauſaeque materiales remediorum indicatorum neceſſariorumque ope ſint remotae, neque febris tamen cedere voluerit, avertere, licitum eſt et poſſibile. In febribus intermittentibus perfectis legitimisque, praecipue quartanis, remediis quibuscunque pertinaciſſime repugnantibus, neque

neque tam a viſcerum obſtructionibus humorumque cacochymia ſuſtentatis, hoc inprimis locum habet. Res itaque hic cum charactere febrili nervis impreſſo, remediisque reſiſtenti cunctis, habetur. Methodus haec praeſervans in eo conſiſtit, ut horas aliquot ante paroxiſmum ſudor excitetur profuſus, atque per totum paroxiſmi decurſum continuetur, aut ut nervi diverſimode, per animi affectus, iram, terrorem, mentis in rem aliquam directionem intenſam, timorem, indolis variae motus concuſſionesque corporis vehementes, curſum, ſaltum, luctationes, muſicam etc. concutiantur. Qua cum cautela remedia haec, quorum quaedam quoque paroxiſmum, frigore licet jam incepto, obtundunt, confundunt ſuffocantque, ex parte ſint adminiſtranda, facile perſpicitur. Remediorum variorum ſuperſtitioſorum et ſic dictorum ſympatheticorum effectus ſaepe inopinati inde explicari poſſunt.

Si febris indolis eſt inflammatoriae, cujus mentio ſupra jam facta fuit: h. e. ſi capitis dolores *t*) aeſtus-

t) Lindii teſtimonium experientiis diverſis ſuffultum (l. c. p. 295.) de opii mox poſt caloris eruptionem exhibiti uſu in febribus intermittentibus cel. *Dalberg* in litteris ſuis ad illuſtrem *Murrayum* exaratis confirmat. Opium in ſopiendis capitis doloribus vehementibus, in paroxiſmis nonnullis toties obviis, remedia cuncta hucusque ipſi cognita ſuperare paroxiſmumque ipſum caeteroquin leniorem efficere, perhibet. Illius effectum ſecurum adeo, ſalubremque eſſe, ut ſatis ſibi ob ejus cognitionem adquiſitam gratulari nequeat, pergit. Vid. Murray. med. pr. Bibl. 3. B. p. 321. cel. Dalbergium capitis dolores iſtos, de quibus hic ſermo eſt, quique ab inflammatione ſanguinis vera ejusque congeſtione verſus caput violenta oriuntur, intelligere non potuiſſe, facile perſpicitur, quamvis et hic experientiae rectae ratiocinio cuilibet ſint praeferendae, atque deliberandum foret, ſpaſmum nihilominus febrilem ad capitis dolo-

aeſtusque valde ſunt vehementes; pulſus plenus et durus, reſpiratio celeris laborioſaque; ſitis ingens; caput obnubilatum; lingua ſicca, facies urinaque praerubrae, aegrotus plethoricus, haemopticus, in apoplexias pronus eſt, ſi haemorrhagiae conſuetae ſuppreſſae, aut neglectae ſunt, ſi extra paroxiſmum capitis dolor pulſusque plenus remanent: absque mora, cujuscunque etiam indolis febris fuerit, et quidem, vel ſtatim, calore adhuc durante, quodcunque huic objiciatur methodo, vel extra paroxiſmum, inau-

dolores hosce excitandos multum conferre poſſe, unde hoc quoque in caſu, venaeſectione tamen praemiſſa, levamen inde expectari poſſet inſigne. Obſervationes iſtae praeterea ex illis quoque, quae de opii effectibus in febre ſoporoſa commemorabuntur, pondus obtinent magnum. His obſervationem parvam novitatis ſingularis inſtar a medico quodam ipſi communicatam, addere adhuc voluit cel. *auctor.* Medicus hic aegroto febre intermittente laboranti, ob capitis dolores enormes, anxietate ductus omni horae quadrantes guttas laudani liquidi Sydenhamii ſucceſſu adeo inexſpectato, ut cephalalgia febrisque mox evaneſcerent, exhibuerat. Lindii obſervationes incognitae ipſi erant. Cel. *Odier*, Genevae praxin excercens (med. and phil. comm. vol. VI. p. 351. Murray's Bibl. 3. B. 3. St. p. 408.), in opio exhibendo Lindio adhuc audacior eſt. Hora dimidia poſt caloris initium elapſa aegrotis ſuis laudani guttas XXV exhibet, unde ſymptomata leniuntur paroxismusque abbreviatur. Nonnullis in caſibus his ſolis febris profligata fuit, quamvis corticis peruviani tamen doſes quasdam remediaque laxantia neceſſaria habeat. Feroci adeo in delirio opium praeſcribit. Withers, Dahlberg, Gregory, Cullen etc. methodum hanc pariter commendant. Fere omnia, de opii in febribus intermittentibus utilitate collecta, habentur in *J. J. Schaertlich* Diſſ. inaug. de uſu opii in febr. int. Goett. 1783. Michaelis in Bibl. ſuae Tom. II. p. 203. teſtatur, ſe opiatum poſt evacuationes ſufficientes ſemper ante frigoris initium multis centenis vicibus optimo cum ſucceſſu exhibuiſſe. Revera corticem nonnunquam ſuperfluum facit, juvatque interdum, ubi ille ſpem noſtram fruſtratur.

Digitized by Google

inauditis illis, qui venaeſectionem in febribus intermittentibus in genere, ut noxiam, rejiciunt, vena eſt incidenda. Neque minus pro re nata eadem eſt repetenda. Si ſanguis tempore eodem vehementer verſus caput pellitur, capitis ſitus altus, frigidiuſculus, pediluvia, clyſteres, ſinapiſmi pedum plantis ſuppoſiti etc. proſunt.

§. 63.

Inde ad febrium ſic dictarum malignarum, ſymptomatibus vehementiſſimis periculoſiſſimisque ſtipatarum, brevique absque auxilio citiſſimo lethalium curationem perducimur. Symptomata haec ſupra ſunt recenſita, ſignaque, ex quibus hoſtis latens plerumque ſuſpicari poteſt, indicata. Haec autem breviter repetenda ſunt: 1) Si quis in genere, epidemia ejusmodi maligna graſſante, febre intermittente corripitur: hoc ſtatim attentionem cautelamque requirit; 2) ſi ſub paroxiſmis nonnullis, faciem caeteroquin ab initio febris benignam lenemque prae ſe ferentibus, aegrotus laſſitudinem inſolitam, ſomnolentiam, ſtuporem etc. ſentit; aut 3) ſi praeterea ſymptomatum ſupra recenſitorum, aſthmatis, cardialgiae, diarrhoeae etc. veſtigium apparet minimum. 4) Si urina ſaturata, craſſa, alcalina, turbida, foetens, cinerea, cum moleſtia doloribusque mingitur; 5) ſi hypochondria valdopere ſenſibilia tenſaque, aut ſigna caeteroquin viſceris alicujus, cerebri, hepatis, pulmonis, affecti ſuſpicionem praebentia praeſto ſunt, atque 6) ſi moleſtiae hae omnes cum paroxiſmi fine notabiliter quidem remittunt, aſt tamen non plenarie evaneſcunt, interque pathemata alia capitis praecipue ſtuporem ingentem relinquunt. Si autem ſignorum horum omnium nullum ſe manifeſtat: tamen caſibus in cunctis nullatenus certi ſumus,

mus, quoniam febres hae, ut ſupra jam dictum fuit, ſubito quandoque et absque prodromo omni corpus ſaniſſimum, extraque epidemiam aliquam, invadunt; quoniam porro intervallum inter acceſſiones ab omnibus nonnunquam moleſtiis liberum plenarieque eſt apyreticum, et quoniam tandem ſedimentum lateritium febris intermittentis praeſentiam non ſemper declarat. Talibus in caſibus nihil reſtat, niſi, ut, ſimulac ſupra expoſitorum ſymptoma quoddam, v. g. inſultus apoplecticus, veſtigiis exiguis relictis, poſt intervallum temporis certum nova redit vehementia, aut ſi poſt paroxiſmos aliquot praegreſſos ſymptoma ejusmodi accedit, circumſtantiis reliquis quomodocunque conſtitutis, ſub conditionibus porro indicatis, ad iſtud transeamus remedium illico, quod ſolum febribus hisce periculoſis tollendis par eſt, ad quod eo magis citiſſime eſt confugiendum, ſi indicia alia, conſtitutio praeprimis epidemica ſedimentumque lateritium, febris ejusmodi ſuſpicionem juſtam eſſe, declarant.

Quando in caſu quodam ſignorum omnium defectus dubium relinquit, num indolis commemoratae ſymptoma, ſubito exortum, febris ſit intermittens vera, morbus omnino tractari aliter nequit, quam natura illius vera exigit; ſi autem ſymptoma tale mox plus minusve evaneſcit, temporisque intervallo certo, vice ſecunda tertiave, vehementia redit nova: tunc absque mora omni morbus in intervallis ſuis antidoto ſuo unico eoque certiſſimo, reſpectu ad indicationes alias quascunque reſolutionis, purgationis etc. habito nullo, ſtatim — niſi enim ab acceſſione una ad alteram, iis. quae corticis peruviani effectui bono certoque obſunt, removendis tempus ſufficeret — eſt aggrediendus.

Simulac nunc doſium corticis peruviani repetitarum ope, quarum magnitudo repetitioque iteranda durationi apyrexiae breviori longiorique, ſymptomatumque vehementiae reſpondere debent, paroxiſmus proximus eſt averſus. tunc circumſtantiis proſpiciendum reliquis indicationibusque caeteris per remedia congrua ſatis eſt faciendum, ſic ut tunc ſub corticis peruviani continuatione ulteriori morbus auferatur plenarie cunctisque obex ponatur recidivis.

In paroxiſmis ipſis quaecunque pro periculo magno praeſenti avertendo paroxiſmique fine celerrime accelerando poſſibilia ſunt, fieri debent.

Si aegrotus plethoricus eſt, ſi ſanguis verſus cerebrum pulmonesque violenter ruit etc., ſique in genere indicationes venaeſectionem exigentes praeſto ſunt *u*) haec quantocius inſtituenda, nec non, ſi indicationes iſtae pergant, eſt repetenda. Sanguinis ſimul verſus partem aliquam, praecipue, ut in febribus ſoporoſis apoplecticisque, verſus caput, congeſtioni, ratione qualibet, clyſteribus ſaepius repetitis emollientibus ex infuſis ſaturatis malvae, chamomillarum, verbaſci florum cum ſapone aut lini oleo, aut oxymelle; cucurbitulis occipiti raſo et nuchae, nec non hirudinibus, VIII, XII — XVI, temporibus, collo, pone aures applicatis, artuum inferiorum cum pannis aſperis ſcopulisque ſetoſis frictionibus;

u) In genere animadverſione dignum eſt, venaeſectionem in morbis ſpaſmodicis, quales iſti plerumque ſunt manifeſte, non abutendam, ſed ad ſpaſmum potius reſpiciendum eſſe, qui ſanguinem omnino verſus partem minime reſiſtentem pellit, ibidemque ſigna plethorae cuncta cauſatur, quae autem evaneſcunt, ſimulac ſpaſmus in abdomine praeſens fuerit ſublatus. —

Digitized by Google

bus; ſinapiſmis ſuris appoſitis, interdum veſicatoriis, pediluviis, quibus cineres ſinapeosque ſemen etc. adduntur, obex eſt ponendus. Caput ſimiliter, ſi hoc primario pateretur, in ſitum reponatur altum, tamque frigidum, ac fieri poteſt, ſervetur, atque cum pannis aqua frigida impraegnatis continuo fomentetur, quorum utilitas, quod bene notandum, ſi pediluvia efficaciter revellentia clyſteresque emollientiſſimi, antiſpaſmodici tempore eodem ſimul in uſum vocantur, non ſatis laudari poteſt. Interne ſanguis tempore eodem per remedia maxime refrigerantia, ſi aegrotus deglutire poteſt, temperari, affectioque ſpaſmodica per medicamenta efficaciſſima No. 36. ſopiri lenirique debet, ut his omnibus, ſi fieri poſſit, tam mors apoplectica ſubitanea, quam inflammationes praecaveantur periculoſiſſimae.

Omni praeterea attentione digniſſimae *auctori* noſtro videntur obſervationes, quas b. m. Wittenſohn de inſigni, quam opium in febre maligna ſoporoſa intermittente ab ill. *Hoffmanno* archiatro monaſterienſi (nunc Moguntinenſi) matronae cuidam illuſtriſſimae exhibitum, praeſtitit, utilitate (in diſſert. inaug. demonſtr. opium vires cordis debilitare etc. Harderovici 1775. 4.), recenſet. Aegrota aphona, oculis apertis fixis comatoſa, membris quibuscunque rigidis, pulſu parvo intermittente, reſpiratione laborioſa ſtertente, paucis, febre intermittente ſoporoſa affecta jacebat, quum *Hoffmannus*, qui feliciſſimo cum ſucceſſu ejusmodi in caſibus opium jam adhibuerat, laudani liquidi guttas XCV poſt unum alterumve minutum deglutitas illius ori infundebat. Aliquot minutis praeterlapſis pulſus fiebat major, reſpiratio liberior, et intra horae dimidium ſtatus hic periculoſus totusque paroxiſmus ſoporo-

poroſus erat victus etc. Hoc non modo nocte ſecunda, quum paroxiſmus revertebatur, ſucceſſu pari repetebatur, ſed tertius adeo paroxiſmus laudano horam ante ejus acceſſionem exhibito tali avertebatur modo, ut paroxiſmus quidem febrilis, aſt ſymptomatibus periculoſis nullis nulloque ſopore ſtipatus, rediret; et jam cortex peruvianus, vomitu antehac ſemper rejectus, paroxiſmos avertebat ulteriores omnes. *Wirtenſohn* has opii vires obſervationibus poſthac propriis adhuc confirmat. Quum obſervationes has minimo modo in dubium vocandi ratio adſit nulla; quum porro, quomodo effectum talem praeſtare poſſit opium, captu non ſit difficile; tandemque, quum opii in ſopiendis capitis doloribus ſub febrium intermittentium paroxiſmis affligentibus vires confirmatae, obſervationibus illis tam pulchre reſpondeant: ill. Vogelius ne momentum quidem temporis in morbo adeo terribili opemque citiſſimam requirente, remedium, quod ratio et experientia probant, tentare haeſitaret. Verum longiſſime abeſt, quin hoc cautelas hucusque traditas, quasque circumſtantiae praeſentes reliquae offerunt, excludat. Huc venaeſectio neceſſitate urgente praemittenda, clyſteres antiſpaſmodici emollientes, quibus opium quoque addendum eſt, fomenta fomentationesque emollientes abdomini et ſub pediluvii non applicandi defectu, artubus inferioribus ſuperimpoſitae etc. praecipue referri merentur. Notandum adhuc eſt, opium hic doſibus largis repetitisque exhibendum, illique praeterea vitrioli naphtham non inepte addendam eſſe.

Si paroxiſmi manifeſte naturae ſpaſticae ſunt et convulſivae, quales *Lautter x*), *Brüning y*), *Medicus*

x) L. c. p. 54.

y) Conſt. epid. Eſſend. pag. 117.

dicus z) aliique obſervaverunt: methodus medendi antecedens ex parte caſibusque in plerisque, congrua eſt: Venaeſectiones, clyſteres, frictiones, remedia emollientia temperantiaque, ſub quorum applicatione autem ſpaſmo ſimul proſpiciendum erit, locum inveniunt.

Externe huic ſcopo egregie ſatisfaciunt unguenta vi efficaci balſamica et nervina praedita, jam ante paroxiſmi invaſionem ſpinae dorſali, temporibus abdominique illinienda. Hujus generis eſt *balſ. ceph. ſer.*, *balſamus Scherzeri*, vel compoſitio ſequens: Rec. ungti pomat. unc. I olei dſtt. rutae — lavendulae āā gttas XII, balſ. peruv. drachm. I. M. Huic totidem adhuc olei animalis Dippelii guttae aut olei caſtorei drachm. II admiſceri, vel per ſe quoque a) adhiberi poſſunt. Similiter linimentum ſaponaceum, cum laudani portione aequali remixtum, quod cel. Lind infantum ſpinae dorſali illinit, cum emolumento hic foret tentandum, quemadmodum cel. auctor in ſymptomatibus ſpaſticis ſimilibus laudani naphthaeque vitrioli partes aequales, cauſis antea, quantum fieri poterat, ablatis, manifeſto illiniit cum levamine.

Remedia interna, ſi qua aſſumi poſſunt, praeter ſupra recenſita relaxantia, emollientia, aperientia, temperantia revellentiaque, ex opio caſtoreoque conſtare debent, quae illo praeprimis in caſu proficua ſunt, ſi cauſa materialis nulla ſtatui huic anſam proprie ſuppeditat, ſed motus ſolummodo febriles impetuoſi inordinatique nervorum, fundamentum ſymptomatum cunctorum conſtituunt.

 At

z) Beobacht. I. Th.

a) V. *R. A. Vogelii* Prael. cit. pag. 19.

At ſymptomatum horum ſpaſticorum convulſivorumque, nec non apoplecticorum illorum ſoporoſorumque cauſam proximam ſaepiſſime in viarum primarum colluvie corrupta, putrida acrique, bilioſa, per lumborum, artuum dorſique dolores, per ponderis gravativi in cordis ſcrobiculo ſenſum, per nauſeam, emeſin bilioſam, ſaporem putridum, amarulentum etc. aperte ſatis utplurimum ſe manifeſtante, praecipue quaerendam eſſe, attentionem meretur accuratam. Sub hoc rerum ſtatu ante omnia, ut amurca haec bilioſa, ipſis adeo, modo non nimis exaſperatis, in paroxiſmis, per remedia potulentaque attenuantia, clyſteres, emetica et purgantia corrigatur evacueturque, opera danda eſt, quibus debite adhibitis, ſtatus ſpaſticus haud raro evaneſcit, aut remiſſio ſaltem inſequitur notabilis.

Cauſam ſaepe eandem deliria habent, quae frequenter non minori, quam ſymptomata priora, periculo ſunt ſtipata. Haec igitur hoc in caſu methodum medendi requirunt eandem, praeter quam reliquis ſimul indicationibus venam incidendo, ſcarificando, hirudines applicando, clyſteres injiciendo, ſinapiſmos, veſicatoria, pediluvia remediaque aperientia et refrigerantia adminiſtrando, ſatis eſt faciendum.

Reſpiratio difficilis, pectoris oppreſſio magna, tuſſisque adeo interdum convulſiva, ut aegrotum omni momento ſuffocatura videatur, pariter remedia requirunt talia, quae ſanguinis verſus pulmones congeſtionem moderantur avertuntque, ſpaſmos ſopiunt, ac ſputa promovent, quae apte etiam combinari invicem poſſunt: igitur venaeſectiones, clyſteres, pediluvia, veſicatoria, opiata, caſtoreum, moſchus, kermes minerale etc. in uſum vocentur. Si

bilis

Digitized by Google

bilis corrupta acris ſymptomatis hujus cauſa eſt; regula hic valet eadem, juxta quam illa, ſimulac per circumſtantias licet, eſt evacuanda.

In febribus, quarum paroxiſmi ob animi deliquia terribiles evadunt, quae praecipue mulieres hyſtericas corripere obſervantur, ſic, ut motus quilibet parvus vitae vires exhauriat, pulſum infinite parvum, ſudores frigidos faciemque cauſetur luridam, omnia illa, tam externe, quam interne neceſſaria ſunt, quae vitae vires quantocius ſuſcitare poſſunt et animare: remedia antihyſterica nota omnia, frictiones cum pannis laneis aſperis ſcopuliſque ſetoſis, odorifera volatilia, praeprimis vini acetum concentratum, clyſteres irritantes, aquae frigidae aſperſiones, brachiorum, ad cubitum usque, in aquam frigidam immiſſiones etc. His tamdiu pergendum eſt, donec paroxiſmus pro vice hac feliciter ſit ſuperatus, adverſus cujus reditum ulteriorem aegrotus corticis peruviani ope eſt muniendus.

Terrorem non minorem incutiunt febres intermittentes illae, quarum paroxiſmi ex frigore conſtant adeo acerbo, ut homo glaciei inſtar rigidus immobilisque jaceat, cum quo interne contra aeſtum urentiſſimum, pectorisque oppreſſionem ſentit violentam, quae omnia tandem ſudore excipiuntur profuſo. Quantopere ſtatus hic debilitans eſſe debeat, quomodoque poſt paroxiſmos repetitos ob privationem virium plenariam circulique ſanguinei ſuffocationem perfectam mors tandem ſequi poſſit, facile apparet; quapropter omni opera per remedia externa et interna, per frictiones, manu ſcopuliſque ſetaceis inſtitutas, per balnea calida (quibus cineres, ſinapios ſemen, furfures, herbae emollientes antiſpas-

ſpaſmodicae addi poſſunt), per ſinapiſmos veſicatoriaque ſuris et brachiis applicata, interne autem per florum chamomillae, herbae meliſſae, malvae, ſalviae infuſa theaeformia tepide calida, per vinum adeo calidum, per opium, per emulſiones camphoratas, per julapia moſchata etc. ſpaſmus hic cutis immoderatus relaxandus ſanguinisque circulatio impedita excitanda eſt et reſtauranda. Effectus primarius tamen a remediis expectandus eſt externis, quia ob ſtatum ventriculi ſpasmodicum cuncta ipſi ingeſta non progrediuntur ulterius, ſed in illo ſtagnant ſaepeque vomitu iterum rejiciuntur ſubitaneo. Caeteroquin autem remediorum calefacientium internorum reſpectu, quae ſupra, in frigoris ſtadio exhibita, calorem illud excipientem notabiliter augeri dicta ſunt, hoc in caſu illud non adeo pertimeſcendum eſſe, quia cum ſudore paroxiſmi immediate terminari ſolent, et quia ob periculum vitae imminens tantus ad caloris augmentum reſpectus haberi nequit, exceptio hic locum habet, quamvis remedia iſta non ſine cautela prudentiaque ſint adhibenda, eorumque uſus tempore debito ſit intermittendus. Statim poſt paroxiſmum ſuperatum remediorum aliorum omnium vice cortex denuo fungitur peruvianus.

Methodus fere eadem in febribus illis adminiſtranda eſt, in quarum paroxiſmorum caloris ſtadio aegrotus ſudore diffluit frigido, unde vitae vires cunctae tempore brevi adeo exhauriuntur, ut ſigna mortis fere cuncta finem tragoediae inſtantem annuncient. Remedia hic vi vitae vires reſtaurandi, ſudorisque effluvium cohibendi atque paroxiſmi finem accelerandi efficaciſſima praedita in uſum ſunt vocanda, atque poſt paroxiſmi periculum ſuperatum cortex peruvianus doſibus largiſſimis, quarum ope cel. Torti

Torti ſemet ipſum aegrotosque duos alios ex orci faucibus eripuit *b*), eſt propinandus.

Remedia iſta cuncta, in ſequentibus ut efficaciſſima adverſus ſpaſmos, dolores colicos, cardialgias etc. indicanda, febres poſtulant illae, quarum acceſſiones ſymptomatibus ſtipatae ſunt ejusmodi, et quae ad deſperationem usque vehementia atrociaque fieri poſſunt, ſic, ut ſub ſymptomatibus maxime terribilibus, emeſi doloroſa, convulſionibus, lipothymiis, ſudoribus frigidis etc mors ſequatur certiſſima, niſi paroxiſmus praeſens, remediorum adverſus ventriculi inteſtinorumque ſpaſmos efficaciſſimorum celerrimeque juvantium ope, ſuperetur feliciter, ſequensque corticis peruviani doſibus magnis iteratisque avertatur mature. Prioris autem generis remedia ſunt clyſteres emollientes, antiſpaſmodici ex herba malvae, furfuribus tritici, ſpeciebus carminativis pro clyſtere, ſapone, oleo lini, oleo chamom. menthae, rut., coct., radice valerianae *c*), aſa foetida; pediluvia et ſemicupia tepida; opium, omni hora bihoriove repetitum; linimenta talia, inprimis linimentum volatile, fomentationes calidae ex herbarum malvae, meliſſae, menthae, florum chamomillae r. ſeminis foeniculi, cumini, aniſi etc. decoctis concentratis, ex lacte calido; interne autem ex uſu ſunt potus emollientes tepidi cum *laudano liquido Sydenhamii*, *ſpiritu nitri dulci*, *liquore antiſpaſtico Lentini d*), caſtoreo etc. Si cauſa materialis praeſto eſt, ea ſimul corrigenda eſt et evacuanda.

L 5 Pari

b) V. Therap., ſpec. p. 268.

c) Rec. rad. valerian. ſ. unc. ſemis — unam. Coque in aquae fontan. q. ſ. ad unc. VIII. in vaſe tecto. Colat. adm. gum. arab. unc. ſem. D. S. pro clyſtere.

d) Ex digeſtione valerianae cum liquoris anod. partibus VI praepara-

Pari ratione paroxiſmis febrilibus emeſi violenta, diarrhoeis dyſenteriisque ſtipatis remediis adaequatis in capite de morbis his agente, ut ſalutaria indicandis, occurrendum eſt. Cunctis aliis hic praecellit *Riverii* potio ſalina No. 37. ipſo in efferveſcentiae actu haurienda.

Eadem quoque ſymptomatibus reliquis, febrium intermittentium paroxiſmis ſe immiſcentibus, aut ſub illis latentibus, medendi methodi ratio eſt. Cunctis in caſibus remediorum ſtatui cuilibet congruorum uſui tamdiu inſiſtendum eſt, donec apyrexia ſequatur aut remiſſio manifeſta.

§. 64.

Via ratioque, juxta quas febres iſtae malignae omnes, paroxiſmo feliciter ſuperato, corticis peruviani ope radicitus ſint tollendae, breviter in hoc §. ab auctore noſtro docetur. Regula eſt, ſtatim poſt paroxiſmum corticem peruvianum ea exhibere doſi, ut, ad paroxiſmum proxime pertimeſcendum usque, quantitas illius tanta ſit ingeſta, quanta huic avertendo ſufficit. Doſis hunc in finem neceſſaria ſymptomatum periculo apyrexiaeque accommodatur brevitati etc. ut ſupra monitum fuit. Hoc reſpectu omni ſaltem bihorio trihoriove, neceſſitateque majori urgente, hora quavis, quin quaelibet hora dimidia, vel ſingulo illius quadrante, pulveris ſubtiliſſime triti drachma una ad drachmas usque duas exhibentur, ſic ut apyrexia durante uncia una et ultra conſumatur, ſi nempe paroxiſmum proxime inſtantem inde praecaveri ſpem concipere velis, id quod poſt doſium

paratur atque ad guttas XVI usque XX exhibetur. Medicinae hujus egregiae praeparandae modus adhuc efficacior indicatus, illiusque uſus ſimul confirmatus extat in Baldingeri promptuario, Tom. IX. p. 3. p. 259.

ſium minorum exhibitionem non modo non accidit, ſed eundem tunc vehementia redire majori experientia quoque docuit; quare, ſi temporis ante paroxiſmum inſtantem brevitas corticis peruviani ad minimum unciam dimidiam exhibere non permitteret, illum pro hac vice potius omittendi conſilium datur. Si pulveris quantitas talis ingeri nullatenus poteſt, decocti, infuſi etc., aut in clyſterum forma doſis tanta ingerenda eſt, quanta pulveris doſi indicatae aequalis eſt.

In genere hoc caſibus in ſequentibus, poſtquam apyrexia aut remiſſio ſaltem apparuit notabilis directe, ſineque remedii cujusdam alius praemiſſione fieri ſolet: 1) ſi tale nullo indicatur modo, atque 2) ſi intervallum inter paroxiſmos adeo breve periculumque adeo eſt urgens, ut momentum nullum ad paroxiſmum ſequentem ſupprimendum ſit negligendum.

Si apyrexia exadverſo ſatis eſt longa, ſi venaeſectio, vomitus laxantiumque uſus, quorum neglectio corticis peruviani efficaciae abſolute obeſſet, indicantur: indicationibus his prius ſatis eſt faciendum. Tali modo bilis corruptae accumulatio magna cauſari poteſt, ut cortex peruvianus continuo vomitu rejiciatur, adeoque uſum praeſtet nullum, quod interim haud raro quoque nihilominus accidit, quo in caſu opiata addi, vel in clyſteris forma cortex peruvianus applicari debet, ſicut in ſequentibus prolixiori exponitur ſermone.

Quando autem ſordibus evacuandis tempus non ſuppeteret, corticisque peruviani effectus ab illis inevitabili cohiberetur modo: laxantia cum cortice peruviano, absque tamen juſtae illius quantitatis imminutione optimo cum ſucceſſu combinata fuiſſe, medicorum magnorum experientia docuit. Corpus ſimul

ſimul, quantum fieri poteſt, purgari debet. Paroxiſmo proxime inſtante hac ratione feliciter averſo, facile eſt, corticis peruviani uſui continuando remedia interponere talia, quae colluviem adhuc praeſentem evacuant plenarie. Si interim paroxiſmus redit lenis: methodus eadem, ut in priori, adminiſtratur, illoque ſuperato corticis peruviani uſus modo ſupra deſcripto ex hebdomade una continuatur in alteram, donec veſtigium febris nullum appareat amplius. Tutiſſimum eſt, corticis peruviani doſes, victo licet periculo, parum tantummodo imminuere, illisque opii praebia minora in intervallis interponere.

Si forte contingeret, ut aliquam alicubi ob cauſam cortex peruvianus nullus aegroto per os ingeri poſſit, aut, ut illum, ſaburra licet ventriculi evacuata, ſub forma varia, ſingulis iterum vomitu rejiceret vicibus: nihil reſtat, niſi, ut idem intervallis certis elapſis in clyſteribus tanta applicetur quantitate, quanta juxta methodum pluries deſcriptam effectui exoptato producendo ſufficit. Si autem et hoc quoque fruſtraneum foret: ab opio, ut ſupra monitum fuit, effectus expectandus eſt optimus, quod nempe horam ante febris ſoporoſae paroxiſmum hoc cum emolumento fuit exhibitum, ut paroxiſmus quidem, ſed absque ſopore tamen, rediret, atque deinceps cortex peruvianus quoque a ventriculo retentus febrim vicit plenarie. Pari modo opium ſaluberrimum fuit inventum, ſi ſymptomatum cauſa non tam materialis erat, quam in turbatione nervorum magna ſyſtematisque nervoſi motu impetuoſo quaerenda, quae idcirco remedio nulli, praeter opium, cedunt, quod hunc in finem ſalutariter cum cortice combinatur.

§. 65.

§. 65.

Morbis adhuc, ſub febrium larvatarum nomine, ſupra deſcriptis medendi methodus deſcribenda reſtat. In paroxiſmis remedia requirunt talia, quae naturae earum ſunt accommodata; in intervallis autem cortex peruvianus plerumque remedium illarum unicum eſt, ſi, cauſis ſuis materialibus, quae illis febrium intermittentium ſimiles ſunt, abactis, ſponte non evaneſcunt, quod tamen frequenter fieri ſolet. At non omnes morbi periodici febres habendi ſunt larvatae intermittentes, quoniam non omnes ex cauſis oriuntur iisdem, neque cortici cedunt peruviano. E contrario cauſae quaedam, cum febrium intermittentium cauſis nexum habentes nullum, morbos periodicos quosdam interdum producunt, quibus cortex peruvianus quoque medetur, quae vero idcirco febres intermittentes larvatae non ſunt habendi.

§. 66.

Febrium intermittentium epidemicarum forma faciesque, annis annique temporibus diverſis adeo ſaepe differt, ut earum curationis regulae generales apte dari nequeant, ſed, pro illarum natura diverſa rite inveſtigata dijudicataque, medendi methodus mox haec, mox illa eſt eligenda. Mox indolis ſunt inflammatoriae; mox in putredinem vergunt; mox viarum primarum ſordibus bilioſis, pituitoſis, verminoſisque; mox hepatis viſcerumque obſtructionibus aliorum ſunt ſtipatae; hisque methodus illis medendi ex antecedentibus cognita ſatis reſpondet. Caeterum hic, ſicut in morbis epidemicis cunctis, indicatio illa gravis juvantium nocentiumque attentione animadvertenda eſt juſta, quum remedia eadem, quae vice alia ſub conſtitutione epidemica fere

eadem

eadem nocuerunt, jam utiliſſima eſſe queant ſaluberrimaque, et vice verſa ſub epidemiae initio plurimis hoc ſemper conjunctum eſt cum difficultatibus, medicorumque plurium attentionem requirit ſummam. Utut febres diverſimode ſint tractandae, cortex peruvianus tamen, remotis impedimentis omnibus, vel per ſe, vel medicamentis remixtus aliis, remedium characterem febrilem proprium deſtruens, recidivas praecavens laboremque totum methodo non imitanda abſolvens, ultimum manet infallibileque.

§. 67.

Quaenam febribus affectis intermittentibus conveniat diaeta, ex recenſitis ſupra noxiis innocuisque rebus conjicitur facile.

Quo vires concoctrices in genere ſunt debiliores, cibi leviores concoctuque ſint faciliores oportent. Senes, debiles, exhauſti infantesque alimentis, ut vires ad morbum vincendum neceſſariae ſuffulciantur, indigent pluribus, ſed concoctu facillima eſſe debent.

Ventriculus in paroxiſmi ſtadio concoquit nihil, ideoque omnia ingerenda, apyrexia durante, et quidem ita, ut ſub paroxiſmi acceſſu digeſtio plenarie ſit finita, adſumi debent. Quo apyrexia eſt brevior, eo alimenta pauciora convioraque ſunt praebenda. Quaecunque ventriculus non concoquit, febri pabulum ſubminiſtrant.

Ex abſtinentia autem ſub apyrexiis longis nimia humores facile acredinem contrahunt, viresque conſumuntur manifeſte.

Cibi omnes duri, glutinoſi, pingues, flatulenti noxii ſunt, quippe qui in ſaniſſimis quoque per ſe febres cauſari poſſunt intermittentes, ſexies febris ter-

tertianae recidivam virum quendam ſubiiſſe vidit cel. auctor, quia vicibus ſingulis poſt febris emanſionem ventriculum opplebat, recidivamque emetici ope ſuſtulit vice qualibet citiſſime, unde ſimul carnis bovillae maſſa ingens, ante triduum ingeſta, evacuabatur. Appetitui igitur poſt febrem ſuperatam plerumque magno cum prudentia ſatis eſt faciendum.

Cibi ſale conditi, ob ſal ſuum reſolvens aperiensque, per ſe non adeo noxii, ſed hoc reſpectu potius ſalubres ſunt, modo ventriculus perferat illos, cibos ſaepe longe leviores non concoquens.

Neque etiam animalium carnes in febribus intermittentibus in genere adeo, ut vulgo creditur, noxiae ſunt, aſt raro tamen illas appetunt aegroti ventriculusque carnem ſolummodo tenerrimam molliſſimamque concoquit.

Aegrotis cibum potumve quendam licet non perfecte ſalubrem avide deſiderantibus, illorum portio modica eſt concedenda, quoniam febres intermittentes, poſtquam appetitui ejusmodi ſatis fuit factum, evanuiſſe adeo viſae ſunt *).

Prae cibis aliis omnibus inprimis haleces recentes aegrotis comedendos permittit cel. auctor, quos etiam, cibis aliis licet nauſeam creantibus, appetere ſolent *e*) quosque plurimis in caſibus pro vera habet medicina.

Febri-

*) Pulchre hinc *ill. Swietenius*, „mira enim, inquit, haec quandoque ſunt naturae in morbis debellandis molimina, quae omnem ſaepe artis medicae ſolertiam ſuperant.„ Comment. Tom. II. §. 645. pag. 230. *K.*

e) Cel. *de Haen* aegrotos febribus intermittentibus pertinaciſſimis, viarum primarum ſordibus fere inſuperabilibus ſtipatis decumbentes, appetitu inſatiabili haleces deſideraſſe ſalitos, in

Febricitantes cibos quandoque, in ſanitatis ſtadio illis adverſos, deſiderare, notatu dignum eſt.

Avenae decorticatae juſcula potusque, quibus aegrotorum ſuorum ventriculos opplent medici nonnulli, aegrotis ſuis non obtrudit cel. auctor, quoniam ventriculum relaxant, neque tamen ſitim ſedant. Magis amant panis decoctum, cereviſiaque tenuis rite fermentata illis quoque — praecipue adſuetis — innocua eſt.

Poſt paroxiſmum quemlibet induſium madidum lectique linteamina permutare ſalutiferum eſt, idque etiam ideo, quia contagii exempla rejici plenarie nequeunt.

Neque minus proficuum eſt, ſi apyrexiae tempore extra lectum aegrotus morari corporisque motus lenes inſtituere poſſit, qui enim continuo in aëre exhalationibus ſuis impraegnato verſantur, difficillime ſanantur; commotiones autem immodicae et quaecunque tranſpirationem turbant, animi pathemata vehementia, ſemper noxia ſunt.

Senibus, exhauſtis, debilibus, vino adſuetis, hauſtus illius modicus proficuus eſt ſaluberrimusque. Ad curationem febrium adaequatam in febribus praecipue epidemicis autumnalibus vernalibusque aër purus, ſiccus calidusque maximopere confert, aërisque mutatione ſola febres pertinaces finem attigiſſe viſae ſunt. Neque minus in regionibus humidis, nebuloſis pluviisque multis expoſitis, ad flumina lacusque ſitis, febrium intermittentium patriam eſſe, cogni-

in Belgia ſaepius obſervavit. Utut autem a medicis cibus hic prohibebatur triſtesque ſequelae inde oriundae aegrotis exponebantur, appetitui tamen ſuo largiter vicibusque ſatisfacientes iteratis ſanitati reſtituebantur, medicosque jam deridebant ſuos. Praelect. path. ed. V. Waſſerberg. T. III. pag. 27.

cognitum eſt, unde loci mutatio unicum ſaepe adverſus hos morbos praeſidium eſt.

§. 68.

Finita febre neceſſe eſt, ſicuti jam monitum fuit, ut in roborantium uſu per hebdomadas aliquot pergatur, ad recurſus quoslibet impediendos, eundemque in finem diaetae vitia, calefactio quaelibet quodlibetque refrigerium, vitari debent. Si corpus per febris durationem longam valdopere eſt enervatum debilitatumque: corticis peruviani martisque infuſa vinoſa et ſemivinoſa, nec non aquae martiales, poſt ſordium quarumlibet evacuationem, effectus praeſtant maxime egregios. Neque minus ſtomachica alia bona, elix. viſc. Roberti Whytti, Kleinii, vitrioli Mynſichti ventriculo, ſub enervatione qualibet plurimum ſemper patienti, tonum reſtituunt ſuum. Diaeta cauta, motus moderatus, vini boni hauſtus, quod vires ſuas analepticas roborantesque eo exſerit perſeverantius, ſi juxta Swietenii conſilium cum pane biſcocto illi intincto hauriatur, reliqua abſolvunt ſanitatemque reſtituunt integram.

Purgantium praeſcriptio poſt febres ſuperatas, quantum fieri poteſt, vitanda eſt, quippe quae in ſubjectis praecipue teneris irritabilibusque recidivas facili negotio cauſari obſervata ſunt. Quo purgantia vehementius operantur, eo hoc facilius omnino eſt pertimeſcendum; leniora autem aliter ſe habent, quae igitur non raro hanc ob rationem neceſſaria ſunt, ut recidivas avertant, quoniam viarum primarum ſordes, cauſis recidivarum adnumerantur frequentiſſimis. Purgantia indicata, modo non juſto fortiora, eo recidivam praecavent ſecurius, ſi, operatione eorum finita, corticis peruviani uſus ſtatim iterum per tempus quoddam continuatur.

Quandoque ventriculi, perfecte licet puri, atonia mera cauſa eſt, cur appetitus neque redire velit, neque digeſtio rite ſuccedat. Tali in caſu purgantia ſunt evitanda; ſed ſtomachica ipſiusque etiam corticis peruviani uſus continuatus iſti medentur languori. Similiter frictio ventriculi et abdominis cum pannis flanellaceis mane jejuneque inſtituta, atque per horam dimidiam die quolibet repetita, vires concoctrices promovet egregie.

§. 69.

Vix autem finitur febris, quin oedematoſo tumore, majore vel minore, pedes occupentur; qui vero ſponte ſe rurſus ſubtrahit, quam primum fibrae robur ſuum naturale recuperarunt, et corpus aſſiduo motu excercetur. Quando autem hoc ita non fieret, aut aegrotus eo ſecurius citiusque ab illo liberari cupit: pedes pannis perfumatis ſedulo fricandi, aut juxta Thedenii praeſcriptum faſciis ſunt deligandi. Si pertinacior adhuc foret, corticis cum juniperi Roob in electuarium formati, aut remediis aliis admixti ope, una cum faſciatione, tollitur certiſſime. Thedenii pulvis diuraeticus effectus hic quoque praeſtat egregios.

Sudores remanentes moleſtos, debilitantes, cortex peruvianus vel per ſe, vel cum aluminis portione quadam, acidum vitriolicum, aut ſalviae infuſum vinoſum, vel aquoſum ſanant.

§. 70.

Febres intermittentes male curatas, praecipue remediis adſtringentibus ſupra recenſitis, arſenico corticisque ipſius peruviani uſu perverſo, cauſis materialibus adhuc reſtitantibus, ſuppreſſas, diverſos morbos cachecticos, inprimisque viſcerum induratio-

nes,

nes, hydropes, icteros, phtiſes, tympanitides, tuſſes, aſthmata, hemicraniam, cophoſes, amauroſin, vertiginem etc. excipere, ex praecedentibus ſufficienter apparet.

Quandoque autem ſequelae iſtae metaſtaſesque absque medicamenti ullius culpa conſtitutioni epidemicae malignae, viſceris cujusdam atoniae ſingulari, humorum craſi pravae, animi pathematibus, tranſpirationi cohibitae cauſisque aliis in corpore latentibus debentur.

Si autem febris revera eſt ſuppreſſa, morborumque commemoratorum aliquis jam erumpere incipit: neceſſe eſt, ut quam primum revocetur, quod quidem eo eſt facilius, quo propius hi morbi a ſuppreſſa febre abſunt, neque vero tum ſemper febris revertitur, ſed in vicem ejus ſcabies ſuccedit, quam nullatenus turbare, ſed fovere potius oportet.

Febrem ſemel ſuppreſſam directe talique revocare modo, ut intra debitos contineatur cancellos, neque jam morbo illi aſſociata, corpori periculoſa potius, quam ſalutifera evadat, maximae difficultatis opus manet, praecipue quum naturam a via ſua ſemel deflectentem in tramitem redigere priorem adeo plerumque arduum ſit, neque remedium ullum cognitum hactenus habeatur, quod febri ſuppreſſae directe revocandae par foret.

Interim *Thompſonii f*) conſilium ad tollenda ſymptomata diverſa, febrim intermittentem ſuppreſſam ſecuta, aegroto cuidam cum euphoria datum commemoratione dignum eſt. Conſtitit conſilium hoc in eo, ut balneo frigido uteretur aegrotus, deincepsque corpus totum cum mantili per tempus quoddam fricandum curaret, quippe quod febris intermittentis paroxiſmum quadamtenus imitatur.

M 2 Medi-

f) Med. Rathpflege, p. 224.

Medici praeterea illi ſunt ſequendi, qui morbos, poſt febrim ſuppreſſam exortos, taliter adgrediendos ſuadent, qualiter eorum natura cauſaeque requirunt. Si igitur viſcerum obſtructiones praeſto ſunt: hae medicinis reſolventibus efficacibus reſolvi, viarum primarum ſordes emolliri et evacuari, ſanguinis acrimoniae corrigi, excretiones ſuppreſſae promoveri, ſanguinis verſus partem aliquam congeſtiones vehementes temperari etc. debent. Febris interdum hac ratione, inprimis ſub remediorum laxantium reſolventiumque uſu, opinione citius iterum erumpit, quae jam, cauſis illis remotis, cortici peruviano cedere facile ſolet.

Ubi vero morbi illi remediis ipſis adaequatis cedere nolunt: cortice medicamentis his admixto *g*) cura felicius ſuccedere viſa fuit, id quod in praecedentibus uberius fuit probatum.

In genere remedium nullum febrium intermittentium ſuppreſſarum ſequelas potentius ſanare, quam cortex peruvianus, vel per ſe, praecipue ſi ab avariori juſto potius, quam maturiori illius exhibitione morbi hi, ut febris intermittentis ſemiſuppreſſae reliquiae, ſunt exorti, vel illis admixtus medicamentis, quae morbi relicti naturae competunt, experientia docuit, quemadmodum illi rariſſime aut plenarie non ſunt pertimeſcendi, ſi febris per requiſitum ſufficientemque corticis uſum radicitus profligatur.

§. 71.

Scriptores, qui de febribus intermittentibus egerunt, primarii ſunt: *Torti*, *Morton*, *Collin*, *Cole*,

g) V. *El. Fr. Heiſteri* differtat. de quart. et hydrope per cort. peruv. curat. Helmſt. 1740. *Werlhof.* opp. T. I. p. 59. ſeq.

le, Werlhof, Senac, Grainger, Trnka de Krzowiz, Medicus, Cleghorn, Lind, Monro, Pringle, Brocklesby, Grant, Baldinger, Krankh. e. Armee, 2. Ausg. Lyſon, Stoerck, Nicolai, Lautter, Stoll, Ralm, Roſen Kinderkr. Car. Strack obſſ. med. de febr. intermitt., et qua ratione eisdem medendum ſit. Opus praemio ornatum. Offenb. 1785. etc. quorum ſcripta jam ſunt allegata.

Caput tertium.

De febribus continuis.

Febres continuae in genere illae vocantur, quae, plerumque poſt frigus mox minus, mox majus, quod tamen utplurimum non adeo vehemens eſt continuumque, quam in febribus intermittentibus, per totum morbi decurſum aeſtum perpetuum comitem habet. Sub aeſtu hoc continuo vel *remiſſio* determinata quaedam et manifeſta *exacerbatio*que obſervantur, vel non apparent. In caſu priori *exacerbatio* plerumque in horas matutinas, *remiſſio* autem in veſpertinas nocturnasque incidunt, quamdiu nempe morbus adhuc in ſuo initio eſt. Remiſſio haec exacerbatioque paribus, aut imparibus diebus tali plerumque modo ſibi invicem reſpondent, ut inde ſimiliter, ac in febribus intermittentibus, typus oriatur ordinarius. Unde veterum denominationes: *Amphimerinae*, quarum acceſſiones quotidie et quidem frigore praegreſſo, quo ab auctoribus quibusdam a quotidianis continuis diſtinguuntur, redeunt; paroxiſmi hi quotidiani indolis plerumque febrium

tertianarum duplicium eſſe ſolent, ſic ut alternatim leniores ſint acerbioresque, eoque reſpectu dies primus et tertius, ſecundus et quartus etc. ſibi reſpondeant, quod tamen nihil conſtans eſt; *tritaei*, aut *tritaeophae*, *tertianae remittentes*, quae altero quoque die exacerbantur; *hemitritaei*, *ſemitertianae h*), quae quotidianas exacerbationes habent cum frigore alternis diebus recurrente; diſtinguuntur inter ſe *hemitritaeus Galeni*, *hemitritaeus Celſi; legitimus*, *exquiſitus*, *et nothus;* febris exacerbationibus quotidianis, aut alternis, horrore aut frigore recurrens, maxime maligna, ſymptomatibus ſtipata periculoſiſſimis, habetur; in genere febris eſt, ex continua aut remittente, atque ſimplici aut duplici tertiana compoſita; ad claſſem illam febres bilioſae putridae maligniſſimae perſaepe pertinent; non autem febris particularis eſt habenda; *Tetartophyae*, *Quartanae* remittentes, quae quarto quovis die abſque frigore ſudoreque exacerbantur, rariſſimae ſunt, ſed diuturnae periculoſaeque ſolent eſſe. Quandoque ex febre quartana intermittente oriuntur. *C. Piſo* tetartophyam ſoporoſam

h) Medici nonnulli febres haſce neque continuis, neque continentibus, ſed claſſi adnumerant propriae, quas *compoſitas* ſeu *proportionatas* appellant, ſub qua denominatione in genere febres illae comprehenduntur, quae ex febribus intermittentibus pluribus, aut ex febre intermittente et continua remittente, aut ex ſynocho et intermittente, aut ex ſynocho et continua remittente, compoſitae ſunt. *Hemitritaei* deſcriptiones tantopere variant, ut nomen auctoris ſemper ſit addendum, ſi intelligi volueris. Eorum diverſitates ſignaque diagnoſtica accurate determinavit *Burſerius*. Inſtit. med. pr. Vol. I. pag. 328 ſeq. Vid. quoque Behrends de ſemitertiana in Baldingeri prompt. T. 7. part. I. Frequentius obſervaretur hemitritaeus, niſi, ex obſervationis accuratae defectu, negligeretur dignoſcereturque ſaepius. Cel. *Michaelis* eundem in America aliquoties vidit, illoque ſemel ipſe afficiebatur. Vid. ej. med. pr. Bibl. 1. B. S. 133.

Digitized by Google

ſam deſcribit, in qua quarto quovis die ſopor horas durans duodecim, menſeque quinto mortem inferens, exoriebatur *i*).

Febres noſtrae remittentes plerumque poſt exacerbationes quasdam tertianas quotidie exacerbantur, quae exacerbationes tunc diebus alternis quoad tempus, ordinem vehementiamque conveniunt. Febres quartanae remittentes rariſſimae ſunt.

In febribus remittentibus caeteroquin typi mutationes fere eaedem locum habent, quam in febribus intermittentibus; namque febres remittentes ex febre continua et intermittente ſunt compoſitae, quarum genius ſimplex, multiplex diverſusque febres remittentes pari modo multiplicat diverſimodeque modificat. Febrium harum fines determinatu idcirco ſunt difficiles, febresque intermittentes a remittentibus in eo ſolummodo differunt, quod illae apyrexias habeant manifeſtiores, atque paroxiſmos ſuos cum frigore incipiant. Febrium remittentium exacerbationes utplurimum ad faſtigium usque ſummum, et quamdiu morbus incrementa capit, anticipant; morbo cadente decreſcenteque poſtponunt. In caſu priori remiſſiones continuo fiunt breviores, exacerbationesque perpetuo longiores vehementioresque ſimul, ſic, ut in faſtigio morbi ſummo, in quo vel mors, vel criſis ſequitur ſalutifera, inter exacerbationes ambas ultimas remiſſio fere adſit nulla.

Quo acceſſio quotidie recurrit maturius, eo febris eſt vehementior illique duratio quoque in genere reſpondet, eoque citius vel in vitam, vel in mortem terminatur. Horarum ſeptem octove anticipatio, longiſſima eſt, febrisque talis inter acutiſſimas eſt referenda, quoniam aegri fatum paucis di-

 judi-

i) Select. obſſ. et conſil. etc. obſerv. 166. pag. 492.

judicat diebus. Si igitur acceſſio, ab initio veſpera recurrens, jam verſus meridiem redit: criſis propinqua eſt.

Morbo contra decreſcente: remiſſiones continuo longiores exacerbationesque evadunt breviores. Quando igitur paroxiſmus, ab initio veſpertinis invadens horis, nocte media, aut matutinis recurrit horis: morbus fortibus fugam intendit paſſibus. Tali ratione magna ſatis cum certitudine, ſi cuncta naturali ſuccedunt ordine, quamdiu febris ſit duratura, dijudicari poteſt; eo utpote brevius, quo longius anticipat, quo anticipationes exadverſo ſunt breviores, horam circiter dimidiam integramque vice priori citius, eo diutius diutiſſimeque, ſi paroxiſmi typum obſervant fixum immobilemque, febris durabit. Similiter hac ratione dijudicari poteſt, ſi criſes imperfectas febres inſequantur plures, quarum quaelibet novo incipit cum frigore, primo lenior eſt, tum exacerbatur, tandem faſtigium attingit ſummum, cujus exacerbationibus ultimis nulla amplius intercedit remiſſio. Inprimis febrium harum decurſus periodique ex pulſus, caloris, cephalalgiae, reſpirationis difficultatis etc. incremento decrementoque dignoſcuntur. In genere autem ut periodorum ordo obſervetur rite, attentio requiritur accuratiſſima, quoniam res tot extraordinariae, aëris conſtitutio temperiesque diverſa, vivendi ratio, medendi methodus, aegrotantis irritabilitas, animi pathemata cauſaeque plures aliae multis in caſibus periodorum ordinem valdopere obſcurant, immo revera turbant, ideoque earum obſervationem accuratam maxime reddunt difficilem. Quare periodi iſtae in climatibus temperatis coelique mutationibus paucioribus ſubjectis, nec non, quo minus naturae effectus in febris

Digitized by Google

febris progreſſu re aliqua turbantur, atque in febribus pleriſque contagioſis maxime ſunt regulares.

Occaſione hac ſilentio praeterire auctor nequit, quanto ſibi opere medici juniores cavere debeant, ne tam in prognoſi ſua, quam medendi methodo errores committant craſſos, ſi in caſu priori ſub remiſſione qualibet aegrotum mox cum ſanitate in gratiam rediturum laeti adnuntient, quae ſpes tamen ab exacerbatione ſequenti mox denuo interrumpitur, atque in caſu altero, ſi ſub exacerbatione qualibet medicamenta varient, illamque cauſis, quibus non eſt tribuenda, tribuant.

Hae febres geminantur quoque, ſic ut alius ſe illis intermiſceat typus. Quandoque etiam absque omni decurrunt ordine (*erraticae*), quem quoque tum deſerere ſaepius obſervantur, quo magis morti appropinquant, et qui praeterea crebro a cauſis turbatur externis. Quo minus contra naturae actiones in febris progreſſu in genere turbantur, eo regularius, inprimis in climatibus temperatis coelique mutationibus minus expoſitis, decurrunt. Caeteroquin periodorum ordini, in quem plerumque poſt exacerbationes quasdam ab initio non ita regulares, ſe infixerunt, libenter manent fideles.

Febres hae omnes continuae remittentes *k*) (συνεχεῖς) vocantur, ut a continentibus (συνοχοὶ διηνεγκεῖς) diſtinguuntur, quae quaſi unum tantummodo conſtituunt paroxiſmum vehementiaque pari ab initio ad finem usque, mutationibus ſucceſſivis, quas earum initium, incrementum, exacerbatio, faſtigium ſummum, ac decrementum ſecum gerunt, quasque diei temporum viciſſitudines etc. cauſantur, ex-

k) A nonnullis quoque *compoſitae* vocantur, ab aliis *continuae proportionales*, aut *continuae periodicae*, *continuae in ſpecie.*

exceptis, progrediuntur. Haud ita diu obſervationes docuerunt, febres noſtras acutas omnes, quomodocunque appellentur, ſub climate noſtro temperatiori nunquam adeo indeſinenter continuari, ſed temporibus pariter certis remittere tuncque axacerbari iterum, quod eo minus manifeſtum eſt, quo febres ſunt acutiores.

Praeter *Brendelii* teſtimonia *l*) febrem absque remiſſione notabili pergentem cel. *Cullen* quoque in praxi ſua annoſa nunquam obſervavit *m*).

Torti, *Lieutaud*, *Sauvages*, *de Haen*, *aliique*, febres hasce non ad finem usque absque vigoris exacerbationisque alternatione progredi, jure monent. Plerumque horis matutinis leniores quodammodo ſunt, poſt prandium, verſus veſperam, et alioquin a cauſis exacerbantur accidentalibus.

Neque minus Clark *n*) affirmat, ſe in febribus continuis plurimis, quas unquam viderit, licet remiſſiones nullae notabiles intercurrerent, tamen ſemper relevationes aliquas exacerbationesque obſervaſſe, ſic ut inde concludi poſſit, febris naturam veram eſſe, ut remittat, niſi inflammatione topica ſit ſtipata. At et hic quoque alternationes locum habent. Febres remittentes praeterea climatum cunctorum morbi ſunt epidemici. Similiter Neifeld (ratio med. morb. circ. ſang. p. 59.), febrium hanc in remittentes

l) Opuſc. math. et med. arg. ed. *Wrisberg.* p. II. p. 202. Febres acutas omnes et ſingulas noſtri coeli nunquam eſſe ſynochas, ſive continentes, quod diſcrimen omnium primo debetur *Galeno*, ſed continuas remittentes.

m) Firſt lines of the pract of phyſ. Edimb. 77. vol. I. p. 22.

n) *John Clarks* Beob. über die Krankh. auf langen Reiſen nach heiſſen Gegenden. — Aus dem Engl. Coppenhagen und Leipz. 1778. 8. S. 79.

Digitized by Google

tes et continentes diſtinctionem in praxi ſuperfluam eſſe, contendit. Experientia nihilominus diſtinctionis hujus utilitatem legitimavit omnino *o*). Et ſi quoque, licet rariſſime, ita accideret, ut febris acuta noſtro ſub climate progreſſum ab initio ad finem usque non interruptum, primo increſcentem, dein decreſcentem haberet, ut potius plerumque mox paululum remittat, mox exacerbetur iterum; ratio haec tamen non tam febris ipſius naturae, quam cauſis a morbo ſeparatis, v. g regimini, medendi methodo, diei tempori, animi affectibus etc. debetur; quare etiam mutationes, exacerbationes remiſſionesque morbi inde cauſatae aliter, quam in febribus proprie ſic dictis remittentibus, typum nullum regularem manifeſtumque ſequuntur, ſed incertis indeterminatisque appareant horis *p*), unde itaque illae ab his ſufficienti diſtinguuntur modo. Huic et illud accedit, juxta medicorum diverſorum veterum recentiorumque *q*) obſervationem, febrium continentium

o) *Selle* pyretolog. meth. pag. 90. ſeq.

p) Hoc tamen die quovis contingit, quin juxta obſervationem *Cullenii* veram ex lege naturae univerſali, quocunque die revolutio quaedam in corpore humano accidit, quemadmodum hoc ſomni, appetitus, pulſus verſus veſperam aucti excretionumque reverſio regularis probat, atque haec quoque revolutio procul dubio mutationes viciſſitudinesque in febribus quibuscunque quotidie obſervatas producit. Similiter in *febribus* ſic dictis *continentibus ſymptomaticisque*, qua irritamentum perpetuum ſuſtinet, horis matutinis aegrotus plerumque aliqua reficitur quiete, cutis nonnihil madeſit, verſus veſperam inquietior rurſus evadit aegrotus, interdum parvi momenti frigus oritur, inde tantummodo ſe manifeſtans, quod paulo magis ſe tegat aegrotus, tunc capitis dolores fortiores evadunt etc. Hoc autem non modo verſus veſperam contingit, ſed alio quoque tempore, quo primo incipiebat febris ab horis XXIV ad horas XXIV.

q) V. Selle l. c.

Digitized by Google

tium cauſam ſanguini potius humorumque circulo *r*) tribuendam, remittentium exadverſo cauſam in viis primis quaerendam eſſe, febresque eo in remiſſiones proniores eſſe, quo a viarum primarum ſordibus magis dependent, eo contra indeſinenter continentiores eſſe, quo iſtae ſunt puriores, et quo magis morbi cauſa materialis in ſanguine latet, quae indolis eſt mox putridae, mox inflammatoriae, mox alius. Hoc nullo modo manifeſtius dignoſcitur, quam ex obſervatione, ſi in febribus biliofis ſanguinis inflammatio illarum remiſſiones plenarie reddit obſcuras, iſtas poſt venaeſectionem inſtitutam mox manifeſtiores clarioresque evadere. Conſequenter inde utilitas omnino practica fluit, in febribus remittentibus viarum primarum purgationem momentum eſſe curationis primarium, quam febres contra continentes directe non requirunt, quamlibet et in his ſaepe ſaburra impura in viis inveniatur primis, cujus evacuatio neceſſaria eſt, quae autem nexum talem cum febre immediatum non habet, ut morbi cauſa materialis haberi queat. Similiter febres iſtae in viis primis dijudicari poſſunt, quam criſin artis ope adjuvare licitum eſt.

Neque tamen credendum eſt, febrium continentium cauſam ſanguini ineſſe directe, quippe quae in humoribus quoque lymphaticis, in nervis et aliorſum, quemadmodum in ſynochis diverſis, febribus nervoſis hecticisque, quae indolis ſunt continentis, haerere poteſt. Cauſa interim ſemper talis ſit oportet,

r) Inde denominatio, quae *Ballonio* debetur: *venoſae febres*, ſicuti illae *gaſtricae* vocantur, quae ex viis primis originem trahunt. Interdum ex viis primis tanta materiae corruptae copia in ſanguinem jam tranſiit, ut febris jam continenter, ſine remiſſione pergat. Haec febris *continens ſecundaria*, ſicuti *idiopathica*, *continens primaria* audit.

Digitized by Google

tet, ut febris inde absque remiſſione regulari manifeſtaque decurſum ſuum abſolvat.

Juxta *Burſerium*, cujus inſtitutiones med. pr. omni reſpectu attentione ſedula perlegendas collegis ſuis commendat ill. auctor, febrium remittentium continentiumque cauſa materialis fere eadem eſſe videtur, ſed in prioribus quodammodo parcior, vel inaequalior, ſic ut neque tanta, neque talis ſit, quam ut motus febriles eosdem viribus iisdem, parique cum vigore alendo ſufficiat, ſive hoc ab originis ſede locoque oriatur, aut pro influxus in ſanguinem, aut illius exhalationis ſucceſſivae periodicaeque proportione, ſive alio quocunque eveniat modo. In febribus igitur remittentibus, aut ex viarum primarum ſordibus, aut ex illarum humoribus corruptis, aut ex glandulis conglobatis, aut ex vaſorum lymphaticorum ſyſtemate univerſo, aut ex telae cellulosae cellulis aliquid interdum temporibusque certis in ſanguinem effundi, unde febres iſtae non modo excitantur, ſed etiam, ut novis recurrant acceſſionibus, aluntur, vero valdopere eſt ſimile.

§. 73.

Febrium continuarum fines maxime ſunt diverſi. Quaedam ſunt breviſſimae, ideoque ephemerae dicuntur, quia nychthemero uno, aut ad ſummum quatuor finiuntur (Ephemerae protractae dierum plurium). Aliae neque tam breves ſunt, neque tamen valde longae, atque die ſeptimo, nono, undecimo, decimo quarto vigeſimoque primo judicantur. Hae praecipue adhuc ſenſu ſtrictiori febres acutae vocantur, quippe quae periculo certo ſtipatae ad ſummum intra trium aut quatuor hebdomadarum ſpatium aegri fatum decernunt. Aliae denique terminum hunc longe excedentes, ad unum, duos pluresque protra-

trahuntur menſes *s*). Febres autem haſce non febrem unicam, ſed febrium acutarum plurium vel recidivarum immediate ſemet excipientium ſeriem habendas eſſe, monet cel. auctor.

In febrium indeſinenter continentium remittentiumque medio iſtae quodammodo ſunt poſitae, quae aeſtu mitiori, irregulari, neque continente, neque perfecte remittente ſymptomatibusque nervoſis pluribus, nullo modo ſibi reſpondentibus, neque cum cauſis manifeſtis nexum reciprocum habentibus, ſunt ſtipatae. Hae ſunt febres ſic dictae *nervoſae*. Febres tamen nervoſae quaedam, plenarie remittentium, mox quotidianarum, mox tertianarum inſtar decurrunt, igiturque typum fixum obſervant nullum. Ab his ſpecies alia eſt diſtinguenda, quae febris eſt continens, eaque, quam medici plurimi febrim appellant malignam, quae autem ab Anglis ex aliquo tempore *lenta nervoſa* vocatur. De hac in ſequentibus ſermo erit prolixior. Diſtinguuntur febres nervoſae caeteroquin in *nervoſas lentas et nervoſas acutas*. Priores lentius tardiusque proſerpunt. Naturae efficacia plenarie hic eſt ſuppreſſa, illiusque idcirco vires morbi potentiae adeo ſuccumbunt, ut, criſi felici formandae impares, artis adminiculo efficaci indigeant. Poſteriores ſunt vehementiores, oriuntur velocius periculoque celeriori in ſpatio febribus acutis competenti terminantur. De febribus nervoſis capite ſingulari agetur.

Ab his diſtinguendae adhuc ſunt *febres* proprie ſic dictae *chronicae*, quorſum febres hecticae phtiſicaeque pertinent, quae typum habent plerumque quoti-

s) Febrium acutarum die centeſimo centeſimoque et vigeſimo demum judicatarum exempla leguntur aqud *Hippocratem* L. Epid. III. aeg. 1 et 9. conf. L. de diebus judic. p. 25.

Digitized by Google

quotidianum fixum, atque per annos durare poſſunt, de quibus tempore ſuo plura dicentur. Hae igitur ſunt febres remittentes quotidianae. Indolis ejusdem *febres* ſunt ab Ettmullero *lymphaticae* dictae, a glandularum vitiis, ſcrophulis, bubonibus, rachitide, ſcorbuto, lue venerea etc. ortae. Hae omnes febres ſunt chronicae et quidem ſymptomaticae.

§. 74.

Febres continuae omnes vel ſimplices ſunt, indolis inflammatoriae inflammatione topica ſtipatae, vel ſine illa, biliosae, putridae, pituitoſae, lymphaticae, hecticae, phtiſicae nervoſaeque, vel ex cacochymiis hisce compoſitae, ita tamen, ut illarum una praedominetur. Illarum diverſitati cura febris ejusdem diverſa adcommodanda eſt, indeque febrium quarumlibet indicationes curatoriae deſumuntur. Ad claſſem hanc nempe febres redigi poſſunt omnes, ſive ad continentes pertineant, ſive ad remittentes, ſive ſint idiopathicae, ſive ſymptomaticae, ſive ſimplices, ſive compoſitae, regulares, aut irregulares, ac quocunque caeteroquin inſigniantur nomine, quemadmodum ſupra jam monitum fuit.

§ 75.

Quidquid praeter aeſtum continuum, pulſum celerem, oris, faucium labiorumque ſiccitatem, ſitim, urinam coloratam, atque virium proſtrationem certam, quae phaenomena ſimul ſumta ideam febris acutae exhibent ſimpliciſſimam, ſe illi, ſymptomatum extraordinariorum inſtar, immiſcet, ſymptomatis nomine generali comprehendimus; quorum numerus valdopere multiplex eſt, quaeque viarum primarum humorumque ſordes vel pituitoſas, bilioſas, verminoſas, aut caloris gradum ingentem, aut ſanguinis

guinis verſus corporis partem aliquam congeſtionem affluxumque vehementem, aut plethoram, aut ſyſtema nervoſum debile, irritabile, ad ſpaſmos pronum, aut vires vitales ſuppreſſas, aut exanthemata latentia, aut conſtitutionem aëris epidemicam ſingularem, aut idioſyncraſias quasdam, aut regimen perverſum, aut methodum medendi pravam cauſasque plures alias partim in corpore, partim extra illud praeſentes neque ad morbi eſſentiam pertinentes, pro fundamento habent.

Huc autem pertinent: inquietudo; anxietas; ciborum faſtidium; animus abjectus; anaeſtheſia; horrores intercurrentes, animi deliquia; ſenſus unius pluriumque abolitio, oris aphthae; petechiae; exanthemata miliaria aliaque; debilitas ingens; lingua muco obducta, ſicca, rubra, flava, nigra, aſpera, fiſſa, tumida, rigida, retroflexa, tremula, immobilis, ſapor corruptus; ſputa varia; tuſſis; ptyalismus; emeſis, artuum labiorumque tremor; pervigilium perpetuum; coma; alvus fuſa, vel adſtricta, mentis alienatio; artus frigidi: manus urentes brachiis frigidis; aut calor urens in vola manus, cum dorſi ejusdem frigiditate glaciali, frigus internum externusque calor, et vice verſa; ſtupor ſingularis, capitis gravedo ingens, reſpiratio difficilis, laborioſa, parva, celeris, tarda, inaequalis, profunda, fervens, ronchiſona foetensque, ſanguinis profluvia ex viis corporis cunctis ipſisque ex poris cutaneis, cephalalgiae vehementes, vertigo, aurium tinnitus, cutis corrugata ſordida, virideſcens, flava, nigra, ſicca, aſpera, ſurditas, ſingultus; coma vigil; corporis immobilitas gravitasque; icterus; deliria ferocia aut tranquilla, eorumque effectus; loquacitas magna; murmurationes perpetuae; oculi rigi-

rigidi; pudoris abſentia; denudatio corporis indecens; manuum motus varii alternantes praepoſteri verſus frontem, aut quaſi ex aëre vel in pariete aliquid venari capereque vellent; vellicationes prenſationesque lecti; ſcrobiculi cordis, nuchae, dorſi, abdominis, pectoris, artuum etc. dolores, fecum urinaeque excretio involuntaria; teneſmus; deſiderium perpetuum erecte ſedendi; ſitus perverſus in lecto; ſitus perpetuus in abdomen; colli, manuum pedumque extenſiones frequentes; mirae illarum complicationes alternae; pedes deorſum extra lectum pendentes; corporis prolapſus ad pedes perpetuus; convulſiones ſpaſmorumque genera quaelibet; tendinum ſubſultus; abdomen inflatum, tenſum, durum, ſenſibile, fervidum, frigidum, retrotractum; dyſuria; oculorum diſtorſiones; oculi ſordidi, pulverulenti, lucem averſantes, torvi, ſemiclauſi, languidi, vigore orbati, rubri; ſenſibiles, vitrei, ſenſu carentes, valde prominentes, retracti; dentium ſtridor; aphonia; balbuties; ſudores frigidi, partiales, viſcidi, exorbitantes, intempeſtivi, foetidi; ſtrepitus murmurans in pectore inter potandum; deglutitio tuſſiculoſa; exanthemata varia; pulſus ab ordine, aequalitate, fortitudine proportioneque naturali vario recedens modo; lotium a copia, odore, ſapore, colore, conſiſtentia contentisque conſuetis pariter diverſimode recedens; faciei lineamenta praeternaturalia; facies ſubito collapſa; adſpectus praeter morem timidus, pavidus, anxius, triſtis, iracundus horribilisque; animus praeter conſuetudinem deſperatus abjectusque; labia, palpebraeque pendulae; facies plumbeo obducta colore; animi hilaritas inſolita; vis imaginatricis exaltatio intenſa nimis; animi quies et devotio ſubitanea etc. Symptomatibus rarioribus adnumerantur nares, labia, ungues

gues membraque integra ſphacelata; triſmus, tetanus et hydrophobia.

Phaenomenorum horum ſymptomatumque omnium, quorum adhuc longe his plura occurrunt, cognitio, ſumme nobis neceſſaria eſt, quia judicium noſtrum prognoſinque de morbi periculo majori minorive dirigere debent, et quoniam nobis ſignorum inſtar inſerviunt, ex quibus morbi ſtatum praeſentem dijudicare debemus, atque ex parte quoque febrium ſpecies determinant *t*), ad earumque cauſas viam nobis monſtrant.

Quo plura ſymptomatum horum praeſto ſunt, eo periculum, circumſtantiis caeteroquin caeteris paribus, majus eſt. At nullum ſymptoma febrile unicum, ſolum et per ſe conſideratum, absque morbi ſtadii, cauſarum ſignorumque reliquorum omnium conſenſu periculum deſignat malignitatemque, quoniam ſub ſignorum periculoſorum fere omnium praeſentia morbi exitus non raro manet dubius.

§. 76.

Ad febrium continuarum diſcrimen in benignas et malignas nunc pervenimus. Quoad malignitatis notionem diſcrepant diſſentiuntque medici maximopere, quoniam plurimorum circa illum ideae nimis ſunt

t) Inde veterum denominationes derivantur: *Elodes*, ſive *Elcodes*, *Typhodes*, *Aſſodes*, *Leipyria*, *Lyngodes*, ſive *Lygmodes*, *Phricodes*, *Pemphingodes*, *Epiala*, *Typhomania*, *Febris ſyncopalis* etc. (vid. *de Haen* Theſ. ſiſt. febr. diviſ. p. 3.). Denominationes hasce maxima ex parte oblivioni traditas eſſe, nullum nobis ex *auctoris noſtri* ſententia damnum attulit, quia ſymptoma hoc illudve ſingulare febris naturam propriam non ſufficienter determinat, ideoque medendi quoque methodum non dirigit, quippe quae ſub ſymptomate urgente eodem frequentiſſime diverſa ſit oportet.

Digitized by Google

ſunt particulares, neque malignitas ſignis ſe ſemper manifeſtat iisdem. Virium proſtratio ingens, ſtatim ſub febris initio erumpens, non ſemper ſola malignitatem determinat, quippe quae cauſas emetici aut venaeſectionis ope etc. mox tollendas habere poteſt, et quoniam febres malignae, ob periculum ſuum ſubitaneum ita appellandae, occurrunt, in quibus tamen virium haec proſtratio non obſervatur. Symptomata inſolita et praeter morem vehementia ſimul cum aeſtu, vel modico, vel mordaci urenteque, vel acerbiſſime vehementi juncta, illam quoque non deſignant, quoniam ſymptoma quodlibet inſolitum haud vehemens eſt et periculoſum, neque ſymptoma quodlibet vehemens ex morbi natura derivandum cauſisque adſcribendum eſt periculoſis. Calor modicus, at urens frequenter in febribus putridis, ſymptomatibus diverſis vehementibus ſtipatus, nec non cum ſignis bonis variis junctus obſervatur, calorque interdum ſymptomatibus cum peſſimis faſtigium adſcendit horrendum, quem nihilominus criſis tamen excipit ſalutaris. Non omnes febres malignitatis nomine inſigniendae faciem ab initio fraudulentam fallacemque lenem prae ſe ferunt, quales ſubito ſine cauſa exacerbantur vitaeque evadunt periculoſae, quare Hippocrates, aegrotum, pulſu licet et urina bonis, mori poſſe, febresque parvas valde interdum malignas eſſe, contendit. Non raro ſtatim ſub febris invaſione prima periculi ſummi ſigna apparent maniſeſtiſſima. Neque etiam medici mentis acie et experientia praediti lenitati fallaci fidem tribuunt, quippe qui ſymptomatis cujuslibet naturam ſingulatim et conjunctim taxare norunt, neque a ſymptomatibus particularibus, quorum plura nihil mali denotant, ſymptomate interea particulari alio ſtatum indicante peſſimum, decipiuntur. Curationis difficultas morbi-

que adverſus remedia probatiſſima pertinacia cauſas habere poteſt innumerabiles, morbi ipſius naturae non tribuendas. Neque putredo, bilis, contagium, nervi etc. litem dirimunt, neque febribus malignis medicamenta medentur propria etc. *u*).

Malignitatis in genere ideas omnes, hucusque propoſitas, rei huic plenarie neutiquam ſatisfacere confuſionesque inde tantummodo permultas atque obſcuritates inter medicos oriri debuiſſe, quae aperte plus damni, quam utilitatis, attulerunt, perſpicitur; quare jam dudum, ut vocabulum *malignum*, ob ſignificationes ſuas varias indeterminatasque, ex medicina clinica proſcriberetur plenarie, quippe quae abrogatione hac jacturam pateretur nullam, optatum jure fuit. Febris autem illa, quae a medicis diverſis ſub *febris* proprie ſic dictae *malignae* nomine deſcribitur, ex auctoris noſtri ſententia, ob ſigna ejus cuncta in febrium nervoſarum claſſem eſt referenda, quippe cujus ſymptomata, cauſis manifeſtis omnibus deficientibus, ex ſyſtemate nervorum idiopathice affecto oriuntur, illique medicamenta medentur nervina *). Si interim cognominis illius abolitio diſpliceret:

u) *Aepli* in ſuo tractatu Abh. vom bösartigen Fieber pag. 13 ſeq. medicorum circa *malignitatem* opiniones diverſas collegit, ibidemque ulterius legi poſſunt. In ſcripto ſuo *An ſeine Recenſenten*, Zürich 1783, vocabuli *malignus* uſum practicum nervoſe defendit. Ill. autem Vogelius plenarie cum cel. *Tode* perhibet, febrim malignam nullam dari, quae neque febris putrida, nervoſa etc. ſimplex, aut complicata longe aptius foret vocanda. Vide *Tode* Bibl. 9. B. p. 457 ſeqq.

*) Indolis hujus febris erat, qua cel. Selle ipſe laboravit atque (in Beiträgen zur Nat. u. A. W. p. 75 ſeq.) deſcripſit. Animadverſiones huic deſcriptioni additae graviſſimae ſunt. Medicum ſimilibus in caſibus monere poſſunt, ne tam in diagnoſi ſua erret, quam methodo medendi utatur perverſa. Docent, quam

ceret: juxta ſignificationem ſuam verbalem ſolummodo intelligi deberet, quemadmodum in opere hoc toto ſemper intelligetur, febrisque, quomodocunque haec caeteroquin inſignietur nomine, ſtatus ille vocabitur malignus, in quo ex phaenomenorum ſymptomatumque quorundam ab experientia ſemper tanquam periculoſa denotatorum, accuratiusque poſtea determinandorum confluxu nexuque verum morbi periculum, qui vel ſimpliciter lethalis eſt, vel maxima ſaltem cum difficultate modoque utplurimum imperfecto ancipitique tollitur, derivari poteſt. *Malignitas* juxta notiones haſce gradus quoque ſuos habet, valde *magna*, valde *parva*, eſſe poteſt, taciteque in *benignitatem* tranſit.

Inde, in quo febris *benignitas* conſiſtat, facile comprehenditur, ſi ſcilicet contrarium obverſatur, neque ex ſignis graviſſimis quoad morbi exitum aliquid conſideratione dignum fluit.

Hippocrates mentis acie ſumma, ſigna *benignitatem malignitatemque* in morbis acutis denotantia, delineavit *x*).

Ad notas ex pulſu, qualecunque caeteroquin pondus habentes, hic non attendimus; neque enim verum eſt, quod in malignis pulſus ſemper parvus, celer ac debilis, inque benignis ſemper magnus, vehemens et velox ſit, dum potius ſubinde contrarium obſervatur. Pulſus interim in febribus malignis pleris-

N 3

quam difficilis ſit febris in initio ſuo primo cognitio, mentisque aciem praxeos uſu exercitatam longe plus hic valere, quam theoria clariſſima, quia circumſtantiae tot parvae obſcuraeque ſunt conſiderandae.

x) Coac. praenot. p. 30 usque 63. 88. 112. 115. 130. conf. *Ant. de Haen* rat. med. T. III. c. T. IX. p. 125. *van der Linden* Meletem. med. Hipp. Lugd. 1668. 4. Sect. IV. §. 62. 63. pag. 379. ſeq.

pleriſque debilior eſt, eoque debilior ac celerior, quo magis mors appropinquat. Quo inaequalior evadit celeriusque pulſat, eo ſimiliter periculum majus eſt. Pulſus autem non raro quoque periculoſiſſimus videri poteſt, neque tamen periculoſus eſt, quia ſigna reliqua bona ſunt, faciemque ſimiliter nihil mali indicantem prae ſe ferre poteſt, licet ob ſigna mala reliqua ſit pertimeſcendus.

Juxta malignitatis notas paulo ante expoſitas, febres malignae ſemper ſunt periculoſae, ſicuti febres benignae per ſe mortem non inferunt; at non febres omnes mortem cauſantes ſunt malignae, quoniam febres quoque *benignae* lethales fieri poſſunt, *malignaeque* haud ſemper ſunt pernicioſae. *Benignae malignaeque* diebus finiuntur iisdem.

Quaedam febres continuae ſemper ſunt *malignae*, quemadmodum peſtis vera, febres nervoſae diverſae, hydrophobia, phrenitis; pauciores aliae ſemper *benignae*, ephemera, ſynochus ſimplex; plurimae modo *benignae*, modo *malignae*, ſub conditione quoque epidemica eadem.

§. 77.

Febres continuae benignae malignaeque, ſimiliter ut morbi omnes, vel in ſanitatem, vel in morbos alios, vel in mortem terminantur.

In caſu primo excretiones evacuationesque quaedam manifeſtae in ſummo morbi faſtigio utplurimum inſtituuntur, ſub quibus morbus decreſcit ſucceſſive plenarieque tandem evaneſcit, quaeque *criſes* appellantur. Rariſſime hae per viam ſolummodo unicam, ſed plerumque per plures contingunt. Inde aperte manifeſtantur, quod ſub morbi declinatione contingunt, eumque cum ſymptomatibus ſuis cunctis reddunt

Digitized by Google

dunt leniorem. Aliquot utplurimum adhuc poſt morbi finem dies, III, IV, quin VII perſeverant, aegroto interea ſanitatem recuperante plenariam. At criſes bonae in genere neque minores juſto, neque juſto vehementiores ſint, oportent; haud juſto minores, ut emolumento ſufficienti producendo ſufficiant; haud juſto fortiores, ne aegroti vires excedant; licet hic proportio certa non adeo, quam allevamentum illam inſequens ſit conſideranda; quoniam excretio parva allevationem morbi magnam, quae majorem ſubinde non inſequitur, efficit. Similiter materia excreta morbo, viaque excretionis, eidem accommodata ſit oportet. In genere autem aegroti habitus mutationesque ſub excretione quadam et poſt illam in morbi ſtatu contingentes, num ſalutares ſint criticaeque, nec ne, unice ſolummodoque dirimunt.

Tali modo febres continuae benignae malignaeque fere omnes, quando integritatem, non vero mortem adferunt, terminantur.

Criſes conſuetiſſimae per ſudorem et urinam contingunt, rarius per hanc illumve ſolos, frequentiſſime, perfectiſſime celerrimeque per utrosque ſimul, quibus ſubinde plures adhuc accedunt excretiones. Iſtae ſunt haemorrhagiae, conſuetiſſime, narium, uteri, vaſorum haemorrhoidalium, rarius, viarum aliarum, renum, veſicae, pulmonum, ventriculi; porro diarrhoeae emeſesque; ſputa ex glandulis ſalivalibus pulmonibusque; exanthemata; ulcera externa rariſſimeque icterus. Icterus interdum quoque a ſpaſmis, ſub effervеſcentia critica, ante criſin ipſam excitatur iterumque cum febre evaneſcit, qui praeterea autem, plurimis in caſibus, licet criſeos tempore contingat, plus mali, quam boni indicat, igiturque

 nun-

Digitized by Google

nunquam absque ſuſpicione eſt conſiderandus. Quacunque vero criſi febris judicetur, ſudor tamen rariſſime deficit, qui quoque haud raro aliquamdiu demum poſt erumpit. Absque illo evacuationes reliquae tardius procedunt difficiliusque.

§. 78.

Criſeos inſtantis indoles ex ſignis plerumque certis apparet. Si ſudor inſtat: pulſus utplurimum mollis, fluctuans et inciduus deprehenditur; cutis ad attactum mollis eſt humidaque, et aliquatenus tumida, atque pruritus ſenſum quendam ſuper totam corporis ſuperficiem ſentit aegrotus; urina parce mittitur, excretionisque alius ſigna deficiunt. Si febris ex tranſpiratione ſuppreſſa originem traxit, ſique per ſudorem natura in hoc aegroto ſe utplurimum juvare ſolebat: bic eo magis eſt expectandus. Excretio haec quandoque inter deliria tranquilla in morbi faſtigio ſequitur. Sudores criticos tandem haud raro quoque, quamvis non ſemper, horror levis antecedit.

Si criſis per urinam inſtat: genitalia urunt prurituque irritantur, ponderis ſenſum quendam in lumbis, nec non interdum dolorem, in veſicae regione autem tenſionem et expanſionem, mingendique conatus frequentes percipit aegrotus. Simul cutis arida, ſitis ingens linguaque ſicca eſſe ſolent, excretionumque aliarum ſigna deficiunt. Pulſus nonnunquam mollis eſt et intermittens.

Oculorum rubor, facies ignea, lacrymarum involuntarius fluxus, ponderis in regione temporum, preſſionis ſupra naſum ſenſus, illiusque fluxus et rubedo, pruritus in naribus ipſis, ſic ut digitos illis perpetuo immittat aegrotus, ſcintillae ſanguineae rube-

rubedinis ante oculos, praecipue ſi clauduntur, dolor pulſans ſincipitis, capitis gravedo, vertigo, anxietates, tenſiones palpitationesque circa ſcrobiculum cordis, nuchae dolor tenſivus, faciei obſcuratio, aurium tinnitus, arteriarum temporalium carotidumque pulſatio, pulſus dicrotus y) etc. narium plerumque haemorrhagiam, per intervalla redire ſolitam, adnuntiant.

Si aegrotus haemorrhoidibus alias eſt ſubjectus, jamque dolores urentes, tenſivos pulſantesque in lumborum regione, in dorſo, in oſſis ſacri regione, in femorum parte ſuperiori conatusque alvum et urinam egerendi frequentes, pruritum in inteſtino recto ſcrotoque, doloris urentis in cordis ſcrobiculo ſenſum etc. patitur, criſis probabiliter per haemorrhoides, aut, quae rarior tamen longe eſt, per veſicam urinariam inſtat.

Neque minus menſium fluxus criſeos vice fungi poteſt, ſi circa tempus illorum inſtaret. Quandoque hunc in finem maturius quoque excernuntur menſes. Apparent tunc ſigna conſueta illorum, quae cum illis haemorrhoidum fere conveniunt, quibus adhuc dolores ſupra pubis oſſa, in regione uteri, mictus urens doloroſusque etc. accedunt. In foeminis nonnullis fluxus hic ſanguineus per ſigna ſe manifeſtat ſingularia, quae, ut et hic concluſio ex illis formari poſſit, ſunt inveſtiganda. Criſis interim vera per menſium fluxum rara eſt, neque unquam ad criſin ſufficiens, quemadmodum in genere haemorrhagiae rariſſime perfecte criticae evadunt.

Alvi profluvia per tormina borborygmosque abdominis, per tenſionem tumoremque inguinum, per fla-

y) Pulſuum haec duplicatio ſingulorum alias quoque antecedit haemorrhagias, ſed illi ſoli confidendum haud eſt, frequenterque etiam non obſervatur.

Digitized by Google

flatuum explosionem copioſam, per dorſi dolores, per urinam parce fluentem interdumque per pulſum, plus minusque intermittentem, prout alvi profluvium maturius tardiusve inſtat, per linguam trementem, balbutientem, praeter opinionem humectatam, quae antea absque indiciis pravis aliis ſicca fuit, adnuntiantur.

Emeſis critica expectanda eſt, ſi aegrotus anxius valde et inquietus eſt, ſi ructibus vagoque per dorſum dolore vexatur, ſi horrores frequentes, ſingultum, ſudores frigidos, praecipue in fronte patitur, quibus ponderis ſenſus urens in ventriculo, nauſea, vomituritio, vertigo, capitis gravedo doloresque, oculorum obſcuratio, labii inferioris tremor, ſputa frequentia tandemque ſubinde pulſus intermittens adſociantur.

Evacuatio critica per pulmones inſtans difficulter cognoſcitur atque praevidetur. Utplurimum circa criſeos tempus pectoris oppreſſio reſpiratioque difficilis tuſſiculoſa antecedunt, quas tunc ſputa ſequuntur copioſa. Criſes ejusmodi in pectoris tantummodo morbis contingunt, de quibus tempore ſuo plura dicentur. Caeteroquin ſputa frequentia aut ptyaliſmus praecipue in variolis confluentibus, febre miliari, interdum in angina, in febribus nervoſis putridisque criſeos inſtar occurrunt, ſeque per glandularum colli tumores, deglutitionem difficilem, dolorem moleſtum pone aures et in nucha, reſpirationem ſibilantem, faciei tumorem, quo collum anterius quoque et manus afficiuntur, partium harum dolorem etc. manifeſtant. Simul cutis ſicca eſt, excretionesque aliae omnes parce ſolummodo ſuccedunt.

Quandoque etiam viſcerum abdominalium obſtructionibus, in ſubjectis hypochondriacis, hyſterícis

Digitized by Google

cis melancholicisque, vermibus, praecipue lumbrico lato, ventriculi inteſtinorumque acredini acidae, cruditatibusque aliis, aphtis, anginae, epilepſiis, ſcorbuto, oris ulcuſculis, dentibus carioſis, phtiſi, neque raro febribus intermittentibus, inprimis quartanae etc. ptyaliſmus accedit ſymptomatice. Juxta Brendelium ptyaliſmus remediorum terreorum copia magna ingeſtorum effectus habetur.

Dolor, rubor, pruritus, tenſio, tumor, partis alicujus corporis functio moleſta ſub ſymptomatum morboſorum allevatione inprimis absque notabili evacuatione critica alia, ibidem unum pluraque ulcera critica eruptura, probabile faciunt Plerumque hoc cum frigore novo illoque durante contingit, poſt quod calor quoque nonnihil augetur, donec ſuppurationem perfecit natura.

Exanthemata acuta per pectoris oppreſſionem, per punctionis in illo ſenſum, per artuum, inprimis lumborum oſſisque ſacri dolores, per inquietudinem, interdum per cutim aridam et aſperam produntur, quandoque ſudor lenis in collo facieque, horrores leves, digitorum ſtupor pungitivus, loquela balbutiens difficilisque, tuſſitationes frequentes antecedunt, in febre miliari ſudor odorem habet acidum etc. Exanthemata haec die ſeptimo, nono aut undecimo, ſaepe demum die decimo ſeptimo ſeriusque erumpunt, morbusque per illa ſubito quandoque ſolvitur. Ad copiam eorum reſpectus nullus eſt habendus.

In genere adhuc notandum eſt, epidemiam, anni tempus, aëris conſtitutionem, aegroti aetatem, ejus vivendi rationem, corporum ſingulorum idioſyncraſias naturales, morbum ipſum etc. in caſibus permultis criſeos indolem ſuſpicandam praebere, quod

Digitized by Google

quod eo minus eſt indifferens, quum illius directio promotioque prudens magni ſaepiſſime ſit momenti.

Non omnes autem criſes per ſigna antea deſcripta indicantur ſemper ſtatim, interdum absque omnibus ſequuntur prodromis, aut indicia tantummodo antecedunt levia, quae medicum minus attentum effugiunt facile.

§. 79.

Doctrinae de excretionibus criticis momenta adhuc varia eaque gravia ſpeciatim addet cel. auctor noſter.

Sudores critici boni, absque eo, ut temporis momento juſto contingant ſtatumque reddant leniorem, ſuper corpus univerſum diffuſi, calidi, neque tamen juſto vehementiores ſint oportent, quoniam ſudores criticos nimis vehementes periculoſos eſſe, morbumque protrahere experientia docuit, ſudoremque bonum, aſt nimis impetuoſum, ſudor frigidus atque illum mors ſunt inſecuti. Caeteroquin ſudores quilibet, tempore quolibet, cujuscunque ſint indolis, non mali ſunt, modo morbum reddant tolerabiliorem. Sudor igitur ab initio morbi bonus eſſe poteſt, quando hic a refrigerio, aut ab acrimonia contagioſa, quae nondum plenarie cum ſanguinis maſſa coivit, originem traxit. Indolis longe alius ſudores ſunt iſti, qui a materia corrupta in viis primis praeſenti, ab obſtructionibus, ulceribus, ſanguine reſoluto etc. exorti ſunt. In febribus remittentibus ſudores critici poſt exacerbationem plerumque quamlibet redeunt, unde ſequens continuo lenior evadit magisque poſtponit. Succeſſive tunc ſudores decreſcunt, quo exacerbationes evadunt leniores, donec tandem diſparent plenarie. Cutis autem per totum morbi decurſum ſicca manere poteſt, nihiloque minus

nus criſis per ſudorem ſalutaris ſequitur, quamquam ſiccitas cutis perſeverans, remediis licet adverſus illam adhibitis humectantibus, ſtatus ſit ſemper periculoſus, niſi urina eo fluat copioſius. Interdum inter ſudores bullulae parvae albae aquam urentem continentes exanthematibusque miliaribus albis non diſſimiles, in cute, praecipue in pectore, in conſpectum veniunt.

Criſis per urinam, ſeu prodromi potius et indicia per illam (quippe quam ſudor inſequitur criticus), eo gratior eſt et ſalutarior, quo majori excernitur copia, quoque maturius poſt emiſſionem ſedimentum deponit copioſum, ſuper quod urina conſpicitur clara: ſedimentum ipſum eo eſt melius, ſi album, aut rubrum, cohaerens, leve, flocculentum, aequale, ſibi plenarie ſimile, turris inſtar acervatum et ſine odore deprehenditur, atque ſic permanet, ſedimentum enim urinae iterum collabens ſtatum ſemper denotat periculoſum, ſicuti nubecula matulae fundum ſemper petens, tandemque diſparens multoties in febribus malignis deliria indicavit furioſa. Sedimentum interea bonum interdum quoque horis poſt urinam emiſſam ſex, vel duodecim elapſis, ſucceſſu eodem felici apparet. Ab initio, quando criſis inſtat, nubecula in urina, in parte vitri ſuperiori mediaque conſpicitur, quae quotidie profundius deſcendit, idque poſt illius emiſſionem quotidie citius breviusque, tandemque fundum petens ſedimentum format ſupra deſcriptum. Urinam, cujus diatheſin criticam obſervare volumus, ſemper breviter ante remiſſionem, aut paulo poſt acceſſionem conſiderandam eſſe, quoniam breviter ante exacerbationem, aut ſub illa iterum cruda eſt, notari meretur. Urina mox cocta, mox cruda, circumſtantiis caeteroquin caeteris paribus, plerumque morbi durationem

lon-

longam, aut febris illius in febrim aliam tranſitum denotat. Urina tenuis et urina craſſa, tales manentes, criſi perficiendae non ſufficiunt, quoniam in caſu utroque mors urinam talem perſaepe eſt inſequuta; *prior* deliriorum furioſorum, convulſionum pathematumque nervoſorum aliorum gravium prodromus eſt; *poſterior*, inprimis fundum petens, corruptelam denotat humorum putridam etc., quum contra urina craſſa, mox tenuis evadens, criſin deſignat propinquam. Interim aegroti, ſedimento licet optimo in urina praeſente, moriuntur, et absque illo evadunt, urinaque quamvis optima, cuncta male eaque peſſima, omnia feliciter cedere poſſunt, quoniam urina ob cauſas innumerabiles extra morbum exiſtentes illamque variantes, ſignorum omnium, absque ſignis illi accedentibus aliis, pondus minimum habet. Similiter obſervatio, ab auctore noſtro ſaepius poſthaec repetita, in febribus, in quibus viae primae primario ſunt affectae, urinae parum fidendum eſſe, docuit.

Haemorrhagiae tanquam ſymptomata innocua aeque, ac tanquam criſes felices in febribus, ab excretionum ſanguinearum conſuetarum ſuppreſſione atque neglectu, nec non a potuum ſpirituoſorum abuſu ortis, in juvenibus, plethoricis morbisque inflammatoriis contingunt. In ſummo exacerbationis faſtigio, ſi febris vehementiſſima eſt, apparent. Incredibile eſt, quanta ſanguinis jactura eſſe poſſit, quam natura morbi acuti ſanationi impendit, quamvis, vires ad criſeos felicis perfectionem neceſſarias exhauriendo, juſto quoque vehementior fieri poſſit. At ſanguinis profluvium a natura excitatum longe efficacius eſt, quam ſanguinis artificialiter evacuati quantitas dupla triplaque. In febribus putridis putridoque bilioſis morbi ſtatum tempore quolibet reddunt

dunt pejorem, tunc etenim praecipue ſanguinis maſſam ſolutam parteſque ſolidas paralytice relaxatas denotant, vires naturae ad morbum vincendum neceſſarias conſumunt, mortemque enormitate ſua non refrenanda cauſantur. In caſibus complicatis, in quibus inflammatio manifeſta, aut latens febribus illis adſociata eſt, nihilominus modum non excedentes ſtatum quandoque reddunt leniorem, cumque aliis criſeos felicis ſpeciebus combinantur.

Alvi profluvia praecipue in febribus autumnalibus, quamlibet et alio quocunque tempore, utplurimum in febribus biliofis, pituitoſis putridisque remittentibus critica obſervantur. Verum etiam ſymptomatum inſtar certis ſub conditionibus, ſi materiae morbificae partem quandam evacuant, atque allevamentum aliquale pediſſequum habent, ſaepe ſalutaria ſunt medicumque ad mali, quod tandem illorum ope tollitur, fontem perducunt. In morbis autem inflammatoriis non complicatis, pectoris praecipue, ab initio morbi phaenomena ſunt ſemper periculoſa. Linguae cutisque ſiccitate, calore urente, inquietudine magna, anxietate, abdominis ſenſu dolorifico, virium, ſub egeſtione alvina qualibet increſcente, jactura magna, pulſu celeri, parvo, duriuſculo, adſpectu triſti deſperatoque etc. ſtipata, ſtatum periculoſiſſimum inflammationemque inteſtinorum viſcerumque abdominalium aliorum jam praeſentem, aut tamen inſtantem adnuntiant, quam celerrime ſphacelus inſequitur et mors.

Raro, atque utplurimum in febribus tantummodo malignis aut neglectis, emeſis exoritur critica, quae ventriculum materia peregrina liberat ſicque morbum ſolvit, ſicut multis in caſibus vomitus, ut ſymptoma conſideratus, naturae ad expellendam mate-

materiam noxiam conamen eſt ſalutare. Symptomata vehementiſſima crebro ipſo momento per vomitum tolluntur. Saepe vero ſymptoma eſt anceps periculoſumque, quoniam materia exanthematica in corpore latens, vel retropulſa, ſpaſmi inflammationesque cerebri, colli, pulmonum, immo ventriculi ipſius inteſtinorumque partim per conſenſum, partim immediate vomitum ſumme moleſtum, doloroſum, anxium morbumque magnopere exaſperantem excitant. Quandoque vomitus minus periculoſus a vermibus producitur.

De evacuationibus hisce criticis omnibus, ut et de ſputis ptyalismoque, criticis etc., tempore ſuo reliqua exponentur.

Criſeos inſtantis indicia, maxima ex parte jam deſcripta, maximum omnino pondus habent, quia primo medici praedictiones determinant deincepsque methodum ſuam procedendi, aut naturae conatibus ſuffulciendo, aut eosdem refraenando, aut illos non turbando quoque, dirigunt. Nihil conſuetius eſt, quam quod medici juniores errores hic committant craſſiſſimos, dum vel excretionem quamlibet, criſeos faciem prae ſe ferentem, intempeſtive immodiceque promovent, aut exceſſus cujusdam metu inani cohibent retardantque, quod poſtremum in haemorrhagiis diarrhoeisque frequentiſſime contingit, vel naturam exorbitantem tempore juſto non intra limites ſuos coercent, quos tamen, ſibi ipſi relicta, rariſſime transgreditur.

Attentionem praecipuam criſeos prodromi inprimis etiam ideo merentur, quoniam ſymptomata, ſub quibus natura, licet non ſemper, criſin intendit, adeo terribilia eſſe poſſunt, ut medicus ſolummodo prudentiſſimus, excercitatiſſimus mentisque acie ſumma

ſumma praeditus, vitam, non vero mortem praeſagiat, neque per medicamenta efficaciſſima, ea intentione, ut mors praecaveatur, naturam in opere ſuo turbando, mortem acceleret. Huc ea ſymptomata ex parte ſunt referenda, quae ſub criſium, inprimis haemorrhagiae emeſeosque etc. prodromis enumerata ſunt: anxietates angoresque violenti; inquietudo magna; reſpiratio anxia; ſanguinis ebullitiones vehementes, quas novum ſubinde frigus antecedit; laſſitudo ingens; ſtupor; aurium ſuſurrus; deliria; cophoſis; lacrymarum fluxus involuntarius; oculorum obſcuritas; tendinum ſubſultus; dyſuria; tremores; ſudores frigidi; immo convulſiones; pulſus velociſſimus, inaequalis, intermittens illiusque mutationes aliae variae etc. Turbae equidem hae criticae temporibus hodiernis ob medendi methodos noſtras prophylacticas efficaces rarius longe obſervantur, quam olim, criſesque noſtrae plerumque ſucceſſive modoque procedunt leniori. Differentia interim illorum a ſymptomatibus revera periculoſis mortemque praeſagientibus utplurimum dignoſcitur: 1) ex morbi, quo contingunt, ſtadio, quoniam ſymptomata criſin denotantia, tali morbi tempore apparent, quo cuncta juxta ſigna quaelibet ad criſin ſunt parata; h. e. cutis ante ſymptomata haec ubicunque mollis erat et calida, urina coctionis ſigna per diatheſin ſuam turbidam exhibebat; pulſus aequalis mollisque cum vigore ſufficienti inveniebatur, lingua humectari incipiebat, pulſus, horas ante paucas celerrimus, jam tardior longe eſt z) etc.; 2) ex alleva-

z) Hoc procul dubio ſignum eſt certiſſimum. Pulſus celeritatis decrementum valde tantummodo parvum eſſe poteſt, maximique tamen, niſi cito iterum evaneſcat, eſt momenti. Spes exad-

levamento cum evacuatione critica, ſymptomata haec mox inſequente, dum ſub ſymptomatibus periculoſis, et poſt illa cuncta ſtatim evadunt pejora; 3) ex cauſarum aliarum manifeſtarum, quibus ſymptomata haec tribui poſſent, abſentia; et tandem 4) ex aegroti vitae viribus adhuc integris.

Criſeos nihilominus imminentis ſymptomata a ſymptomatibus morbi revera periculoſis diſtinguere, maximae difficultatis opus eſt, quia medici experientiſſimi hac in re decipiuntur, quoniamque diebus iisdem, quibus criſis expectatur, ſub naturae cum morbo certamine mors ſequi poteſt.

Febres dari malignas absque excretione ulla ſenſibili finem attingentes, auctores nonnulli *a*), ipſeque Hippocrates *b*) perhibent. Similiter Sydenhamus *c*), certas febrium dari ſpecies, quibus natura methodo propria absque excretione ulla medetur, ut credamus, rationem adeſſe contendit. Alii autem in praxi annoſa obſervare hoc non potuerunt. In caſibus plerisque aliquamdiu poſt urina adhuc apparet critica, aut recidivae quoque ſequuntur morbique alii. Febres interim valde benignas methodi medendi tempeſtivae aptaeque ope, absque omni criſi ſenſibili, judicari, minimo ſubjectum eſt dubio.

§. 80.

exadverſo omnis anceps manet dubiaque, ſi pulſuum numerus non decreſcit.

a) L. B. *de Stoerk* Ann. med. II. p. 72. 84. — Ej. praecepta med. pr. in uſum chir. caſtr. e lingua germanica in lat. converſa per J. M. *Schoſulan* T. I. pag. 26.

b) Epid. I. p. 955. 958.

c) S. V. cap. 2. p. 139. 140.

§. 80.

Diſquiſitio dierum indicantium criticarumque Hippocratis *d*) anxia nimisque ſuperſtitioſa jam dudum jure ſuperflua habita fuit; licet *de Haen* cuncta ab Hippocrate circa illos monita in Noſocomio ſuo veritati invenerit conſona. Ordinem illorum juxta numeros certos determinatum, longe abeſt, ut infallibiliter adeo, quam Hippocrates ſub coelo ſuo ſereno graeco, obſervemus, quamvis Hippocrates ipſe medicique poſt illum plures eos non infallibiles eſſe declarent *e*). Criſes omnibus apud nos contingunt diebus. Criſis in genere diei particularis ſequela nunquam eſt, ſed potius temporibus periodisque, quibus exacerbationes fiunt *f*), adcommodatur, prouti haec a certo recedunt ordine, criſeos tempus quoque mutatur. Remediorum noſtrorum copioſorum efficacia extenſior, evacuationes noſtrae frequentes, venaeſectiones repetitae, adminicula noſtra naturae efficacia citaque, ſi retardatur, aut exorbitat, praeventiones noſtrae tempeſtivae, quin ipſa aëris nos ambientis actio, vitae noſtrae ratio etc. rariſſime praeterea ſtrenuas ordinis leges permittunt, quas natura, quo magis ſibi ipſi relicta, neque turbata agere poteſt *g*), quamvis non ſemper in ſalutem noſtram — ſequi ſolet.

d) *Glaſſ.* comm. de febr. ed. *Baldinger* p. 13. *Dies critici*, ut notum eſt, ſunt IV. VII. XI. XIV, inter dies tales duos intermedius *indicatorius* eſt, reliqui a veteribus vocabantur *medicinales*, quia illis ſolummodo medicamenta exhibebant.

e) *Bagliv.* prax. med. L. II. c. 12. §. 5. B. *Fr. coſta Rhaeti* dier. critic., ut impar. et numero ſignator. in morb. meth. et obſ. confutat. philoſ. med. p. 7 — 47.

f) *Elsner* (Fieberlehre) egregie hoc ex ephemera ſua expoſuit.

g) *Schröder* diſſ. de coct. atque criſeos in febr. imped. Goett. in hac

§. 81.

Febres *malignae* non ſemper, ſicuti *benignae*, per criſes judicantur perfectas, ſed metaſtaſes efficiunt diverſas, quae mox debilitati naturae nimiae, mox motibus ſpaſticis, mox methodo medendi perverſae, diaetae vitiis, mox in viis primis, per quas ex corpore materia morbifica egredi vult, obſtaculo, mox acrimoniae humorum nimiae, mox partis alicujus ſingularis debilitati, animi pathematibus cauſisque pluribus aliis partim manifeſtis, partim tectis ſunt tribuendae. In caſibus ejusmodi criſeos quidem ſigna quaedam adeſſe poſſunt, aſt urina mutabilis, ſomnus non rediens, appetitus deficere pergens, hilaritatis defectus, virium abolitio permanens, moleſtiaeque aliae criſin imperfectam recidivamque, aut morbum alium, actum mox mutaturos eſſe, declarant. Quando in genere in febribus continuis die quarto criſeos indicia nulla apparent, morbi ſtatum cum hoc die pejorem futurum, atque, ſi dies ſeptimus adhuc absque criſeos apparitione tranſit, periculum valdopere augeri etc., experientia docuit. Mors tunc ſequitur, aut, ſi naturae vires non plenarie ſuccubuerint, metaſtaſis.

Febres nonnullae in ſpeciem febrium aliam, aut plures ſe invicem excipientes, quarum initium frigore manifeſtatur novo, v. g. intermittentes, aut lentas abeunt. Poſterius tunc inprimis metuendum eſt, ſi paroxiſmi typum obſervant fixum quotidianum, cum ſudoribus frequentibus partialibus, calore modico, pulſuque debili ac celeri etc.

Aliae abſceſſus purulentos vel intra ipſum febris decurſum, vel poſt illius finem, intervallio interdum ab

hac cauſae, dies criticos turbantes atque confundentes, ideoque cauſantes, ut ſpe noſtra ſubinde fallamur, ſunt inveſtigatae expoſitaeque.

ab ipſa tam longo, ut ad morbum priorem referendi nullatenus videantur, excludunt. Metaſtaſes ejusdem ſerotinas variolae formant quandoque, quae autem in illis haud raro citiſſime quoque oriuntur, ſic ut opinione citius puris copia alicubi accumuletur. Oriuntur vel in loco, in morbo priori affecto, vel in alio interno externove, qui debilitate ſingulari eaque interdum haereditaria laborat, ſaepius in loco tali, qui paulo ante a lapſu, ictu etc. laeſionem accepit aliqualem. In junioribus extremitatem plerumque, in ſenibus partes ſuperiores internasque occupant. Inde phtiſes tabesque etc. Pars, in qua abſceſſus ejusmodi purulentus oriri intendit, doloroſa, rubra tumidaque evadit. Scabies huc quoque exanthemataque chronica alia referri debent.

Abſceſſus interni ex dolore quodam fixo praegreſſo, in morbi faſtigio non plenarie evaneſcente, ſed poſt frigus novum illudque inſequentem calorem novum, cui horrores intercurrunt frequentes, perſeveranter pergente cognoſcuntur, licet abſceſſus interni, absque omni dolore praevio veſtigiisque aliis manifeſtis, oriri poſſint.

Metaſtaſes adhuc aliae ſunt rheumatiſmi pertinaces, pulmonum catarrhi, tuſſes acerbae, aſthmata, defluxiones catarrhales ex genitalibus, excretionesque haemorrhoidales, quarum ſub criſium deſcriptione mentio jam facta fuit.

Neque minus pedum cutisque totius tumores oedematoſi, poſteriores inprimis poſt febrim ſcarlatinam, porro tumores cyſtici varii aliique, teſtium, glandularum inguinalium, pone aures etc., Scirrhi tam partium interiorum, quam exteriorum, cancrique occulti, obſtructiones viſcerum, hydropes, icteri, tympanitides, diarrhoeae chronicae,

Digitized by Google

nec non dentium, gingivarum fauciumque affectiones variae oriuntur. Quin ad oſſa ipſa interdum horumque articulos morbi reliquiae deferuntur, unde caries, arthritis etc.

Similiter metaſtaſes vitia ſingularia in ſyſtemate nervoſo generant, et quidem vel immediate ob materiam in illud translatam, aut ex conſenſu cum parte affecta, unde morbi varii ſpaſmodici et paralytici, cophoſes, apoplexiae, amauroſes, dyſuriae originem trahunt. Quin ipſae vires animales afficiuntur, unde tot memoriae judiciique vitia *h*).

Tandem quoque non pauca exanthemata acuta chronicaque tanquam metaſtaſes verae conſiderari poſſunt, ut variolae, morbilli, tubercula urticata, furunculi, carbunculi ſcabiesque.

Metaſtaſium harum quaedam indolis ſunt ejusmodi, ut morbi reliquias ex corpore expellant feliciter, atque ſic ſanitas reſtituatur perfecta, aut illa, ſi debilis adh.c fuerit, nunc ſucceſſive magis confirmetur. Huc plerumque abſceſſus externi, vel externe rumpentes, quamvis hi quoque, niſi intra limites coerceantur, morbos chronicos tabidosque cauſari poſſint, defluxiones rheumaticae catarrhalesque, efflorescentiae cutaneae, haemorrhoides etc. referuntur.

Aliae periculoſae ſunt et lethales, quoniam viſcerum nobiliorum functiones turbant, cacochymiamque univerſalem per humores diſpergunt, quoniamque natura a morbo exhauſta, vitiis hisce viribus requiſitis reſiſtendi, juſto eſt impotentior.

Aliae moleſtias per vitam totam durantes relinquunt. Adhuc aliae ambiguae ſunt, mox pernicioſae,

h) *Tiſſoti liber* (von den Nerven und ihren Krankheiten) multa huc pertinentia eaque gravia continet.

ſae, mox ſalutares criticaeque; huc ſphacelus in parte quadam externa exortus pertinet, quem *Stoerck i*) et *Leutin k*) in naſo, *Monrous l*) et *Tulp* in apicibus digitorum pedis lethalem, prior quoque non lethiferum, *Pappelbaum* exadverſo in pede dextro *m*) Zachariasque Vogel *n*) criticum obſervaverunt. Auctor noſter ſphacelum poſt febrim putridam in infima dorſi parte ſupra vertebras lumbales ultimas manus expanſae magnitudine et inſtar cruſtae lardaceae durum obſervavit, ſub quo criſis optima ſudoris copioſi ope ſequebatur, quo durante locus ſphaceloſus paucis inciſuris praemiſſis egregie ſeparabatur *o*). Metaſtaſibus hisce ambiguis tubercula quoque miliaria petechiaeque annumerari poſſunt.

Elegantiſſima eſt ſuper metaſtaſes *Brendelii* diſſertat. de abſceſſibus per mater. et ad nerv. reſp. G. A. *Henrici*. Goett. 1755.

§. 82.

Praedictiones noſtrae de morborum acutorum progreſſu exituque ſumma cum prudentia ſunt formandae, inprimis antequam criſes verae oriuntur, quoniam cum ſignis optimis nihilominus mors, atque cum peſſimis contra ſanitas ſequi poteſt, et quoniam

i) Ann. med. I. 19.

k) Obſ. faſc. I.

l) Kriegsarzt. W. Aus dem Engl. und mit Zuſätzen von *Begke de Presle*. 26. 556.

m) Diſſ. de febr. malign. per gangraen. ped. dextri in regione malleoli ext. crit. ſol. Gött. 1743. Vid. *Hallers* Beiträge zur Beförderung der Geſch. und Heil. der Krankheiten — von *Crell*, 2. B. p. 185 ſeq.

n) Chir. Wahrnehm. 79.

o) Sphaceli critici exempla plura extant in Baldingeri libro v. d. Krankh. einer Armee, 2. Aufl. p. 401.

niam ipſa quoque ſub criſi et poſt illam ex cauſis manifeſtis occultisque, intra et extra corpus praeſentibus, quae criſin diverſimode cohibent, turbant, confundunt, aegrotus mori adhuc poteſt.

In febribus acutis juxta Hippocratis effatum praedictiones vitae et mortis neque omnino, neque abſolute, neque ſine exceptione omni (ὀ πάμπαν) tutae ſunt *p*). Poſt criſin quandoque optimam, elapſo quodam temporis ſpatio, morbus idem redit, aut alius ſuccedit, atque poſt criſin imperfectam infidamque viſam ſanitas nonnunquam ſequitur exoptatiſſima. Medicorum hinc nullus ſe in prognoſi ſua errores nullos commiſiſſe, cum certitudine affirmare poteſt. In illa nihilominus medici artisque medicae honos acquieſcit.

Quo magis interim praedictiones noſtrae ſignorum ſymptomatumque omnium et ſingulorum, morbi ſtatum praeteritum, praeſentemque deſignantium, comparatione taxationeque diriguntur et determinantur, eo judicii falſi ferendi periculum incurrimus minus. Signa iſta autem ex facie, oculis, lingua, reſpiratione, odore, auditu, ſenſu, anima, pulſu, viribus, ſomno, ſitu, urina, fecibus, ſenſatione, cute, aegroti idioſyncraſiis, epidemia annique temporibus deſumuntur etc. — At Hippocrates legem ſibi jam praeſcripſerat inviolabilem perpetuamque, ut non ſigni particularis cujusdam cauſa, ſed ob plurium ad finem eundem concurrentium ſeriem vitam aut mortem in morbis praeſagiret acutis.

Signa quaecunque, ſuper quae praeſagia noſtra fundare ſolemus, pondus ſuum habent, quia poſt ſignum unum malum, licet reliqua omnia fuerint bona, mors ſequi poteſt, quamquam ex ſigno unico

p) Aph. 2 — 19.

eo nihil, atque ex pluribus cum probabilitate tantummodo aliquid concludimus, quae eo veritati propinquior eſt, quo magis ſigna omnia praeſentia in ſcopum ſe conjungunt eundem. Signa interim quaedam judicii noſtri dirigendi vim habent praerogativam.

Reſpiratio in febribus continuis raro fallit. Hippocrates *q*) pueri dyſenterici hiſtoriam narrat, qui ſymptomatibus permultis maxime terribilibus afficiebatur, atque tamen ſanitati reſtituebatur, quoniam reſpiratio ipſi, hominis ſani inſtar, ſuccedebat. Exemplum aliud legitur ibidem. Similiter illud in prognoſticorum ſuorum locis diverſis teſtatur. Reſpiratio ſpei bonae cauſa ſemper eſt juſta. Cel. auctor noſter menſe Junio 1777 juvenem ſtudioſum Goettingae variolis decumbentem curandum ſuſceperat, in quo, praeter reſpirationem bonam, ſigna cuncta mortem tam certo praeſagire videbantur, ut celeberrimus iſtius academiae profeſſor, cujus in hoc rerum ſtatu ancipiti auxilium conſiliumque imploraverat, aegroti vitam vix horas adhuc viginti quatuor duraturam pronuntiaret. Ill. Vogelius, ad reſpirationem bonam provocans, ſpem ſibi affulgere declarabat, atque, horis viginti quatuor elapſis, camphorae ope extra periculum omne erat conſtitutus. Poſtea obſervationem eandem ſaepius inſtituit idem, quamlibet, aegrotos bene reſpirantes periculoſe decubuiſſe tandemque diem obiiſſe ſupremum, in febribus praecipue putridis, viderit. Quo ſpes ex reſpiratione, ſignis caeteroquin caeteris malis, affulget major, eo periculum, reſpiratione in pejus mutata, majus nunc eſt velociusque. Ideo autem e contrario aegrotus non ſemper moritur, ſi reſpiratio non rite ſuccedit, quoniam, eadem peſſime ſuccedente, ſa-

O 5 nari

q) Epid. 7.

nari tamen poteſt, quoniamque reſpiratio ronchiſona in morbi pectoris inflammatorii diebus ſerioribus curationem admiſit, quae alias in febribus acutis omnibus mortis prodromus eſt terribilis.

Si cum reſpiratione bona vires adhuc bonae combinantur, quae utpote pro morbi tempore ſignisque aliis omnibus debiles eſſe deberent: ſpes incrementa capit eo majora.

Juxta urinam, quae ſola nihil interque ſigna alia omnium minimum ponderis habet, quae carbonis inſtar atra r) neque tamen lethifera eſſe poteſt, pulſus frequentiſſime fallit, quippe qui a cauſis diverſis accidentalibus, nec ad morbum pertinentibus, mutatur. Neque minus ſanitatis tempore illum ſaepius tetigiſſe oportet, qui de ipſo in morbis judicium adaequatum ferre voluerit; quoniam homines diverſi perfectiſſime ſani pulſum habent plane ſingularem, quippe qui diverſis in hominibus, ſanitate gaudentibus integerrima, in eadem licet aetate conſtitutis, ab ictibus L ad XC differt. Praeterea temporis tractu taliter dijudicatur, qualiter in viſitatione prima reſpectu ad circumſtantias reliquas omnes inventus fuit, atque tunc, qualis ſanitatis tempore fuerit, indifferens eſſe poteſt. Matrona ſenex Goettingenſis, cujus medicus auctor noſter erat, ſanitatis perfectiſſimae tempore pulſum habebat adeo vehementem, plenum durumque, ut cel. *Vogelius*, quoties illum, curioſitate ductus, exploraret, ipſam recte

r) V. *de Haen* rat. med. p. VIII. c. 2. §. 5. *Lemoſius* de opt. praedicendi rat. p. 75. Poſterior in febribus petechialibus urinam ab initio atram, quam tamen mors non inſequebatur, obſervavit. Eadem caeteroquin non raro poſt abortus, in haemorrhoidibus veſicae, in menſium ſuppreſſione, in malo hypochondriaco, melancholia atque interdum in febribus obſervatur quartanis.

Digitized by Google

recte valere, in memoriam ſibi ſemper revocare debuerit. In ſenibus in genere nunquam fidere illi poſſumus. Pariter *Don Monro* virum novit, cujus pulſus ſanitatis integerrimae tempore LXXXIV ictibus, aliumque, cujus pulſus horae minuto XCVI ictibus manum tangentem feriebat. Si infra ictus octoginta minuebatur; ſemper morbo laborabat. Caſus autem mulieris cujusdam, cui ſanitatis tempore ſemper intermittebat, qui regularis fiebat, ſi febre corripiebatur, atque in ſanitatis revertentis ſignum primum intermittere denuo incipiebat, attentione dignus eſt adhuc majori. Caſus ſimiles narrat *Heberden* (in den Arzneykund. Abh. 2. B.) *s*). Indolis ejusdem exemplum memorabile narrat *de Haen t*). Plures, perpetuo pulſum intermittentem habentes, cogniti ipſi erant. Illorum unus maximo vitae periculo ſemper expoſitus erat, ſi pulſus tangentis manum feriebat aequabiliter, quod, ipſo rurſus inaequali fiente, evaneſcebat. *Rye* (med. ſtat. Brit.), *Floyer*, *Whytt* aliique pulſuum celerium absque febre exempla habent. Scheidemantel equitis franconici mentionem facit, cujus pulſus horis matutinis, ſi jejunus erat et quietus, CXXXVII ictibus in uno horae minuto digitos explorantis feriebat (Fränk. Beiträge p. 116.). Neque minus in partibus corporis diverſis pulſus interdum variat, atque in genere pro aetatis *u*), ſexus, corporis temperamentique conſtitutione,

s) V. Abh. zum Gebr. pr. Aerzte, 9. B. p. 224.

t) Prael. in *H. Boerh.* inſtit. path. ed. *de Waſſerberg*, T. II. p. 140. 141.

u) Senes juxta regulam pulſum habent adultis tardiorem, adultique pulſu praediti ſunt tardiori, quam pueri infantesque. Hi ictus habent LXXX ad XCV, ſi illi LX ad LXX ſenesque L ad LX ictus numerant. Cel. Blumenbach (inſtit. Phyſiol.) pulſum

tione, pro aegrotantis vivendi ratione, regimine etc. differt. Decumbentium pulſus tardior eſt, quam ſtantium ſedentiumque. Quodcunque reſpirationem mutat, mutat quoque pulſum, cujus ictus tres reſpirationi unicae reſpondent, quae autem relatio reciproca ab ordine hoc ſaepiſſime recedit, quod eo ſemper pejus eſt, quo haec receſſio major eſt. Arteriae valde parvae, amplae, planius profundiusque ſitae, oſſificationes, vermes, animi pathemata occulta, nervorum ſenſibilitas magna etc. pulſum, paribus ſub circumſtantiis, mirum variare in modum poſſunt. Dantur quoque exempla, in loco manus conſueto pulſum inveniri nullum, quia arteria radialis aliorſum decurrit, aut ramulus tantummodo parvus illo in loco deprehenditur, quare pulſus ex cauſis naturalibus valde parvus ſit oportet. Pulſus idcirco pluribus in locis eſt explorandus. In malo hypochondriaco hyſtericoque pulſus ſaepe minimo ſub periculo maximopere eſt paradoxus et v. v. In febribus putridis ſtatuque ſoporoſo, quandoque ſub bilis ſordiumque aliarum in ventriculo *x*) accumulatione, pulſus interdum plenus, fortis, tardus, quin naturali tardior eſt. Ab hoc pulſu fallaci omnino cavendum eſt. Hic ſaepenumero infra ictus ſexaginta cadit.

pulſum pro annorum diverſitate ſequentem determinat in modum: in prioribus poſt partum diebus in unius minuti ſpatio arteriarum pulſus CXL, verſus anni primi finem CXXIV, verſus anni ſecundi finem CX, verſus finem anni tertii etc. XCVI, ſi dentes lactei decidunt LXXXVI, pubertatis tempore LXXX, in aetate virili LXXV, verſus annum ſexageſimum LX ictus numerantur. In ſenioribus pulſus valdopere variat.

x) *Cel. Monro* pulſum in febre quadam toties tardiorem fieri obſervavit, ſimulac bilis accumulabatur, qua evacuata celeritatem recuperabat priſtinam. L. c. p. 226.

dit. *Sarcone y)* in febre epidemica Neapolitana pulſum adeo haud ultra XL usque XLV vices in horae minuto pulſantem invenit. Natura e contrario ſibi opitulatur, ſi pulſus vicibus CXL tangentis manum ferire incipit.

Pulſus nihilominus in febribus acutis, juxta reſpirationem, ſignum manet graviſſimum, quoniam hae diverſitates declinationesque partim rariores ſunt, partim computari, partim quoque per circumſtantias reliquas dijudicari debent, quum pulſus maxime terribilis, quod ſaepius monitum fuit, ſub ſignis caeteroquin omnibus bonis, minime terribilis eſt; reſpirationem contra difficilem ſub circumſtantiis nullatenus periculoſis nunquam vidit auctor, niſi pectoris conformatio mala, complicatio quaedam, aut cauſae aliae a febre non dependentes, exceptionem a regula fecerint. Quanti pulſus ſit ponderis, inter alia exemplum ab ill. Zimmermanno deſcriptum, infra p. 227. allegatum, clariſſime docet. Mortem propinquam omnia adnuntiare videbantur, Zimmermannus autem vitam ſanitatemque praeſagiebat, quoniam pulſus tardior erat factus.

Fiduciam porro maximam cum ill. Zimmermanno in morbis acutis in animi hilaritate, neque ſimulata, neque modum excedente in facie expreſſa collocat cel. auctor noſter, utpote quae ſub introitu in aegroti cubiculum ſpem ipſi alacritatemque adfert, quamvis morbi conſtitutio huic animi hilaritati non ſemper reſpondeat, quoniam animus hilaris intrepidusque in morbis acutis ponderis ſemper eſt ineffabilis. Aegroti temperamentum ut non ignoretur, neceſ-

y) Geſchichte der Krankh. zu Neapel etc. 2. Th. §. 357. nec non 3. Th. §. 704. Hic pulſuum in febribus peſſimis praeternaturaliter tardorum exempla diverſa collecta extant.

neceſſe eſt omnino, neque ab homine a natura moroſo, impatienti, timido anxioque illud ſemper eſt pertimeſcendum, quod in temperamento eodem ab indifferentia plenaria potius eſt pertimeſcendum, quae exadverſo in ſubjectis a natura phlegmaticis, inſenſibilibus, frigidis, periculo ſtipata eſt longe minori. Temperamentum in genere animique ſtatum in morbis ſemper ita dijudicamus, qualiter ſanitatis tempore erant, ſic, ut, quo magis ille ab hoc recedit, eo ſit periculoſior, quia animus quoque ſerenus hilarisque in hominibus, qui alias ad hilaritatem nullatenus proni erant, neque a re aliqua facile afficiebantur, nullum bonum indicium eſt plerumque.

Ad plures quoque adhuc proprietates, idioſyncraſiasque reſpiciat, qui crebros in prognoſi ſua errores committere nolit. Nonnulli in febre qualibet, utut parva, delirant, neque tamen periculum idcirco majus eſt. Cujus exempla plura aliorſum adhuc in hoc opere occurrent.

Quid exemplis hisce indicare in genere voluerit cel. auctor, perſpicitur: quanta prudentia prognoſes noſtrae ſint inſtituendae; quam parum ex ſignis particularibus determinari cum certitudine queat, quomodo neque minus ſigna nonnulla prae aliis attentionem mereantur praecipuam, quamvis et haec quoque cum ſignis reliquis ſedulo ſemper ſint comparanda, ubi ſimul praecipue ſignorum quorundam combinatio et conſenſus accurate taxari debent et obſervari, quia inde plus deduci poteſt, quam ex ſignis reliquis omnibus conjunctim ſumtis, et quia ſigna nonnulla pauca mala, ſed gravia ſignorum bonorum copiam ingentem vilipendunt, et pauca quaedam bona graviaque, quorſum praecipue reſpiratio, vires animique alacritas pertinent, in ſignorum mul-

torum

torum malorum aliorum combinatione, ſpem erigunt potentiſſime.

§. 83.

In antecedentibus ſymptomata, niſi cuncta, tamen pleraque, in febribus continuis occurrere ſolita, ſunt enumerata. Horum illa praeprimis jam ſpeciatimque conſiderabuntur, quae plurimis in caſibus, atque ſub conditionibus poſthac maxima ex parte expoſitis, periculum denotant magnum, quaeque morbum eo reddunt periculoſiorem malignioremque, quo copioſius vehementiusque oriuntur.

Huc pertinent: pulſus parvus debilis ſimul celer, aut perquam celer fortisque, valde inaequalis, ſaepe intermittens, tremulus, vix tactu explorandus, ſummopere tardus; animi deliquia frequentia z); urina alba, aquoſa ex viridi palleſcens, nigra cum ſedimento nigro fuliginoſo, rufa, foetens, ſaporis putridi, ante judicationem cocta, colore chocolatam referens, turbida, non inclareſcens, colorata et tamen inſipida, tenuis colorata aut decolor, non craſſeſcens ſpumansque, neque tamen ſpumam ſuam amittens; urina hypoſtatica cum ſedimento iterum collabente, aut cum nubecula ab initio vitri fundum petente, ſucceſſive in portionibus porro excretis altius ſcandente tandemque plenarie diſparente; reſpiratio difficilis, laborioſa, parva, velociſſima, tardiſſima, inaequalis, parva celerisque, minima celerrimaque, tardiſſima maximaque, profundiſſima muſculis

z) Avicenna febres quasdam ſyncopales deſcribit, quae ab animi deliquiis paroxiſmis accedentibus denominantur, atque ab humore pituitoſo, aut bilioſo generantur. Hae febres procul dubio malignis ſunt adnumerandae intermittentibus. V. *Sinſerius de Kanilfeld* l. c.

culis fere tantummodo abdominalibus peracta; reſpiratio ſtrepens, foetens, valde fervida frigidaque; hypochondria tumida valde ſenſibilia, tenſa, doloroſa, pulſantia, fervidiſſima frigidiſſimaque; lingua arida, aſpera, frigida, fiſſa, rigida, fixa, immobilis, tumida, tremula, valde rubra, plenarie laxa, corrugata, retracta, aphtis nigris obſita, coerulea vel atra, linguae orisque ſine ſiti, cute caeteroquin humida, ſiccitas; lingua e contrario humida cum ſiti maxima; deglutitio ſtrangulatoria et cum ſtrepitu inter potandum contingens; unguium, labiorum, palpebrarum naſique livor; convulſio; tetanus; epilepſia, ſpaſmus cynicus; riſus ſardonius; hydrophobia, ſternutatio frequens ſine cauſis levibus, praecipue in phrenitide pectorisque inflammationibus etc. contingens; oculi obtorti, ſordidi, ſenſu carentes, ſenſu acuto praediti; valde rubri, flavi, virideſcentes, diſtorti; ſemiclauſi, rigidi, profunde ſiti, involuntarie lacrymantes, immobiles, elati, vitrei, languidi, vigore orbati; aphonia plenaria; coecitas; foetor perpetuus in naribus, quem adſtantes odore percipere nequeunt; impotentia deglutiendi plenaria ſine impedimento topico; inquietudo magna, anxietas; corporis jectigatio immodica; foetor ab aegri corpore exhalans; ſudores frigidi, glutinoſi, in parte corporis ſingulari, capite colloque milii inſtar erumpentes, intempeſtivi, immodice enervantes, haemorrhagiae intempeſtivae minores majoresque juſto; diarrhoeae immodicae, impetuoſae, plenarie aquoſae, intempeſtivae; diarrhoeae nullum adferentes levamen, nigrae, cadaveroſae, cruentae; animus maximopere abjectus; languor ingens, membrorum omnium diffractorum ſenſus, corporis mentisque ſub ſymptomatibus vehementiſſimis ſtupor; artuum corporisque totius tremor; agrypnia

pnia plenaria, coma *a*); ſingultus, mentis alienationes, dentium ſtridor; frigus externum, calor internus et v. v.; manducatio perpetua, aphthae oris, horrores frequentes, artuum cunctorum dolores vehementes tenſivi vagi; caput ſtupidum, obnubilatum, grave, quaſi plumbo foret impletum, cubatio aegri in lecto inſolita perverſaque pronum in abdomen, in dorſum, manibus, capite colloque extenſis, corporis prolapſus perpetuus ad pedes, extremitates frigidae: dolores vehementes in regione cordis; urinae fecumque emiſſio involuntaria; feces plenarie nigrae; vomitus lividus, niger, foetens, putridus, cruentus, aeruginoſus, doloroſus; faciei lineamenta alterata, a naturalibus recedentia; labia palpebraeque lividae, frigidae, pendentes; os aper-

a) Attamen non ſomnus quilibet, ſymptomatis inſtar febribus accedens, periculi momentique paris eſt. Quo facilius aegroti expergeſiunt, quo ſui ſibi magis conſcii ſunt; quo melius oculi ſplendore ſuo naturali praediti ſunt liberiusque circumvagantur, eo periculum minus coma tale minatur. Si contra difficillime expergeſit aegrotus, atque tum confuſus eſt, oculosque ſuos diſtortos, obliquos, turbulentos, languidos, laxos non attollit, ſi iſti quoque rubri ſunt tumidique et prominentes; ſi aegrotus ad quaeſtionem nullam reſpondet, aut ſaltem non cum ratione reſpondet, ſtatimque in ſomnum relabitur; ſomnus eſt lethargicus, ſtatum denotans peſſimum. Febris habetur remittens mox quotidiana, mox tertiana, cujus acceſſiones ſomno tali lethargico ſunt ſtipatae, quaeque ſenes utplurimum interimit. *Le Roy* (Melanges de phyſ. et med. prem. mem. ſur les fievres aigues pag. 171.) uti et *Burſerius* (inſtit. med. pr. Vol. I. p. 276.) illius deſcriptionem dederunt. Status hic utplurimum pro apoplexia habetur, at ſub exacerbationis fine mens ſenſusque redeunt, neque pars ulla, niſi in quibusdam lingua, paralytica manet. Sopor hic tandem omnino evadit apoplecticus. Intervalla remiſſio-

apertum, aut pertinaciter clauſum; adſpectus praeter morem anxius languidusque, cutis univerſae ſordibus quaſi tectae nigredo fuliginoſa, erecte ſedendi, quin ambulandi deſiderium perpetuum; appetitus vehemens ſubitaneus; virium animalium exaltatio intenſa nimis; animae indifferentia et tranquillitas ſubitanea; cornea ſplendens, obſcurata, quaſi cutis illi ſuperinducta foret; facies hippocratica etc.

Utut terribilia ſymptomata haec cuncta ſunt, ſi plus minusve in ſcopum conjunguntur terribilem, quali conjunctioni febris cujuscunque malignitatem tribuit cel. auctor: longe tamen abeſt, ut cuncta per ſe periculoſa ſint lethaliaque, quum illorum multa ex cauſis nullatenus periculoſis originem trahere poſſint.

Tali

miſſionesque perpetuo fiunt breviores. Quandoque verſus diem ſeptimum, aut octavum remiſſio longa horarum XXIV usque XXXVI oritur, ſic, ut exacerbatio una intermittat. Cavendum autem eſt, ne remiſſione hac decipiaris. Nonnunquam tunc praeter opinionem paroxiſmus oritur eo vehementior, qui mortem infert. Senes inprimis ſub autumno ob transpirationem ſuppreſſam corripit. Summe periculoſa eſt, dieque VII. VIII. IX. frequentiusque XI et XIII, interdumque ſerius adhuc necat. Deſcriptiones doctiſſimae allegatae eo magis ſunt legendae, quum *febris haec remittens ſoporoſa ſenum* apud auctores paucos deſcripta invenitur. Febris alia huic, quoad ordinem, typum etc. valdopere reſpondens, homines non adeo ſenes, ſed tales tamen, qui annum XLV jam ſuperarunt, corripit, atque per paralyſin partis unius dimidiae corporis, unde *febris hemiplegica* vocatur, diſtinguitur. Non adeo lethalis eſt, ac prior. Sporadice tantummodo, ut prior, occurrit. Incipit, ſicut illa, cum frigore longo. Utraque febris non eſt cum febribus intermittentibus malignis confundenda: cortex peruvianus enim hic fruſtraneus eſt, atque remiſſiones quoque ſolummodo locum habent. *Le Roy* et *Burſerius* l. c. juxta cadaverum ſectiones illam deſcribunt. Febres hae binae cum ſymptomatibus quoque aliis complicantur, indeque tragoediae diverſae variaeque oriuntur.

Digitized by Google

Tali modo pulſus poſt ſudores criticos, absque omni omine malo, inprimis ſi ſui ſimul ſibi conſcius eſt aegrotus, parvus valde eſt et vix percipiendus. In morbis pectoris acutis ſaepe intermittens tangitur, neque tamen morbi ſtatus periculoſior eſt, quam reliqua ſigna declarant. Pulſus caeteroquin haud raro poſt ictum quartum, quintum, decimum, vigeſimum, absque ſymptomatis maligni acceſſu, aegrotoque cum illo in ſanitatem nihilominus tranſeunte, intermittit. Interdum pulſus intermittentis cauſa viarum primarum ſordibus accumulatis, criſi per ſudorem inſtanti, ſenio grandi, doloribus vehementibus, cordis pericardiique morbis, nec non, ſi hoc illi accretum eſt, cordis vaſorumque majorum ſanguiferorum concretionibus polypoſis, materiae arthriticae latenti, vermibus ſpaſmisque tribuenda eſt abdominalibus, neque raro criſeos per alvum inſtantis prodromus eſt etc. Quandoque cauſa detectu difficilis eſt. Idioſyncraſiarum diverſarum mentio ſupra facta fuit. Poſt ictus iteratos, ictus unius intermiſſio ſine momento quodam, quod autem, circumſtantiis caeteroquin caeteris paribus, eo gravius evadit, quo pauciores poſt ictus intermiſſio haec contingit, frequenter obſervatur in genere pulſus ſpeciei cujuslibet malae, cauſae non malae praeſto eſſe poſſunt; reſpirationis itidem conſtitutionem fortaſſe unam alteramque, urinae autem diatheſin nullam, ominis eſſe abſolute mali, ſaepius jam monitum fuit. Sudores frigidi, modo aegroti mox revaleſcant, non adeo ſunt metuendi. Emeſeos nonnunquam praecurſores ſunt et indices. Horror et frigus quandoque concutiens, criſeos felicis prodromi; horrores exanthematum nonnullorum eruptionem antecedentes; quibuscum febres novae incipiunt etc. innoteſcunt omnibus. Neque minus ſymptomatum, exitum infau-

ſtum praeſagire viſorum, cujus autem loco criſis exoptatiſſima ſanitasque inſequitur, mentio ſupra facta fuit.

Memorabilis inprimis auctori noſtro ſemper viſus fuit caſus, ab ill. Zimmermanno in opere ſuo (von der Erfahrung in der Arzn. W. p. 193.) deſcriptus. Virginem videbat adoleſcentem die ſeptimo febris acutae recidivantis expalleſcentem, labia unguesque lividos, corpus univerſum ſudore frigido perfuſum aegrotamque languidiſſimam. Zimmermannus adſtantibus ſanitatis, ſudorem profuſum inſequuturae reſtitutionem velocem gratulabatur, quoniam pulſus, horis matutinis celerrimus, nunc verſus meridiem tardus erat. Ad praeſagium ejusmodi ſumma omnino, qua pollet Zimmermannus, mentis acies requiritur, medicique centum alii circumſtantiis ſub paribus errores committent.

In febribus petechialibus miliaribusque, in febribus infantum, in ſordium bilioſarum in viis primis accumulatione, ſoporis ſpecies quaedam non inſolita, ſed nullius eſt momenti. Urinae fecumque emiſſio involuntaria, floccorum e ſtragulis venatus, erectiones manuum mirabiles, quaſi ex aëre carpere quidquam venarique vellent, corporis denudatio, inverecundia, ſitus varii inſoliti in lecto, levis quandoque mentis alienationis, non adeo ſemper periculoſae, nec non interdum conſuetudinis et idioſyncraſiae ſunt effectus. Similiter oculos ſqualidos, ſubſidentes absque ſignis aliis malis obſervavit auctor noſter. Oculi ſemiclauſi durante ſomno cum eorum albuginea prominente, non ſemper quinti nervorum paris ramum primum et ſecundum paralyticos eſſe deſignant, neque in aegrotis, qui ſani ita dormire ſolebant, periculum indicat minimum, quorum exempla

empla haud rara ſunt, interdumque in diarrhoeis obſervantur. Singultum ſaepenumero ſine periculo in febribus obſervavit auctor. Non raro ab acidis copioſis, potibus juſto frigidioribus, ab acrimonia quadam ventriculi orificium vellicante, a ſenſibilitate cutis internae poſt aphthas deciduas oritur, nonnunquam diarrhoearum criticarum praecurſor eſt. Poſt vermem vomitu rejectum eundem ſtatim evanuiſſe vidit *ill. Vogelius.* In caſibus igitur hiſce cunctis aliisque pluribus nihil mali denotat. Tendinum ſubſultus quoque in morbis caeteroquin lenibus, quin in ſanis quandoque, poſt ſomnum inquietum, obſervatur; mentis aberrationes, anxietates crudeliſſimae, debilitas maxima, immo lipothymiae convulſioneſque ex bile interdum oriuntur acri, quare, hac emetici ope evacuata, ſymptomata haec ipſo temporis momento diſparent. Homines nonnulli animi deliquiis, convulſionibus ſymptomatibusque aliis vehementibus ex idioſyncraſia, ex ſanguinis adſpectu rerumque variarum odore corripiuntur etc. Convulſiones infantum tenerorum febre decumbentium non inſolitas eſſe, easque variolarum benignarum eruptionem ſaepius antecedere, neque raro a vermibus excitari, experientia docet. Inde quoque oculorum diſtorſiones horrendiſſimas dentiumque ſtridores oriuntur, atque cel. Vogelius anni unius infantem coecitate plenaria, pupilla cum ampliata immobilique, in magnum parentum terrorem, una cum febre, vermibus expulſis, illico evaneſcente, correptum vidit. Similiter mulieres hyſtericae, febre laborantes, convulſionibus, per ſe momenti nullius, corripi conſpiciuntur. Verum enim vero, omnia huc pertinentia hic colligere, impoſſibile eſt *b*). Sic in genere

b) Legatur pulcherrimum completiſſimumque opus: C. G. *Gruner* Semiot. phyſiol. et pathol. gener. compl. Hal. 1775. 8.

nere haud raro temperamenta, conſuetudines, mores, animi affectus, vitae genus, nervi ſenſibiles irritabileſque, flatus, vermes, acrimonia bilioſa pituitoſaque, complicationes, idioſyncraſiae cauſaeque plures aliae manifeſtae aut occultae, extra febris ambitum conſiſtentes, ſymptomatibus diverſis ſupra recenſitis, ſumme terribilia apparentibus, neque tamen periculoſis, anſam praebent; conſequenterque, effectus cauſasque accuratiſſime inter ſe laxandas, circumſtantias omnes ſedulo inveſtigandas, conferendas inter ſe comparandasque, neque ex ſignis ſymptomatibusque particularibus quoad morborum acutorum periculum exitumque concluſionem ullam unquam formandam eſſe, apparet. Quo autem ſymptomata morbum concomitantia graviora ſunt, magisque inter ſe conveniunt, quo magis facultates vitales immediate affectas teſtantur, atque quo minus tandem morbi ſtadio cauſisque reſpondent manifeſtis, eo periculum ſemper majus eſt.

§. 84.

Pervenimus jam ad febrium continuarum curationem generalem, quae communia, et in caſibus ſingularibus particularibusque, momenta habet propria ſingulariaque.

Quemadmodum indicationes ab experientia confirmatae, rectae compertae riteque dijudicatae viam monſtrant, ad morbos quoslibet ſanandos, tutiſſimam; ita pariter febrium continuarum curatio, reſpectu ad earum denominationes, periculum etc. nullo ulteriori habito, in his fundatur.

Febrium continuarum ſimplicium omnium curationis cardo in cauſarum praeſentium remotione, refrigeratione, diluitione, nonnunquam in ſanguinis

nis detractione, ſymptomatum moderatione, in criſeos directione promotioneque prudenti, nec non in languoris relicti corroboratione vertitur.

§. 85.

Si ſanguinis copia minuenda eſt: *venaeſectio* primum eſt, quod fieri oportet. Indicatur illa a calore valde magno, cephalalgia vehementi, pulſu pleno, tenſo, forti, plus minusve duro, facie, urina, lingua, oculis valdopere rubentibus, pectoris oppreſſione, artuum gravitate, venarum plenitudine, capitis vertigine ſtuporeque, atque cordis palpitatione vehementi; requiritur porro, ſi potuum ſpirituoſorum abuſus, haemorrhagiae conſuetae neglectio, aut ſuppreſſio febrim excitarunt, ſimulque ſanguinis abundantia per guttas illius aliquas ex naribus ſtillantes, aut ſputis admixtas etc. ſe manifeſtat. Quo ſignorum horum plura adſunt, eo venaeſectionis citae inſtitutio neceſſarior eſt, licet hunc in finem circumſtantiae omnes ſedulo ſemper conferendae ſint et comparandae, quia venaeſectionis indicationes non ubique aeque ſunt manifeſtae, quoniamque ſymptomatum illorum permulta ex cauſis plane his oppoſitis oriri poſſunt, quarum praeſentiam autem, plurima ex parte, ſigna quaedam alia nos docent. Nonnunquam conſtitutio epidemica; anni tempus, ſanguinis e vena miſſi diatheſis circumſtantiaeque aliae, indicationibus reliquis nos deſerentibus, aut non ſatis illuceſcentibus, lucem hac in re affundere debent. In febribus interim continuis ſimplicibus rariſſime hoc contingit, de quibus ergo tempore alio plura dicentur.

Sanguinis detrahendi copia venaeſectionumque repetitio aegroti viribus, aetati, corporis conſtitutioni, vitae rationi, conſuetudini, idioſyncraſiis

quibusdam, levamini inde ſequenti ſymptomatumque vehementiae ſunt accommodandae. Venaeſectionibus interim aſſueti, potus multos ſpirituoſos, cereviſias meracas bibentes, cibis multis nutrientibus veſcentes, parum ſemet moventes, humoribus ſanis viribusque concoctricibus vegetis praediti, juvenes in aetatis flore conſtituti, alacres, foeminae plethoricae robuſtae, ſubjectaque utplurimum macra extractionem ſanguinis largiorem perferunt, quam ii, qui humores pravos, tenues, corruptos, ſyſtema nervorum mobile habentes ſanguinis jacturam magnam aliter jam fecerunt, qui alias per vias excretiones copioſas, v. g. diarrhoeas, ſudores crebros patiuntur, hypochondriaci porro, ratione diverſa enervati, ſenes decrepiti infantesque teneri. His pari ſub conditione copia ſanguinis parcior eaque majori cum cautela detrahenda eſt. Praeterea ſpeciatim adhuc attendendum eſt, quomodo aegroti ſanguinis jacturam hanc perferant, quoniam et hic natura proprietates quandoque diverſimodas ex rationibus neque explicandas, neque praevidendas monſtrat, et quoniam, ſub indicationibus venaeſectionem ſuadentibus quibuscunque, illa tamen omnem praeter ſpem male interdum cedit. In regionibus ſeptentrionalibus, juxta cel. *Mertens* teſtimonium, homines ſanguinis miſſiones minus, quam in meridionalibus, perferunt. In Ruſſiae imperio morbum ſibi raro occurriſſe, in quo venaeſectio quater repetenda neceſſaria fuiſſet, quum e contrario Viennae, inque Galliae regno adverſus morbos eosdem venaeſectiones ſex octoque interdum vix ſufficiant, perhibet idem *c*).

Venaeſectionis interim effectus ſalutaris, aeque ac noxius, illam non ſemper immediate inſequitur, ſed

c) *De Mertens* obſſ. T. II. pag. 23.

ſed haud raro poſt horas demum VI — VIII — pluresque apparet, neque ab initio bene cedere venaeſectio videri poteſt, quae tamen in effectibus ſuis ſalutaris conſpicitur. Sic v. g. ſub neceſſitate ſumma venaeſectionem urgente, febrim, illa inſtituta, immo vice ſecunda tertiaque repetita, acerbiorem, pulſumque celeriorem fieri, obſervationes docent; venaeſectio vice tertia quartave repetita febrim tandem minuit tollitque. Ab initio venaeſectionis exadverſo mutatio in melius apparere poteſt, ſequelis illius noxam nihilominus inferentibus.

Sanguinis detrahendi quantitas ordinaria uncias X — XIV, ad ſummum XVIII non facile excedit, inque caſibus diverſis non ultra uncias ſex detrahere licet. Sanguis aptiſſime in patellas excipitur, in quibus quantitas ſecuriſſime determinari, illiusque craſis mutationesque optime dijudicari poſſunt. Infantibus unciae II — III ad ſummum V detrahuntur. Rariſſime venae illis ſecandae neceſſitas occurrit, quamvis caſus ejusmodi omnino contingant, in quibus absque venaeſectione juvari nequit, atque illius tunc effectus plerumque ſubitaneus eſt. Si infantes ſub operatione hac timidi appareant, neque brachium quietum tenere vellent: chirurgi gallici conſilium *d*), infantis brachium adulti antibrachio alligando, ſequendum eſt. Hac ratione infante inſcio omnique ſine difficultate venaeſectio adminiſtrari poteſt.

Medicus proprie, ſi poſſibile fuerit, absque praeſentia ſua venaeſectionem chirurgo nunquam committere deberet, quoniam ſanguinis detrahendi copia requiſita juxta circumſtantias, non ſemper in anteceſſum cognitas, dijudicanda eſt, a parte enim ultra-

d) Gazette ſalutaire an. 1775. n. 38.

utraque, vel copia juſto majori, vel eadem juſto minori, peccatur. Utplurimum hic ad pulſum et ſanguinis curſum attenditur, quo pulſus vividior fortiorque invenitur, quoque arcus a ſanguine ex vena exſiliente formatus major eſt, eo ille audacius eſt detrahendus, licet modus tamen certus nunquam ſit transgrediendus.

Indicationibus igitur venaeſectionem exigentibus, poſt adminiſtrationem illius primam perdurantibus, vel poſt horas VI — VIII ſeriusve redeuntibus, venaeſectio eſt repetenda, quod eo magis eſt neceſſarium, quo magis in febris inflammatoriae naturam febris vergit, ſic ut illa tali in caſu ſexies quandoque pluriesve ſit repetenda. Neque minus conſtitutio epidemica hic conſiderationem meretur praecipuam, a qua venaeſectio interdum unice indicatur atque contraindicatur.

Ubicunque cauſae venaeſectionem urgentes praeſto ſunt, vice prima, ſanguinis copia maxima ſucceſſiveque ſemper minor eſt detrahenda, quia ſanguinis copia larga venaeſectione detracta, juxta obſervationes dudum confirmatas, effectus ſemper exſerit efficaciores, quam venaeſectiones parvae diverſae repetitae, quoniamque caſibus in variis, exceptis pulmonum inflammationibus febribusque quibusdam aliis, venaeſectio tum demum effectum exſerit optatum, ſcopo reſpondet, ſi ſanguis ad animi usque deliquium extrahitur. Caſus exiſtere poſſunt, in quibus a venaeſectione, quantum fieri poteſt, largiſſima celerrimaque hominis vita dependet, ubique, absque reſpectu ad modum aliquem, ſanguis tamdiu extrahendus eſt, donec levamen ſequatur. Hoc in caſu ſanguis tamdiu extrahitur, quam aegroti interea decumbentis pulſus aliquatenus permittit, tum manu una

Digitized by Google

una venae apertura occluditur, alteraque interim pulſus exploratur, ſimulac hic aliquatenus iterum quodammodo elevatur, ſanguis denuo detrahitur, atque ſic juxta methodum hanc praeſcriptam tamdiu pergitur, donec pulſus hoc non amplius permittit levamenque propoſitum, raro tunc deficiens, ſit ſequutum.

Pulſus parvus, debilis, immo intermittens, quin membrorum languore, voce languida ſymptomatibusque periculoſis aliis ſtipatus, non ſemper a venaeſectione deterrere debet inſtituenda, utpote quae tunc temporis nonnunquam ſumme neceſſaria remediumque eſt unicum, ſi pulſus tangitur mininius, quod plerumque in febribus cerebri, pulmonum, hepatis, inteſtinorum partiumque aliarum internarum inflammationibus ſtipatis contingit. Verum enim vero acies hic judicii ſumma, nullo in muſaeo adquirenda, requiritur. Hisce in caſibus pulſus ſub ſanguinis effluxu ſucceſſive major evadit vividiorque, atque, circumſtantiis reliquis id permittentibus, tunc demum ſanguinis copia ſufficiens effluxit, ſi pulſus a magnitudine ſua maxima recedere minorque fieri incipit. Pulſu, exadverſo, parvo non cito ſe attollente, ſed potius adhuc decreſcente, ipſo temporis momento a venaeſectione deſiſtendum eſt, quod autem in circumſtantiis maxime ancipitibus ad ſummum ſolummodo, maxima ſub cautela prudentiaque, continget.

Quandoque pulſu ſub forti plenoque, rationibusque aliis, ex circumſtantiis praeſentibus praeteritisque pro venaeſectione inſtituenda fluentibus, venaeſectionem ſuadentibus, facies valdopere pallida membrorumque languor ingens praeſto eſt; quae autem eo a venaeſectione deterrent minus, quoniam vires

vires vivacitasque, illa peracta, mox increſcunt, omniaque in melius mutantur.

Neque etiam, pulſu, anxietate circumſtantiisque reliquis venaeſectionem exigentibus, ad menſium lochiorumque fluxum reſpectus eſt habendus.

Animi deliquia, nec non convulſiones, quibus nonnulli ſub venaeſectione corripiuntur, per ſitum in lecto horizontalem, per aperturam venae parvam, ſanguinis ſub fluxu praeterea digito ſaepius occludendam, per aquam frigidam in ore retentam, quacumque per vices facies conſpergitur, cuique manus ambae ad cubitum usque immittuntur, per aceti concentrati, ſalium ſpirituumque volatilium odores naribus attractos, ſi haec contraindicatione nulla prohibeantur, praecaveri poſſunt. Timor caeteroquin aegrotantis ingens adverſus hanc operationem non facile, ſi neceſſaria fuerit, ab eadem deterrere debet, quin cum perſuaſione et affabilitate debita inſtituatur, idque eo minus, quo illa fuerit neceſſarior, quoniam ill. Zimmermannus *e*) in angina inflammatoria acerbiſſima virum pinguem humoribusque repletum, absque ullo ad convulſiones maxime enormes ex chirurgi adſpectu ortas reſpectu habito, ut venaeſectionem, ſub qua redibant convulſiones, permitteret, feliciſſimo cum ſucceſſu coëgit, aegrotumque tali modo intra triduum reſtituit ſanitati. Attamen regula haec procul dubio certis ſub conditionibus exceptionem patitur, quia ex metu quoque et terrore ſymptomata diriſſima, paralyſes, aphoniam, corporis totius tremores continuos, epilepſias deliriaque, quae interdum fortaſſe tranſierunt, interdum autem remediis obediverunt nullis, originem traxiſſe, obſervationes docuerunt. Medici prudentia tali-

e) Erfahr. 2. Aufl. p. 306.

Digitized by Google

talibus in caſibus, talem inire viam, qua tamen uno alterove modo ſcopo ſuo potietur, rationemque, quatenus aegroti ſui praejudicio indulgere conveniat, nec ne, determinare non ignorabit.

Quando ad partem affectam reſpectus ſingularis non neceſſario habendus eſt, in genere, num in pede, vel in brachio venaeſectio inſtituatur, indifferens eſt. Si venaeſectionum plurium inſtituendarum neceſſitas, atque ad partem aliquam affectam reſpiciendum eſſe, praevidetur: optimo cum ſucceſſu res ita inſtituitur, ut venaeſectio prima in loco pro lubitu eligendo, altera autem, quam proxime fieri poteſt, ad locum affectum adminiſtretur. Medicos praeterea nonnullos caſibus in diverſis, ubi, v. g. circa menſium, lochiorumque fluxum reſtituendum indicatio verſatur, non attendere, num in pede brachiove aperiatur vena; neque minus lochiorum fluxum per venaeſectionem ipſi neceſſariam viſam, atque in brachio inſtitutam ſubito ſuppreſſum eundemque per venaeſectionem alteram in pede peractam illico revocatum fuiſſe, ſe recordari perhibet cel. auctor. De quibus tempore alio ſermo erit.

Quo maturius in morbo quodam venaeſectio neceſſaria inſtituitur, eo eſt melius, at morbi quoque die quolibet, ſi ab initio neglecta fuerit, ſimulque ac indicia illam exigentia praeſto ſunt, ſi vigeſimo quoque morbi die foret, conveniens eſt neceſſariaque. Veteres recentiorumque nonnulli poſt diem quartum nunquam aperiebant venam, absque ratione timentes, ne in criſi ſua inde turbetur natura. Hippocrates interim neceſſitate extrema urgente poſt temporis ſpatium iſtud illam quoque inſtituebat. Experientia autem jam dudum doctrinam hanc refutavit *f*). Octo circiter ante annos (1781) cel. auctor

f) Vid. *Brendel* Diſſ. de termino V. S. acutis. Goett.

ctor in pleuritide bilioſa venaeſectionem poſt ſordium evacuationem plenariam die ſeptima vice ſecunda indicatam inſtitutamque criſin per ſudorem perfectiſſimam immediate inſequutam obſervavit.

§. 86.

Evacuationes, per emeſin aut alvum indicatae, quantocyus ſunt inſtituendae (vid. caput de febr. intermitt.). Quamlibet viarum primarum ſordes in febribus continuis raro deficiant *g*), igiturque curationis momentum primarium ſaepiſſime in earum evacuatione conſiſtat; quamvis porro eaedem ab initio non praeſentes in febris progreſſu copioſe oriantur, et quamquam in caſibus quibuslibet, ſub remediorum reliquorum adminiſtratione, ſufficienti per alvum evacuationi ſit proſpiciendum: evacuationes per vomitum et alvum tamen a febre continua qualibet minime directe indicantur, ſed caſus ſaepiſſime occurrunt, in quibus ſordium ex viis primis evacuatio ſcopus medentis eſſe nequit, quoniam illarum ſigna quaecunque deficiunt, cunctaque ſine ratione inſtituta nociva ſunt.

Pro exhibendis remediis hisce illa potiſſimum febris intervalla, in quibus caloris exacerbatio remiſit, igiturque horae inprimis eliguntur matutinae, niſi neceſſitas urgeat naturaque ipſis in exacerbationibus nauſeam vomitumque excitet, aut a ſordium evacuatione omnia dependeant, quibus in caſibus cum remediis evacuantibus, perpetuo continuandis, febris indicationibus reliquis cunctis ſatis eſt faciendum. Temporis caeteroquin ratione ad diem nullam reſpectus eſt habendus; neque febris totius dies ulla eſt, in qua indicationes evacuationem urgentes per emetica et purgantia, niſi impedimentum quoddam

g) Quid ſub his intelligatur, vid. infra §. 121. nota x.

dam aliud obſtacula ponat, implere non liceat *h*). Quo interim maturius hoc fieri poteſt, eo eſt melius. Sordes primarum viarum immobiles, antequam ſucceſſum ſperatum evacuationes habere poſſint, mobiles ſunt reddendae. Huic ſcopo nihil melius reſpondet, quam ſalis medii tartaro emetico hac proportione remixti, ut nauſea ad ſummum, vomitus autem ſequatur nullus, doſes refractae, de quibus poſtea plura.

§. 87.

Circa emeticorum praeſcriptionem in ſpecie primo ſequentia ſunt notanda.

Si indicationes venaeſectionem exigentes ſimul apparent, haec vomitui ſemper praemittenda eſt *i*). Hernia laborantibus, pectus male conformatum concretumque habentibus, ideoque anxie reſpirantibus, in haemoptyſin, vomitum cruentum, apoplexias, haemorrhagias uterinas aliasque pronis, viſceris cujusdam inflammatione ſuppurationeque affectis, phtiſicis, gravidis talibusque, quos vomitus ex cauſa quacunque alia violenter concutit laeditque, emetica non ſine cautela maxima ſunt exhibenda. Tali in caſu ſatius eſt, niſi circumſtantiae urgeant maximopere, ut ventriculi cruditates corrigantur, diluantur, in inteſtina deducantur indeque per alvum eliminentur, aut vomitus ſaltem, quantum fieri poteſt, facilitandus ſucceſſiveque tantummodo eſt excitandus *k*). Verum enim vero dijudicatio hic ſaepe cir-

h) Brendel de ſeriori evacuant. uſu in acutis. Goett. 1754.

i) Unicum ſolummodo admonitionis cauſa exemplum allegat cel. auctor. Burſerius in cadavere hominis poſt emeticum ſumtum ſtupore correpti, atque intra XXIV horas apoplexia vehementiſſima peremti cerebri vaſa diſrupta invenit.

k) Remediis vomitum magnopere facilitantibus ſitus corporis com-

circumſtantiarum requiritur accuratior, anne ſcilicet contraindicationum harum una alterave non a cauſis producatur talibus, quas nihil in orbe terrarum univerſo citius tollit, quam emeticum. Auctor in pectoris morbis inflammatorio-bilioſis, venaeſectionibus praemiſſis, nullo ad ſputa cruenta perdurantia habito reſpectu, ob indicationes urgentes tam felici cum ſucceſſu emetica exhibuit, ut, colluvie bilioſa acri largiter evacuata, haemoptyſis illico ceſſaret, morbusque ipſe non ita diu poſt per ſputum coctum ſudoresque criticos egregie dijudicaretur. Illud idem de haemoptyſibus cunctis aliis quoque valet, vomitu cruento excepto, qui absque conditione omni emetica vetat leniſſima. Phtiſici haud raro absque moleſtia ſummo cum levamine vomunt, ſymptomataque ſaepiſſime urgentiſſima re nulla, quam emetico exhibito, tolli poſſunt, quod autem omnino non ſine providentia ſumma ſineque cognitione, quomodo aegroto tali vomitus in genere ſuccedat, eſt porrigendum. Phtiſeos quoque ipſius conditio tali in caſu conſiderationem meretur accuratam. Quatenus graviditas vomitoriorum exhibitionem interdicat, in capite praecedenti de febribus intermittentibus, expoſitum fuit. Quaenam ab emetico facilius difficiliusque moveantur, ſemper eſt attendendum.

Infantes utplurimum perquam facile vomunt. Hernioſis, quorum hernia reponi retinerique poteſt, neceſſitate urgente vomitoria ſine metu exhiberi poſſunt.

commodus inprimis eſt adnumerandus. Aegrotus, ſi poſſibile fuerit, ſedens vomat, et quidem ſic, ut crura, tantopere, quam fieri poterit, ab abdomine retrotrahuntur, pedesque ſint penduli. In lecto ſedentes difficilius vomunt, vomitusque etiam tunc ob herniae metum longe eſt periculoſior.

ſunt. — Alvus obſtructa ante emetici exhibitionem clyſmate eſt aperienda.

Pro vomitu efficiendo conveniunt ipecacuanha, tartarus emeticus etc. No. 7. 8. 9. 10. quorum mentio neceſſaria in capite de febribus intermittentibus jam facta fuit. Hoc unicum, emeſin ſatius per emetici doſes diviſas, quam per doſin integram vice unica ſumtam, inprimis ſi aegroti natura medico fuerit incognita, niſi enim effectus requiratur ſubitaneus, obtineri, cel. auctor repetens monet. Emetici doſis parva violenter, ejusdemque doſis magna leniter agere poteſt. Hoc interdum ventriculi ſordium copiae majori minorive, earumque mobilitati majori minorique tribuendum eſt, adeo, ut emetica fortiora per alvum ſolummodo ruant, ſi ventriculus purus eſt, inteſtina autem ſordibus ſunt referta purgantiaque leniſſima, ſi ventriculus cruditatibus, modo haud juſto tenacioribus, eſt obductus, vomitum creant. Similiter emetica cuncta fortia vomitum, lenia diarrhoeam excitant, leniora ſudorem, leniſſima urinam pellunt.

Praeterea notandum eſt, id quod alicubi jam monitum fuit, ſaporem linguamque plenarie aut maxima ſaltem ex parte puras eſſe, nauſeam, vomituritionem indiciaque reliqua emetica exigentia deficere, illaque ſumme nihilominus neceſſaria eſſe poſſe. Preſſionis, ponderis, pulſationis, fervoris in cordis ſcrobiculo ſenſus, qui a cibo potuque quocunque augetur, praecipue etiam praecordia tenſa, dura appetitusque defectus plenarius materiam peregrinam in ventriculo praeſentem ſemper produnt, cujus evacuatio ſerio eſt inſtituenda; quamvis et ſigna haec quandoque, ſaburra nihilominus in ventriculo et inteſtinis latente, deficiant, quod in capite praece-

 denti

denti jam monitum fuit, uberiusque in capite de febribus bilioſis repetetur *l*). Aliis interim in caſibus ab indiciis fallacibus vomitum indicantibus, a vomitu cruento inſtante, ab herniis incarceratis, a ventriculi hepatisque ventriculum prementis ſcirrho, a calculis, a doloribus colicis, ab uteri, pulmonum, cerebri hepatisque inflammatione, a materia miliari varioloſaque etc., aut ex conſenſu, aut ratione immediata aliaque originem trahentibus, caveatur, de quibus loco ſuo uberius dicetur. Conſuetudo per copiam aquae calidae ingentem ſolam ingurgitatam vomitum ciendi, ſummopere omnino eſt vituperanda.

§. 88.

Quando evacuationis per alvum indicia praeſto ſunt, ſimiliter quaeſtio oboritur, num ſordes mobiles ſint immobilesve. In caſu utroque ad illa, quae hac de re in capite de febribus intermittentibus dicta ſunt, provocat auctor. In genere autem laxantia draſtica in febribus continuis non conveniunt, quippe quae febrim augent naturaeque verſus cutim impulſum turbant ſupprimuntque, id quod purgantia leniora non faciunt. Quare ſub ſudoribus ſalutaribus laxantia ſunt vitanda. Neque illa vice una, ſed doſibus repetitis, exhibentur; quoniam illorum effectus in febribus continuis valde eſt incertus, et quia remedium laxans eo magis depurat, quo tardius agit.

Alvus

l) *Quesnay* ſuaſor eſt, ut in ancipiti hoc caſu clyſter applicetur. Excretio illum inſequens celerior tardiorve, facilior aut difficilior, excrementorum color, odor conditioque externa diriment, num ſaburra corrupta in viis primis praeſto ſit, nec ne. Clyſterem autem talia ingredi debent, quae excrementorum naturam nullatenus mutant.

Digitized by Google

Alvus ſolummodo pigra obſtructaque, praeter aperientia lenia remediis reliquis admixta, clyſterum emollientium et aperientium per totum morbi decurſum quotidie ſemel pluriesque repetendorum ope aperta ſervatur. Aeſtum praeterea, cephalalgiam, inquietudinem anxietatemque mitigant; verſusque noctem adplicati, quietem utplurimum promovent nocturnam. In infantibus ad illos ſaepiſſime primario eſt refugiendum. Parantur ex herba malvae cum floribus, floribus verbaſci, chamomillae, ſambuci, radice altheae, ſemine lini, foenugraeci, foeniculi etc. aut ex hordei avenaeque decorticatae mucilagine diluta, quae quoque cum herbis modo memoratis coqui poſſunt, quibus mel, oxymel, oleum ſalisque portio quaedam admiſcetur; aut hunc in finem, praecipue pro infantibus merum lactis ſerum cum tartari cremore, tamarindorum pulpa, aceto citrique ſucco parandum eligitur. Pro ſcopi, qui intenditur, diverſitate, ſalis alicujus medii, tartari emetici, ſaponis veneti etc. admixtione, plus minusve irritantes, reſolventes purgantesque, nitri drachma I — II magis refrigerantes, aut mere emollientes effici poſſunt. Si ſcopus eſt, quemadmodum in infantibus haud raro contingit, ut clyſteres medicamentorum vice fungantur, ideoque non tam ad alvum apertam ſervandam, quam ad ſanguinis refrigerationem aliosque in fines retineantur: portio earum ſolita dimidiatim eſt applicanda, inteſtinorumque canalis clyſmatis purgantis ope antea tunc eſt repurgandus, quem in finem autem veſicae nullae, ſed ſyringae ſunt adhibendae.

§. 89.

Pro laxantibus congrua ſunt ſalia media, inprimis ſal mirabile Glauberi, polychreſtum, ſedlicenſe,

 jalap-

Digitized by Google

jalappa rheumque cum nitro addito, manna, caſſia, tamarindi, tartari cremor, infuſum laxat. *Mannag.*, aqua laxat. Vienn., infuſ. Senn. lim. Ph. Ed., quae quoque ex parte inter ſe miſceri poſſunt. No. 22. 27. 28. 59. 60. 61. 62. 63. 65. Quando viarum primarum ſordes momentum, ad quod reſpiciendum eſt, conſtituunt primarium: mixtura No. 64. effectus quoscunque exſerit exoptatiſſimos, illaque unice nonnunquam et ſola morbum tollit plenarie. Quamdiu ſordes immobiles adhuc ſunt tenaciterque adhaerent, omni bihorio cochlear unum exhibetur, tali modo digeſtivi egregii inſtar agit, et ad ſummum nauſeam creat aliquam, ſucceſſive ad cochlearium duorum doſin adſcenditur, ubi jam, poſtquam ab initio, ob colluviem impuram in ventriculo praeſentem, vomitum fortaſſe aliquoties excitavit, ſummo eum levamine inteſtina purgat evacuatque. Infuſi laxativi *Mannag.* unciarum aliquot additione, tartari emetici doſin augendo, vel minuendo, mixturaeque totius praebiis majoribus minoribusve, ſcopo propoſito adaptari facile poteſt. Prae aliis omnibus egregie hic agit tartarus emeticus *m*), quippe qui, prae-

m) Tartari emetici effectus aequalis aut inaequalis magnopere ab ejus praeparatione, ac prout praeparatum antimoniale hoc illudve cum cremore tartari combinatur, dependet, quia momentum totum circa partis metallicae adverſus acidum tartari quantitatem reciprocam verſatur, quod ſcilicet cum illa ſaturari debet, ſi tartarum emeticum effectu ſemper aequali praeditum obtinere velimus. Juxta *Saunderi* igitur obſervationes antimonii vitrum hunc in finem melius eſt, quam illius crocus, quia prius longe eſt ſolubilius. Vide *Saunderi* obſſ. de antimonio ejusque in morbis uſu, Lond. 1773. p. 76 ſqq. *Crell* chem. Journal 2 Th. vid. quoque *J. G. A. Hoepfner* Abh. über die Bereitung des Brechweinſteins, mit einer Vorrede von J. C. Wiegleb. Weimar 1782. Juxta experimenta illorum adcurate inſtituta, tartarus emeticus efficaciſſimus

praeter vim ſuam praeclaram emollientem, reſolventem aperientemque, ubicunque colluviem nullam in viis primis invenit, refractisque exhibitus doſibus, ſudorem et urinam efficacia ſingulari promovet, indeque ad criſin felicem per vias cunctas naturae manus offert ſumme auxiliatrices.

Caeteroquin in remediorum laxantium illorumque additamenti electione ſemper ad ſordium indolem eſt reſpiciendum. Sordes bilioſae putridaeque acida praecipue deſiderant, pituitoſae potentius operantia irritantiaque etc. requirunt.

§. 90.

Ad caloris febrisque moderationem, ſive enim illa poſt viarum primarum purgationem tamen pergat, ſive indicationes laxantia requirentes praeſto ſint nullae, ſive tempore eodem febris aeſtusque exacerbentur, praeter potum copioſum reficientem refrigerantemque, diaetam vegetabilem, regimen frigidiuſculum circumſtantiarumque quarumlibet aegrotantis corpori animaeque moleſtarum remotionem acida vegetabilia et mineralia, oxymel, nitrum, pul-

 vis

mus partibusque antimonialibus plurimis impraegnatus ex vitro antimonii obtinetur. Idem, in cryſtallos formatus, longe frequentius effectus incertos edere perhibetur, quam ſi lixivium decantatum filtratumque coquendo tamdiu inſpiſſatur, ut totum mutetur in pulverem ſiccum. Recipitur vitri antimonii pars una, cryſtallorum tartari partes duae, atque ad hujus ſingulam unciam dimidiam aquae unciae ſex coquuntur horas circiter X, per intervalla aquam novam affundendo. Quo tartarus emeticus eſt ſolubilior, eo plures partes regulinas continet. — Si vomitum nullum per tartarum emeticum ciere velimus: Scopo huic pulvis reſpondet optime, qui oculis cancrorum, ſacharo ſimilibusque admiſceri poteſt. Videantur, quae ſupra in capite de febribus intermittentibus circa hanc rem jam monita ſunt.

vis refrigerans ſuecus, ſal ammoniacum, ſal abſynthii citratum (ex herbarum *n*) ſale citri ſucco ſaturato praeparatur), ſalia media reliqua, ſal Seignette, Glauberi etc. proſunt, quae poſteriora cuncta ſimiliter proprietate refrigerante, non tamen cum frigore illo, quod, ſicuti nitrum, ſub ſolutionis in aqua actu, producunt, quodque ſolutione peracta evaneſcit, confundenda, gaudent.

Ad acida vegetabilia pertinent: tartari cremor, tartari ſal eſſentiale acidum, aurantiorum citrique ſuccus, atque vini acetum *o*); interque acida mineralia palmam omnibus aliis praeripit vitrioli ſpiritus. Priora aeque, ac haec vel per ſe — rarius tamen — aut ſub formis mixtionibusque variis, quarum formulae poſt-

n) Non facile effugiet quemquam, pharmacopoeos, pro praeparando ſale ſic dicto abſynthii, cardui benedicti etc., non modo herbas haſce, ſed plures alias obſoletasque adhibere collectas.

o) Acida haec jam dudum artificiis diverſis phlegmate ſuo privabantur, atque concentratiſſima reddebantur. Succus citri concentratus, quem cel. *Georgii* invenit, atque (im 35. B. der Schwed. Abh.) (v. *Tode* med. chir. Bibl. III. B. 3. St. p. 102.) deſcripſit, viribus pollet octies majoribus, quam communis, ideoque, ubicunque paucis multa efficere volumus, egregii eſt uſus. Longe quoque communi durabilior eſt, ſi bene conſervatur. Acetum *Weſtendorſii* concentratum (*Diſſ. inaug. de opt. meth. acet. concentr. par. Goett.*), cuius vires egregiae jam dudum cognitae ſunt, nulla eget commendatione. Datur a guttis XII — XX cum S. q. aquae dilutum. *Thedenius* acetum ſiccum ex cremore tartari cum vini aceto madefacto leniter evaporato praeparat; aceti vini adfuſio illiusque evaporatio tamdiu repetuntur, donec tartari cremor aciditate forti eſt imbutus illiusque drachma una aquae unciam unam tam acidam, quam vini acetum, reddit. Vide Unterricht für die Unterwundärzte pag. 294. Compoſitio haec ſcopis inſervire poteſt diverſis. — *Acetum* autem hoc *ſiccum* partim cremore tartari communi inſolubilius, partim autem eo longe eſt ingratius, ideoque aceto vini communi inferius manet. *K.*

poſthaec occurrent, exhibentur. Tincturae cum vitrioli ſpiritu paratae; *florum papaveris*, *roſarum*, *violarum*, *bellidis*, vitrioli ſpiritus exhibendi vehiculum largiuntur non repudiandum; atque cum aqua deſtillata ſyrupoque grato mixtae julapium conſtituunt gratiſſimum pro infantibus praecipue congruum, quibus etiam, ſi juniores fuerint, tincturae ejusmodi guttatim ad guttas XX — XXIV — XL ſyrupo remixtae exhiberi poſſunt. Vitrioli ſpiritus purus praeterea ſemper praeferri meretur, quoniam illius effectus ſecurior eſt et efficacior, illiusque doſis praebenda determinari accuratius poteſt. *Dippelii* elixir acidum *p*) vix amplius in uſum vocatur, quamvis croci quantitas parva, coloris gratia illi addita, calorem vix unquam augebit. Temporibus noſtris longe frequentius *Halleri q*) elixir acidum ex ſpiritus vini — vitriolique partibus conſtans aequalibus, adhibetur, medicamentum utpote egregie refrigerans, ſanguinem ſiſtens, antiſpaſmodicum, antiſepticum, quin roborans et analepticum, quod ad guttas octo — duodecim — quindecim omni hora, vel bihorio intervalliſque longioribus ex patella, aquae copia majori minorive, repleta exhibetur. Praeter praerogativas alias, quibus multis in caſibus prae vitrioli ſpiritu pollet, et hanc habet, quod aegroto non tam facile taedium creet, quam vitrioli ſpiritus; a ventriculo perfertur melius, neque etiam, ſicut ille quandoque, obſtructiones cauſatur.

p) Ab hoc *aqua rabeliana* vulgo *Eau de Rabel* pharm. paril. pag. 16. tantummodo ob ſpiritus vitrioli quantitatem reciprocam ad ſpiritum vini rectificatiſſimum — differt.

q) Vid. cel. Zimmermann. im Hannövr. Magaz. 1772. No. 96. 1773. No. 20. Vid. quoque ej. philoſoph. Arzt, 3. St. p. 255. Weikard's vermiſchte med. Schr. 1. St. p. 230.

Aſt quaenam acida, vegetabilia, aut mineralia, in caſibus diverſis adhibeantur, non indifferens eſt *r*). Si ventriculus et inteſtina ſordibus pituitoſis, tenacibus adhuc, obducta ſunt, priora melius agere ſolent, quam haec, quoniam acida mineralia pituitam figunt, juſto diutius commorantur, anxietatesque facile augent majorique ingeruntur cum nauſea; quum e contrario illa ipſa, viis primis plenarie depuratis, ad ſitim ſedandam, putredinem avertendam refrigerandumque, nec non in haemorrhagiis longe ſint utiliora, efficacius penetrant quietemque inducunt majorem, inprimis, quum fermentatione nulla, aut modo quovis alio in viis primis mutentur. Temporis tractu acida quaecunque, praecipue vegetabilia, ventriculum debilitant interdumque ab illis copia magna ingeſtis ſingultus oritur moleſtus, per potus mucilaginoſos mox tamen iterum ſopiendus. In febribus nervoſis, et ubicunque in genere vitae vires ſunt ſuppreſſae imminutaeque, acida mineralia manifeſte nociva ſunt, atque ad ſummum acida ſolummodo vegetabilia ſola in uſum trahenda.

Infantibus, nec non, quibus ubera adhuc praebentur, vitrioli ſpiritus, aeque, ac acida vegetabilia, tuto et absque metu dari poſſunt, quoniam lac maternum ſanum ab acidis hisce non coagulatur, cujus experimenta propria repetita auctorem noſtrum convicerunt. Conveniunt cum his quoque experimenta, quae cum lacte foeminino *Bergius* inſtituit, atque (in den Schwed. Abh. B. 34. 1772. vid. Murray med. pr. Bibl. 1. B. 2. St. p. 226.) deſcripſit, ſimiliter *Volteleu* (obſ. chem. med. de lacte huma-

r) Acidorum horum differentia magna inter alia inde quoque apparet, quod acida vegetabilia terras calcarias facile libenterque diſſolvant, vitrioli ſpiritus, e contrario, non.

humano etc. Traj. Bat. 1775.), nec non Doorſchedt (Crell's neuen Entd. in der Chemie, I. Th. p. 57 ſeq.). Nitrum corrigit egregie ſanguinis diatheſin phlogiſticam, illiusque motum auctum caloremque febrilem eo certius potentiusque minuit, ſi doſis ejus quaelibet vicibus ſingulis in aqua, lactis ſero, aut emulſione etc. recenter ſolvitur illicoque ſolutione peracta ſumitur *s*). Plerumque uncia una, vel una et dimidia, nychthemeri ſpatio cum potu largo adſumta, effectus edunt optatiſſimos. Doſis minor inefficax eſt. Nitrum inprimis proficuum eſt, ſi alvus ſimul aperiri debet, quum e contrario in diarrhoeis, de quarum ſalubritate nihil expectari poteſt, per ſe minus ſit congruum. Sal ammoniacum potius hic quaecunque exoptabilia praeſtat, cui tamen hoc in caſu ſub aeſtu magno nitri doſes minores utiliter apteque addi poſſunt. Neque minus hoc adverſi nitrum habet, ut ſub uſu continuato ventriculum facile debilitet moleſtiasque in illo cauſetur doloroſas, quod exadverſo ſal ammoniacum non facit, id quod igitur in morbi faſtigio plerumque, ſicut hoc ab illius initio, optime prodeſt. Si bilis putrida et acris in ventriculo et inteſtinis praeſto eſt, nitrum nullatenus proficuum eſt, atque hic acidis nihil palmam praeripere poteſt et debet. Nonnun-

s) Experimenta a cel. Brocklesby cum nitro ad naturam ejus refrigerantem inveſtigandam inſtituta non facile effugient quemquam, ex quibus nempe apparet, nitrum aquam fervidam usque ad gradus certos illico refrigerare, qui effectus refrigerans autem tranſitorius durationisque brevis eſt etc. Vid. ej. ökonom. u. med. Beob. p. 80 ſeq. Si quoque exinde effectus nitri in corpore humano non plenarie certus fieret, ejusque effectus refrigerans in illo ex rationibus adhuc aliis declarari poſſet: illum tamen, vice qualibet recenter ſolutum, efficaciorem eſſe, experientia docuit.

quam remedia ſic dicta abſorbentia terrea, ubicunque nitri uſui alias nihil repugnat, ratioque adeſt, doſibus illud largioribus praebendi, effectum hunc bonum habent, ut in illorum connubio melius longe perferatur, atque per illa proprietas ejus laxans, ut et irritamentum, quod in ſubjectis irritabilibus ſalia reliqua cauſari ſolent, praecavetur, quem in finem gummi arabicum illis quoque admiſcetur. Nitrum datur vel in mixturis, ſimul cum remediis aliis remixtum, aut in emulſionibus gratis, quae pariter vim ſuam laxantem, ſi haec ſcopo contraria foret, aliquatenus minuunt, emulſiones etenim omnes, copioſe inprimis ſumtae, alvum facile obſtruunt, illaque igitur tarde procedente, minus, in diarrhoeis autem ſymptomaticis eo melius conveniunt.

Sal eſſentiale tartari t) inter remedia refrigerantia praeſtantiſſima pertinet. Omnes nitri dotes refrigerantes, absque illius ſapore nauſeoſo effectuque ventriculum debilitante, habet, ac, ubicunque acida vegetabilia concentrata requiruntur, prodeſt. Datur doſi granorum V ad VI cum ſacharo tritum, aut in ſolutione quadam; aut gratus adeo pulvis refrigerans ph. Suec. exhibetur, qui ex ſale hoc cum ſachari quantitate quadam oleoque citri pauco componitur, atque ad cochlearia quaedam minora (Theelöffel) in aqua frigida ſaepius praebetur.

Remediorum horum omnium formulae diverſae habentur in nris 66 usque 78. Similiter *Riverii* potio nro 79. vim habet egregie refrigerantem, antiſepticam, aperientem excretionesque leniter per cutim

t) Inventum eſt pharmacopoei Sueci *Scheele* (Hannövr. Magaz. 7. St. 1780. pag. 110.). Atque ſub nomine *acidi tartari cryſtalliſati* in pharm. ruſſ. quoque receptum, atque in officinas pharm. Danicas aliasque multas introductum eſt.

tim et urinam promoventem. Quando ad potionis hujus vim antiſepticam vomitumque ſedantem etc. praecipue reſpicitur, ſal alcali cum citri ſucco vicibus ſingulis, quantum utriusque pro doſi una requiritur, miſcetur atque in efferveſcentiae actu hauritur, ſicuti No. 37. Qua de re infra plura. Facile perſpici, putat cel. *Vogelius*, ſe formulis hisce tyronibus ſpecimina quaedam tantummodo dare voluiſſe, atque formulas hasce pro circumſtantiis indiciisque ſupra expoſitis ratione diverſa mutari, doſesque augeri et minui poſſe.

Auctor libentiſſime remediis quibuscunque laxantibus, aeque ac refrigerantibus, tartari emetici granum unum alterumve, ea adhibita cautela, ne vomitus inde excitetur, addit, indeque effectus quotidie experitur optimos. Sordium in viis primis coacervationem impedit, alvum perpetuo ſervat apertum, naturaeque, in viis omnibus, quas ad morbi ſolutionem ingreditur, opem fert.

§. 91.

Maximi in febribus continuis omnibus eſt momenti, ut ultra ſitim multum bibat aegrotus, in quo curationis dimidium conſiſtit. In genere ſaepius, ſed vice qualibet parum eſt bibendum, ne ventriculus oppleatur et moleſte adficiatur, potulentisque in ſanguinem ſucceſſive tranſeundi tempus ſuperſit. Potus diluens, leniens, reficiens, refrigerans ſitimque ſedans ſit, oportet. Neutiquam igitur decoctum avenaceum perpetuum, ſitim non levans, aegrotis plurimis faſtidioſum ventriculumque moleſte afficiens, praeſcribatur, niſi enim tenuiſſime praeparatum, largoque citri ſucco et ſacharo, pro aegrotantis lubitu, ſit remixtum. Paucum enim illud mucilaginoſum tamen tranſitum humorum celerem per ſan-

Digitized by Google

ſanguinis maſſam impedit, quod idcirco ſcopo ſuo jam eo ſatisfacit melius; quem in finem quoque, absque reſpectu ad ſaporem ſingulari, hordei unciae binae cum tartari cremoris uncia una in aquae libris quinque ad hordei crepaturam decoctae, et poſt colaturam cum citri ſucco ſacharoque mixtae, pro potu exhibentur quotidiano. In genere autem longe abeſt, ut potulenta haec aegrotorum omnium votis implendis ſufficiant, ſed, eorum plura in promptu ſint, oportet, quoniam uni hoc alterique aliud placet, eidemque aegroto potus, qui hodie ipſi gratiſſimus erat, cras taedium cauſatur et nauſeam. Plurimis potus eſt gratiſſimus, ſi vini acetum, aut citri ſuccus cum rubi idaei, ceraſorum, berberum, ribium aut papaveris ſyrupo tali proportione, quae aegroto ſaporem conciliat gratiſſimum, aquae admiſcetur. Similiter ſcopo huic limonada quaecunque inſervit, quae ex mero acetoſitatis citri ſyrupo et aqua, aut ex citri ſucco ſacharoque aquae pro lubitu admixtis componi poteſt. Porro cum aquae menſuris duabus uncia una hordei puri ad crepaturam coqui decoctoque colato mellis puri patella integra vel dimidia, aut aceti rubi idaei tantumdem, atque nitri depurati drachmae I — II, aut hujus loco ſpiritus nitri dulcis portio eadem addi poſſunt. In genere hordei decoctum aquae loco ad potus quoslibet, niſi faſtidium aegroto cauſetur et tormina, adhiberi, illique tunc vini acetum cum melle, aut citri ſuccus, vitrioli ſpiritus, Halleri elixir acidum, melle, aut ſyrupo grato remixtum pro lubitu admiſceri poſſunt. Scopo eidem, hordeum perlatum, oryza, ſagu etc. aquae ferventi infuſa inſerviunt. Potus iſti omnes domi praeparantur, aut divitibus quoque ptiſanae variae ex officina pharmaceutica praeſcribi poſſunt, v. g. No. 80. Porro huc pertinet Sydenhami decoctum

coctum album juxta perill. *Baldingeri* correctionem *u*) ex cc raſpati (non uſti) gummi arabici et panis albi partibus aequalibus in aquae menſuris aliquot decoctis, quibus ſyrupus acidus addi poteſt; porro c. c. aut gummi arabici decoctum ſcorzonerae radicibus, ſimileque decoctum ceraſorum acidorum, radicis altheae, graminis, hordei decorticati, in quo gummi arabicum fuit ſolutum, pro lubitu cum berberum, ribium, altheae acetoſitatisque citri ſyrupo etc. edulcoratum, ſerum lactis, panatellae, aquae Selteranae, Wildungenſes etc. attentionem merentur. Si tartari cremoris drachmis aliquot in aquae menſura una coctis et poſt refrigerationem colatis tincturae papaveris erratici uncia dimidia ſyrupique ceraſorum unciae quaedam adduntur, ptiſana evadit gratiſſima, ſapida reficiensque. Mixturae ex ſpiritus vitrioli drachma una, cum ſyrupi rubi idaei octuplo et aquae menſura una ſupra jam mentio facta fuit. Locum adhuc primarium hic meretur oxymel, quo veteres noſtri tam copioſe utebantur, cujusque ope unice fere, et absque remedio alio ullo, febricitantibus ſuis medebatur cel. olim Goettingenſium profeſſor *Brendel.* Aegrotis praecipue pauperibus illud convenit. Auctor noſter hoc in caſu plerumque aquae coctae menſurae I mellis puri patellam plenam atque aceti vini tantundem, aut partem dimidiam addit, quae quantitas reciproca caeteroquin etiam aegrotantis ſapori accommodari poteſt. Oxymel illud pariter ſyruporum loco ptiſanis decoctisque ſupra recenſitis apte quoque admiſcetur. Aceti loco ſpiritus quoque vitrioli *Halleri*que elixir acidum melli admixta proſunt, ſi aquae menſurae uni mellisque patellae uni acidorum illorum, drachma una, vel duae inſtillantur. Interim aegrotos nonnullos, ſexus

u) Pharm. Edinb. addit. auct. *E. G. Baldinger.* p. 267.

xus inprimis ſequioris, oxymel, aeque ac mel, in genere perferre non poſſe, notari meretur *x*). Similiter aegrotis taedium facile creat et nauſeam. Acetum ſolum, aut cum ſacharo aquae admixtum (veterum poſca) cerevifiaque ſecundaria tenuis, rite fermentata, potum quoque conſtituunt pauperibus inprimis congruum.

Potulentorum autem horum genera omnia neque in caſu quolibet, neque aegrotis omnibus conveniunt. Quaedam refrigerant ſolummodo, attenuant ſanguinem magisque verſus cutim et urinam determinantur; huc omnia, ex aqua mera, hordei decoctis etc. cum acidis, ſyrupis acidulis admixtis, compoſita ſunt referenda. Quaedam acrimoniam quamcunque efficaciter involvunt, alvum juſto laxiorem conſtipant moderanturque; talia ſunt radicis altheae, ſagu, oryzae, panis biscocti, gummi arabici, cc. etc. decocta mucilaginoſa. Alia alvum aperiunt, qualia ſunt ptiſanae, quibus tartari cremor nitrumque adduntur. Quaedam pretio conſtant magno, quaedam ſunt viliora.

§. 92.

In morbi fine, ſi vires valdopere ſunt exhauſtae, vini rhenani, aut moſellani hauſtus modicus

x) In memoriam ſibi revocat ex pluribus jam annis mulierem cel. auctor, cui, peripneumonia laboranti, mixturam ex nitro, ſale ammoniaco et oxymelle praeſcripſerat. Anxietate vicibus ſingulis corripiebatur terribili, quoties iſtam ſumſerat, effectum parem potulenta, quibus oxymel admixtum erat, exſerebant. Anceps diu haeſit Vogelius, unde effectus hic, continuo ſeverior evadens, derivandus eſſet, donec tandem, illum ab oxymelle produci, animadvertebat. Simulac hoc omittebatur, illico omnia ſuccedebant melius, aegraque reſtituebatur. Tantopere igitur cavendum eſt, ne quid tribuatur morbo, cujus cauſa rebus longe aliis eſt adſcribenda.

Digitized by Google

cus per intervalla potatus uſum habet praeſtantiſſimum, quippe quod viribus vitam impertitur novam, ſimulque excretiones per cutim et urinam potentiſſime adminiculatur, quorſum roborantia quoque reliqua pertinent, quorum in ſequentibus mentio fiet.

Simulac nunc excretiones criticas natura molitur, ut iſtae nullatenus turbentur, cavendum eſt. Variis ſub circumſtantiis nihil criſin magis facilitat, quam opium, quia quietem inducit, impedimentaque diverſa, ſub quibus criſis abſolvi nequit, removet. Mindereri ſpiritus ſub hac rerum conditione opio utiliſſime additur, quum, juxta obſervationes plurimas, in ſalis ejusmodi medii connubio, effectus malos, ipſi caeteroquin proprios, non exſerit. Quandoque nitrum quoque opio additum egregie agit. Turbantur excretiones criticae per potus ſufficientis defectum; per excretiones improvidas ex viis aliis, quas natura non ingreditur, v. g. per purgantia clyſmataque ſub ſudoribus adhibita; per medicamenta, cibos potusque calefacientes; per cubiculorum calefactionem nimiam; per refrigeria, per ſurrectionem e lecto juſto maturiorem; per potum frigidum; per virium jacturam nimiam (quare vini hauſtus, nec non cortex peruvianus poſt impedimentorum remotionem criſes per ſudorem et urinam tam egregie promovent); porro per ventriculi oppletionem; per animi pathemata etc. Natura, in veram mortalium ſalutem, ſi vires quadamtenus bonae ſunt, neque error nimis magnus fuerit commiſſus, non tam facile in opere ſuo turbatur.

Quando igitur ſub remediorum hucusque commemoratorum uſu tempore illo, quo criſes expectantur, excretiones per ſudorem et urinam febrim manifeſte imminuentes, morbumque cum ſympto-

mati-

Digitized by Google

matibus cunctis leniorem reddentes ſequuntur, atque ſine difficultate ſuccedunt: naturae ſoli operatio committatur omnis, cunctaque in actionibus ſuis eam impedientia removeantur. Regimen tranquillum debitum in lecto, potatio diligens, modo non frigida, ſudoris ſub integumentis curatio plenaria, interdum florum ſambuci herbaeque meliſſae infuſi theaeformis tepide calidi, vel juſculi tenuis non pinguis patella etc., cum quibus medicamenta reliqua hucusque adhibita, ſed doſi parciori, continuantur, agendorum conſiliorumque cunctorum ſummam conſtituunt, illorumque ope natura ſufficienter ad opus totum abſolvendum ſuffulcitur. Remedia calefacientia quaecunque abſolute nociva ſunt, neque minus ſudoris cujuscunque apparentis pellendi promovendique methodus communis rejici meretur.

Si ſudor exadverſo juſto perduret diutius, ſi allevamentum rurſus evaneſcit, aut nullum inſequitur, atque aegrotus ſimul ſucceſſive debilior evadit: tunc omnia in ſequentibus circa ſymptomatum medelam proponenda fieri debent.

Si natura juxta ſigna in praecedentibus expoſita materiam morbificam per vomitum aut diarrhoeam expellere intendit; prior, qui tamen criſis rarior eſt, ſive, ſi vomitus ſpontaneus jam ſequitur, florum chamomillae infuſo calido, vel potu quocunque aquoſo alio calido, cui ſalis communis aut mellis copia parva utiliter admiſcetur, allevandus eſt et promovendus, ſive, ſi vomitus ſpontaneus ſub quocunque ad illum conamine, ob virium defectum, cauſasque propter alias, non ſtatim ſequeretur, emetici lenioris doſibus partitis exhibiti ope ipſo momento eſt excitandus, quocunque etiam morbi tempore fuerit. Huic ſcopo nihil melius inſervit, quam tarta-

tartarus emeticus in aqua multa ſolutus. Quando autem vomitus levamen adfert nullum, illoque ſub ſymptomatibus malis aliis materia putrida foetens, nigra rejicitur, auxilium ſupereſt nullum.

Frequentius longe criſeos vice diarrhoea fungitur, quae idcirco, ſimulac levamen adfert minimum, nunquam turbanda, ſed potuum medicamentorumque congruorum ope provide conſervanda, leniterque eſt promovenda. Si exorbitat jacturamque virium manifeſtam cauſatur, ſi abdomen intumeſcit, ſi cuncta, ab aegroto ingeſta, immutata ſubito per alvum manant, ſi excretiones alvinae foetorem habent intolerabilem magnisque excernuntur cum moleſtiis: diarrhoeae periculoſiſſimae inſtar tractatur, cujus in ſequentibus mentio fiet.

Aeque minus haemorrhagia criſeos tempore erumpens unquam, utut profuſa fuerit, quamdiu aegrotus illam perfert indeque levatur, turbanda eſt. Incredibile eſt, quanta ſanguinis copia hac ratione in emolumentum aegrotantis ſummum effluere poſſit paulatim, quamvis quandoque ſanguinis guttae paucae, v. g. ex naribus ſtillantes, maximum ſaepenumero adferant levamen. Antequam pulſus viresque notabiliter haud labefactari, manus pedesque frigore corripi, lipothymiae accedere ſymptomataque periculoſa alia oriri incipiant, neque ſanguis indolem ſolutam, putridam acremque prodat, ad ſanguinem ſiſtendum nihil, nec in genere quidquam, eſt moliendum, niſi ut ſub regimine temperato omnia, quae circuli ſanguinei exagitationes jam praeſentes, indeque haemorrhagiam ipſam ultra naturae intentionem minimo modo augere poſſunt, removeantur. E contrario res haud raro ita ſe habet, ut

Digitized by Google

vel in vaſorum excernentium rigiditate quadam, vel in ſanguinis diatheſi nimis ſpiſſa, aut in contractionibus ſpaſmodicis cauſae lateant, quae progreſſum haemorrhagiae ejusmodi exoptatae liberum impediunt talique modo ſymptomata diverſa, vertiginem, pulſationem, ſtuporem, inquietudinem, anxietates, pruritum etc. creant. Tali in caſu ſanguinis per nares erupturi profluvium fomentorum emollientium calidorum vaporumque talium in nares attractorum ope promoveri, parique modo haemorrhoidum apparentium fluxus per balnea vaporaria, clyſteres emollientes, pediluvia, fomenta calida ano adplicata, quin per hirudines excitari debet. Neceſſitate urgente, viribusque id permittentibus excretiones iſtae, a natura juxta ſigna omnia intentae, venaeſectionibus providis ſunt compenſandae.

Sputa levantia, ſed difficulter ſuccedentia, unde anxietates, tuſſis moleſta, ſcapularum nuchaeque dolores, diſpnoea, ardoris in pectore ſenſus etc. oriuntur, potibus calidis emollientibus cum oxymelle herbarumque pectoralium infuſis theaeformibus, inprimis aceti vapore in pulmones attracto, oxymelle ſquillitico, kermete minerali, antimonii ſulphure aurato tertiae praecipitationis ſunt promovenda. Similiter hic ſaepe venaeſectio adhuc neceſſaria eſt, quod in capite de pectoris morbis uberius explicabitur. Quandoque indicia criſin talem indicantia evaneſcunt ſubito, naturaque viam eligit aliam, utplurimum per diarrhoeam etc.

Si tumores alicubi in corporis parte externa circa criſeos tempus apparent: hi, quo citius, eo melius, ſi materiam jam praeparatam continent, et ad attactum molles ſunt fluctuantesque, aperiri; ſi autem adhuc duri ſunt, medicamentorum emollientium leniter-

Digitized by Google

niterque irritantium ope antea ad maturationem perduci debent, cui ſcopo puls ex panis mica, lacte cepiſque aſſatis conſciſſis compoſita, emplaſtrum diachylon cum gummatibus, emplaſtrum oxycroceum, emplaſtrum meliloti cum ſexta, aut octava emplaſtri veſicatorii parte remixtum conveniunt. Tumores ejusmodi interdum ſuppurationem excitant adeo profuſam continuantemque, ut corpus macie conſumi rationeque diverſa alia pati incipiat; tali in caſu momentum praecipuum eſt, ut ſuppuratio per eſſentiam myrrhae, ſuccini, deligationem ſiccam, faſciationes etc. minuatur juſtosque coerceatur intra cancellos, atque humores interea remediis internis corrigantur parteſque ſolidae roborentur.

In caſibus diverſis ancipitibus tumores ejusmodi critici in detrimentum aegroti magnum facile iterum evaneſcunt, niſi excretio ſequatur alia. Hinc, ſimulac apparent, omni opera per medicamenta irritantia extrorſum ſervanda, matureque, quamprimum puris in illorum profunditate latentis ſuſpicio adeſt, ſunt aperienda. Alio loco hac de re prolixius agetur.

Si exanthemata alia, petechiae, puſtulae miliares urticataeque criſeos tempore apparent, aegrotusque inde levatur manifeſte; nihil contra illas moliendum, ſed tranquillo remediorum hucusque commemoratorum uſui eſt inſiſtendum, niſi enim natura aperte juſto debilior foret, quam ut exanthemata haec in cutim derivare poſſit, indeque anxietates, inquietudines, artuum dolores ſymptomataque oriantur alia, quo in caſu, praeter regimen calidum herbarumque meliſſae, rutae, ſcordii, florum ſambuci etc. infuſa calida, praecipue camphora egregie agit, quae optime in emulſionis, aut cum doſi liquoris anodyni mineralis larga in julapii forma praeſcribitur.

 Simi-

Similiter hic vinum purum bonumque cochleatim hauſtum maximae eſt utilitatis; his omnibus autem efficacius adhuc balneum calidum. Quantam in criſibus tempore juſto promovendis utilitatem balnea praeſtent calida, inter alia confirmatum legitur in *Selle* neuen Beiträgen 3. Th. pag. 86 ſeq. Verum enim vero, ne remedia haec calefacientia tempore adhibeantur intempeſtivo, cavendum, ſtatimque ab illis eſt abſtinendum, ſimulac exanthemata jam cum levamine magno, vel copia majori, vel minori, quod perinde eſt, eruperunt, pulſus elatior fuerit factus calorque praeternaturalis per corpus totum diffundi denuo incipiat. Remediorum horum uſus continuatus febrim excitaret novam, quantumque calamitatis inde paratur, incredibile eſt, ſi caſus, quibus conveniunt, non adcuratiſſimo diſtinguuntur modo, quod tempore alio uberius exponetur. Reliqua igitur naturae committantur, illaque remediis leniſſimis, prouti indiguerit, adjuvetur. Quomodo caeteroquin exanthemata haec, ſi ex errore quodam retropulſa ſunt taliterque in periculum praecipitant ſummum, ad cutis peripheriam denuo ſint deducenda, accuratius, quando de ſymptomatum particularium curatione ſermo erit, docebitur.

§. 93.

Diaeta *y*) in febribus continuis concoctu facilis, temperans, aperiens, antiſeptica, vegetabilis ſit,

y) *Falconer* on ſome of the articles of diet and regimen uſually recommended to valetudinar. Lond. 1778. vid. Gött. gel. Anzeig. no. 135. 1778. Res multas ſcitu dignas huc pertinentes continet. Praeterea non incognita ſunt ſcripta diaetetica cel. *Zückert:* Med. Tiſchbuch, 2. Aufl. 1775. 8. Allg. Abhandl. von den Nahrungsmitteln, Fortſetz. von den Speiſen aus dem Thierreich und aus dem Pflanzenreich, Berl. 1775. 1777.

Digitized by Google

ſit, oportet. Huc pertinent primario fructus horaei recentes, ſi haberi poſſunt, qui per morbum totum ratione diverſa ſalutares ſunt: v. g. rubi idaei, ribeſia, ceraſa, fraga, mora, uvae. Fructuum horaeorum interim genera illa praecipue ſunt eligenda, quae flatus creant pauciſſimos, quae proprietas illis ex parte per coctionem privatur, igitur quoque poma, pira, pruna etc. elixa coctaque conveniunt. Uvae immoderatius quadamtenus ingeſtae flatus omnium plurimos multis excitant, ideoque illas non omnibus aegrotis ſuis iisque portionem ſolummodo parvam concedit cel. auctor, eo libentius autem fraga matura, rubos idaeos ribeſiaque, quantamcunque illorum copiam deſiderent, edenda illis permittit. Citri taleoli cortice exuti ſacharoque conſperſi aegrotantis ori interdum immiſſi valdopere reficiunt, refrigerant ſitimque illius ſedant.

Pro cibis inſerviunt porro: ceraſorum, prunorum, prunellarum, lactis ebutyrati, panis panisque biſcocti, malorum borſtorſianorum, perſicorum, cynosbatorum, ſagou, oryzae, milii, hordei decorticati juſcula, piſa recentia, ſcorzonerae radices, daucus, carota recens, ſpinachia, acetoſa, aſparagus, endivia, lactuca, poma cocta etc. in aqua cum aliqua butyri portione decocta; pulpa prunorum cum citri ſucco ſacharoque remixta, panique biſcocto illinita, cibus eſt febricitantibus gratiſſimus utiliſſimusque. Piſces plurimi quoque in aqua dulci commorantes, nec non haleces recentes ſunt concedendi. His omnibus pro aegrotantis lubitu ſufficienter alternari poteſt.

 Fer-

1777. 1778. 8. *Cheyne* regles ſur la ſanté — traduit de l'angl. 1727. Makenzie Geſch, der Geſundh. — Aus dem Engliſch. Alt. 1761

Fercula exadverſo juſculaque carnis omnia nocent, niſi conſuetudo morbique duratio et remiſſio horum quidquam permittant requirantque, tunc autem tenuia, nec pinguia ſint, citrique ſucci, aut aceti quantitate larga commiſceantur, neceſſe eſt. Juſcula carnis tenuia caeteroquin etiam, quibus herbae culinares incoquuntur, ſponte, ſine acidi cujusdam additione, aceſcunt *z*). In genere autem febricitantes cibos carnoſos omnes faſtidiunt. Porro nocent omnia flatulenta, obſtruentia, calefacientia, nimis nutrientia, fermentantia, concoctu difficilia, in putredinem proclivia pinguiaque ciborum genera; per conſequens nociva ſunt legumina cuncta; ova, lac, aromata, frixa, caſeus, panes ſacharati, ſacharo condita, piſces marini, lampretae, anguillae, cancri, caffeae chocolataeque potus etc.

Aegroti cubiculum neque calidum, neque frigidum, ſed aegrotantis ſenſationi *a*) adaequatiſſimum; integumenta neque pondere ſuo, neque calefaciendo moleſta eſſe debent: aër, feneſtrae vel januae apertura, alioque modo, aſſidue, ea adhibita cautela, ne ventorum tractus aegrotum laedat, renovandus eſt et depurandus; linteamina caute mutari, lectus renovari, excrementa omnia illico exportari cunctaque ſenſuum aegroti internorum et externorum quietem turbantia removeri debent. Praecepta haec ſub febrium ſingularium deſcriptione accuratius deſignabuntur. Regula quoque nuper a Tiſſoto tradita ſaluberrima eſt, ut, circumſtantiis caetero-

z) Ao. 1779 libellus ob juſculorum carnoſorum abuſum notis gallis gravis neceſſariusque prodiit: Diſſ. contre l'uſage des bouillons de Viande dans les maladies febril. par Mr. *Paul-Charles de Laudun.* Par. 8.

a) Proportio caloris legitima plerumque inter thermometri Fahrenhutiani gradum ſexageſimum et ſexageſimum primum erit.

Digitized by Google

teroquin paribus, aegrotus quotidie per temporis ſpatium quoddam extra lectum commoretur, unde inprimis urinae fluxus promovetur, aegrotusque ſingulari modo reficitur et recreatur, ſi nunc iterum in lectum deſcendit recenter ſtratum *b*).

Longe adhuc recreantius, ſanguinis aeſtum potentiſſime refrigerans, in gradu ſummo antiſepticum leniensque cel. *Trendeleuburgii* medici Lubecenſis conſilium eſt, quod autem non ubique applicari poteſt, ut ſcilicet in calore febrili magno, nec non in haemorrhagiis vehementibus etc. brachia ad cubitum usque denudata omni bihorio trihoriove in aqua frigida minutis aliquot iteratim balneentur, atque cum manibus rite refrigeratis frons, facies collumque totum deliniantur. Cel. auctor addit, ſe non monente, neminem non facile intellecturum, caſus illos hic excipiendos eſſe, in quibus cutis madore tecta eſt, aut exanthemata in iſta praeſto, aut vaſa ſanguifera ſanguine maximopere ſint expanſa etc.

Regulae hae diaeteticae omnes eo neceſſariores ſunt gravioresque, quo febris furit vehementius magisque in putredinem vergit, id quod tempore ſuo fuſius exponetur.

§. 94.

Hucusque indicationes primariae in febribus occurrentes ſunt expoſitae; iſtae autem mutationibus et additamentis pluribus nunc paucioribusque egent, prouti febris a ſimplicitate ſua et benignitate hoc il-

b) *Stollius* perhibet, in febre quadam putrida rem ſummi fuiſſe momenti, ut aegri e lecto exemti atque in ſellam repoſiti a ſomno detinerentur. Quantopere ſomnus febrim inflammet, vigiliae autem et abſtinentia a ſomno coacta illam minuant animamque a deliriis praeſervent, incredibile eſſe; addit. L. c. P. III. p. 109. Vid. quoque *Monti* med. Dict. p. 133.

love recedit modo, cum febribus aliis ſymptomatibusque qualibuscunque moleſtis et vehementibus conjuncta eſt, nec non vitae hac illave ratione periculoſa evadit. Quatenus inde febris natura et character in claſſem aliquam collocantur propriam, ſub ſpeciei cujuslibet explicatione agendorum norma neceſſaria exponetur.

In genere autem febrium cunctarum medendarum methodus nunquam abſolute febris nomini periculoque adcommodatur, quoniam febris eadem ſub circumſtantiis diverſis, in epidemiis diverſis, tempore diverſo, remedia requirit diverſa, et quoniam ille medicus vere tantummodo ſanare intelligit, qui in caſu quolibet ſingulari, particulare, univerſale epidemicumque adcurate diſtinguere, dijudicare, complicationes a ſe invicem ſeparare, indicationes inde fluentes rite invenire, graviſſimas maximeque eſſentiales a minus gravibus accidentalibusque diſtinguere, cunctisque tempore juſto ſatisfacere non ignorat. Egregie et vere communis Germanorum bibliothecae (allg. deutſche Bibliothek) cenſor T. LIV p. I. pag. 117. in locorum communium comparatione, earundem reſtrictione reciproca, atque in horum omnium inveſtigatione dijudicationeque medici artem magnam conſiſtere perhibet. Abſque conditione hac locos communes artis corpus ſine vita tantummodo illosque ſine exceptione veros habere, artis mortem eſſe, ſtatuit idem.

§. 95.

In praeſenti ſymptomatum ſolummodo primariorum, ob moleſtias, quas cauſantur, magnas, propterque periculum ſuum plus minusve urgens auxilium ſingulare requirentium, tractationem, in febribus

bus utpote cunctis ſub caufis circumſtantiisque paribus, eandem, deſcribit ill. auctor.

Pro capitis doloribus vehementibus, a ſanguinis verſus caput congeſtione nimia ortis, methodus temperans, venaeſectiones, nuchae occipitisque ſcarificationes, hirudines temporibus et pone aures adplicatae, clyſteres emollientes, lenientes, refrigerantes, capitis ſitus altus quietusque et illius denudatio, pediluvia *c*), ſinapiſmi, aut merum panis fermentum, nec non armoraciae radices, cum aceto in pultem redactae, pedum plantis, vel ſuris applicandam; commorationes frequentes extra lectum; frontis refrigerationes aſſiduae manuum aqua frigida humectatarum ope inſtitutae, frontis capitisque totius neceſſitate urgente fomentationes ex aceto et aqua, itidem panis cruſtae aceto frigido impraegnatae fronti accommodatae in pediluviorum ſimul abbibendorum

c) Haec ex aqua mera tepide calida parantur, quae autem non nimis calida eſſe debet; vel aquae huic injiciuntur manipuli aliquot cinerum faginorum; furfurumque tritici quantitas eadem, vel ſal, ſapo, ſinapeos ſemen contuſum, nec non herbae emollientes: herbae malvae, meliloti c floribus, flores verbaſci, ſem. lini, foenugraeci, flores ſambuci etc., quae cum aqua decoquuntur. Ut autem efficacia pediluviorum plenaria obtineatur, pedes illis ad genua usque ſunt immittendi aegrotique per dimidiam ad minimum horam in iisdem commorari debent, atque per intervalla aqua calida eſt affundenda, ut pediluvium hac ratione calorem perpetuo aequalem retineat. Praeterea animadvertendum eſt, num febrim augeat, quo in caſu ab illius uſu ulteriori abſtinendum eſt, aut aegroti per tempus breve ſolummodo in eodem ſunt relinquendi. Pediluviorum effectus inde quoque valdopere augetur, ſi pedes inter balneandum pannis aſperis perfricantur. Ubicunque propter languorem aliasque ob cauſas pediluvia applicari nequeunt, fomenta calida pedibus cruribusque impoſita, ſi humida ſunt, illorum vice funguntur.

Digitized by Google

ſationeque lecti etc. conſiſtunt, ſicuti v. g. in febribus putridis nervoſisque: tunc inprimis veſicatoria, ſinapiſmi acerrimi, camphora, moſchus, valerianae ſerpentariaeque virginianae radices, vinum, cortex peruvianus, contrayerva, caſtoreum, linteamina aqua frigida impraegnata genitalibusque impoſita, de quibus ſub febrium harum deſcriptione ſermo erit prolixior accuratiorque, proficiunt. Attamen ſub hac rerum conditione ſemper ad ſaburram in hypochondriis putridam, praecipue ſi febres fuerint putridae, reſpectus habendus eſt attentiſſimus.

Remedia eadem ſub circumſtantiis caeteroquin paribus in comate quoque vigili typhomaniaque proficua ſunt.

Frequentiſſime bilis corrupta putrida acris in ventriculo ſtagnans deliriorum furentiſſimorum cauſa eſt, eoque in caſu praeter bilis correctionem, involutionem, diluitionem ſolutionemque per potus largos acidulos, ſaponaceos, nec non emetica pro re nata aliquoties repetenda, ſub quorum uſu ſimul enemata copioſa remediaque generalia alia in auxilium ſunt vocanda, nihil aliud juvat.

Si capitis dolores, mentis aberrationes ſymptomataque vehementia alia, anxietas, convulſiones, ſopor etc. a materia exanthematica cerebrum afficiente oriuntur, id quod ſub exanthematibus retrogreſſis, aut difficulter erumpentibus, inprimis miliaribus, non raro contingere ſolet: Sine mora quaecunque ſymptomatum vehementiam lenire, vitae periculum ſummum avertere exanthemataque diverſis ex cauſis (vitae virium defectu, ſpaſmis, plethora, cruditatibus biliofis, ventriculi oppletione, refrigerio, animi pathematibus), retrogreſſa, aut difficulter erumpentia in cutim revocare, illorumque eruptionem

nem

Digitized by Google

nem facilitare et promovere poſſunt, in uſum ſunt vocanda; quorſum itaque regimen calidum, infuſa theaeformia diaphoretica, camphora, moſchus, veſicatoria, clyſteres irritantes, venaeſectiones, hirudines, ſcarificatio, emetica, balnea calida, frictiones cum pannis calidis camphoratis, ſpiritus mindereri, ſulphur antimonii auratum, mentis placatio etc. pertinent. Interim ante unius pluriumve medicamentorum horum applicationem, ſicuti ſemper, ita et hic, non ex ſigno uno, ſed ex ſignis notabilibus cunctis, ſtatum morbi univerſum illuſtrantibus, ſollicite perpendendum eſt, quorſum attentio noſtra potiſſimum ſit dirigenda, quoniam effectus a remediis adhibitis exoptatus tunc demum expectari poteſt, ſi ſymptomatum certorum cauſis accurate exploratis, vel ſuſpicionem prae ſe ferentibus veroſimillimam, reſpondent et congrua ſunt. Quando nunc remediorum horum ope exanthemata iterum in cute apparent: ſymptomata quaecunque inde exorta evaneſcunt, atque tunc cum remediis indicatis reliquis pergitur. Interdum exanthemata non erumpunt, ſed illorum loco excretiones aliae per urinam, alvi profluvium, narium aliamque haemorrhagiam, nec non per ſalivationem copioſam, oriuntur, ſub quibus ſymptomata cuncta pari modo, ac ſi exanthemata iterum erupiſſent, diſparent. Contingit hoc modo conſuetiſſimo tum, ſi exanthema quoddam absque culpa omni externa, ſineque cauſa manifeſta retrogreditur, id quod non raro quoque absque ſymptomatibus periculoſis omnibus fieri ſolet, dum interea excretionum commemoratarum aliqua inſequitur, quae pro neceſſitate vel facilitanda, vel cum prudentia eſt moderanda.

Reſpectu eodem modoque pari ſtatui ſoporoſa febri ſe immiſcenti, occurrendum eſt, cujus cauſa mox

mox bilis acris, mox ſanguinis verſus caput congeſtio vehemens, a ſpaſmis ſingularibus in abdomine excitata, mox materia exanthematica, humor ſeroſus lymphaticusque extravaſatus cerebrum premens, mox nervorum atonia ſingularis, eſſe apparent, aut ſuſpicantur, quibus igitur inveſtigandis, ſi remedia illis congrua opponere velimus, opera danda eſt.

Iſchuriae ſtranguriaeque, quas urina critica non mox inſequitur, et quae non a vermibus, cruditatibus bilioſis, ſicuti frequentiſſime fieri ſolet, a calculis, haemorrhoidibus, veſicatoriis, potibus non perfecte fermentatis etc. producuntur, ſymptomata ſunt periculoſiſſima auxiliumque requirunt citiſſimum, quia plerumque mentis aberrationes, convulſiones, ſopores, neque raro mortem adnuntiant ſubitam. Clyſteres copioſi emollientes antiſpaſmodici, unguenta ſimilia fomentationesque ſimiles, abdomini toti, perinaeo. genitalibusque adplicatae, balnea ſimilia vaporaria, ſemicupia tepide calida, decocta concentrata herbae malvae, radicis altheae, florum verbaſci, ſeminis lini, foenugraeci, ficuum, emulſiones cum moſcho gummique arabico, nec non, pro circumſtantiarum ratione, venaeſectiones, hirudines perinaeo applicatae, veſicatoria oſſi ſacro applicata, remedia ſunt hic requiſita.

Adverſus convulſiones generisque omnis ſpaſmos, illorum cauſis antea abactis: moſchus, caſtoreum, ſpiritus cornu cervi, valeriana, aſa foetida, frictiones, balnea, immo quibusdam in caſibus opium ipſum, clyſteres antiſpaſmodici emollientes cum lini oleo, nec non ſinapiſmi et veſicatoria etc. proficua ſunt.

Vomitus, ſordibus licet evacuatis, perdurans immoderatusque re nulla alia melius, quam *Riverii* potio-

Digitized by Google

potione No. 37, in ipſo effervefcentiae actu hauſta, cujus doſi cuilibet, neceſſitate id exigente, laudani liquidi Sydenhamii guttae nonnullae admiſceri poſſunt, placatur. Interdum panis vino frigido impraegnatus prodeſt. Neque minus clyſteres hunc in finem ſale, ſapone, aut tartaro emetico armati, vel quibus opium additur; externe autem: lintea duplicata menthae piperitae aqua impraegnata ventriculi regioni frigide appoſita, unguenta antiſpaſmodica cum laudano, caſtoreo; herbarum aromaticarum ſacculi in vino rubro decocti, cruſtae panis ſpiritu lavendulae, rorismarini, vini, vel aceto conſperſae et cum nucum moſchatarum, caryophyllorum, cinnamomi aromatumque aliorum pulvere obductae, theriaca ſuper alutam extenſa, emplaſtrum de Labdano cum opii ſcrupulo admixto etc. ventriculo calidae impoſitae, ex uſu ſunt. Hernia interim nulla, neque ſcirrhus ventriculi, inteſtinorum hepatisque ullus, neque pylori coarctationes obſtructionesque ullae, vomitus ejusmodi cauſae eſſe debent

Adverſus diarrhoeas ſimiles oryzae, ſalep, altheae, ſagu, ſimarubae, cydoniorum, ligni campechenſis decocta, Sydenhami decoctum album, gummi arabicum decoctis illis admixtum, aut emulſionibus additum, aut per ſe cum liquore anodyno, vel ſpiritu nitri dulci in menthae piporitae aqua ſolutum, cum addito papaveris capitum ſyrupo, cornu cervi uſtum, radix columbo, radix arnicae, ſal ammoniacus, extractum caſcarillae in tinctura rhei, aut foeniculi, menthae, cinnamomi aqua ſolutum cum cydoniorum ſyrupo, rheum cum ſale ammoniaco, caſtoreum, opium ipſum, clyſteres cum theriaca proſunt. Huc quoque medicamenta diaphoretica et diuretica lenia, ipecacuanhae doſes parvae, regimen calidum, utpote quibus inteſtinis humores materia-

teria-

teriaque diarrhoeam conſtituens ſubtrahuntur, pertinent. Si de ſordium diarrhoae tali anſam praebentium praeſentia dubium adhuc aliquale ſupereſt; remediis illis ſalia laxantia ſunt addenda, quorum effectus juſto major ſimul remediorum horum mucilaginoſorum ope refrenatur. Externe ad abdominis dolores leniendos remedia, ſub vomitu indicata, adhiberi poſſunt. —

Caveant autem praecipue medici juniores, ne diarrhoeam febrilem quamlibet, juſto immoderatiorem viſam, ſtatim remediorum revera adſtringentium ope cohibere velint, quia viarum primarum ſordes biliosae, acres, putridae, quarum evacuatio tempeſtiva neglecta fuit, quaeque idcirco adhuc ſunt removendae, quibusque evacuatis diarrhoea mox ceſſat, cujus turbatio maximum aegroto damnum adferret, febrim augeret, abdomen inflaret, inteſtina inflammaret, et, niſi natura ſponte ſibi adhuc opitularetur, in mortem tandem terminaretur, multis in caſibus illius cauſam conſtituunt frequentiſſimam. Excretiones igitur alvinae quaecunque profunde coloratae, flavae virideſcentes, foetentes, utut caeteroquin tenues, ſeceſſum quemlibet torminibus modicis annuntiantes, nullatenus cohibendae, ſed ſolummodo, ſi enormiores juſto fuerint viresque nimis exhauriantur, ſunt moderandae, quod vero per remedia nulla obſtipantia, ſed per talia fieri debet, quae, acrimoniam involvendo, eorum effectus irritantes corruptelamque perpetuo increſcentem arcent, ſordesque fixas et immobiles mobiles reddunt, cui ſini potus largus mucilaginoſus, acidulus, Riverii potio cum rhei tinctura admixta, ſalis ammoniaci ſolutio cum oxymelle, emeticorum ipſorum adeo, tartarique emetici doſes parvae egregie inſerviunt.

Si

Si e contrario diarrhoeae, absque ſordium in viis primis praeſentium ſignis ullis, febribus accedunt, aut, his licet evacuatis, nihilominus tamen continuantur; ſi excreta alvina aquoſa ſunt et ſpumantia, id quod in febribus inflammatoriis praecipue ſtatum indicat peſſimum; ſi ſubito et impetuoſe excernuntur, ſi vires manifeſte ſub illis quotidie plus decreſcunt; ſi pulſus poſt ſeceſſum quemlibet celerior evadit, aegrotusque ſe pejorem ſentit: tunc ad remedia ſupra recenſita confugiendi tempus eſt. In genere diarrhoeae optimae aeque, ac faciem prae ſe ferentes peſſimam, requirunt, ut ad circumſtantiarum omnium nexum, ad aegrotantis habitum, ad morbi periodum inprimisque ad vitae virium conditionem reſpiciatur, quoniam, ex ſignis ſymptomatibusque particularibus indicationes nullas certas derivari poſſe, ſaepius jam repetitum fuit.

Quandoque diarrhoeae inopinatae cauſa aegroti regimini et diaetae, refrigerio, aegroti adverſus remedia nonnulla idioſyncraſiae (quemadmodum, mel foeminis quibusdam diarrhoeam doloriſſimam creaſſe, cel. auctor obſervavit), nitri uſui immoderato, terrori vehementi, taedio rebusque extra morbum aliis rite conſiderandis, antequam illis quidquam opponatur, adſcribi poteſt.

In cardialgiis febrilibus vehementibus itidem cauſae accurate ſunt perſcrutandae, utpote quae valde diverſae ſunt, adeoque tractationem requirunt diverſam. Si ſanguinis congeſtiones ab haemorrhoidibus ſtagnantibus, lochiis ſuppreſſis, fluxu menſtruo inſtante, unde in cardia dolores ſpaſmique vehementiſſimi oriri poſſunt, igiturque ventriculi inflammatio proxime inſtans, aut jam praeſens, malum hoc doloroſum cauſantur: ſine mora remedia

ſub ventriculi inflammatione indicanda, in uſum ſunt vocanda, venaeſectiones, ſcarificationes, linimentum volatile etc. Si exadverſo ſordes acres, bilioſae aliaeque, vermes, flatus, ſicuti frequentiſſime fieri ſolet, in cauſa ſunt; illius effectus, bile correcta, vel ſupra et infra evacuata, datisque anthelminticis et carminativis, evaneſcunt. Si originis ſunt hyſtericae: medicamenta antihyſterica, inprimis caſtorei uſus externus internusque proſunt. Si calculi fellei per conſenſum dolores excitant tales, remediis ſub morborum calculoſorum ſymptomatibus recenſendis lenimen procuratur. Interdum quoque nitrum, citri ſuccus, mel in ſubjectis nonnullis talem producunt effectum, quibus igitur remediorum horum abſtinentia ſuccurrendum eſt. Si materia exanthematica retrogreſſa, aut eruptura moleſtiam hanc creat: tunc illa, juxta indicationum et circumſtantiarum rationem, methodo ſupra deſcripta in cutem ſunt revocanda.

In haemorrhagiis immoderatis, intempeſtivis ad remedia, in capite de haemorrhagiis indicanda, confugiendum eſt.

Sudores immodici debilitantesque, ſive ſymptomatici ſint, ſive critici, moderatiores caute redduntur per regimen frigidius, ſtragula leviora, per corporis totius cum aqua, vel aceto lotionem, per commorationem extra lectum, ſi poſſibilis fuerit, interneque per remedia talia, quae ſudorum horum cauſis, viarum primarum ſordibus, virium jacturae ingenti, humorum putredini etc. congrua ſunt, itaque per laxantia, corticem peruvianum, vitrioli ſpiritum, ſuccum catechu, alumen, vinum acidulum, ſalviae decoctum aquoſum vinoſumque.

Aphthis, quarum curatio infra prolixius deſcribetur, borax cum mellis roſarum triplo aut quadruplo

plo et pro re nata cydoniorum mucilagine ſyrupoque mororum remixtus, praeter illum dauci carotae ſuccus cum ſale prunellae vitriolique ſpiritu acidulatus, quibuscum os ſaepius eluitur, medentur.

Singultus, niſi gaſtritidis ventriculique ſphaceli, vel inteſtinorum, pulmonis, hepatis, diaphragmatis viſcerumque aliorum inflammatorum et ſphacelatorum indicium eſt, quo poſteriori in caſu auxilium quodcunque fruſtraneum eſt, laxantibus ſaepiſſime, ſi his nihil caeteroquin obeſt, cedit. Interdum a potus frigidi ingurgitatione nimia, a ventriculi refrigeratione acidisque multis oritur: tunc remedia ex tepido calida inhalantia potusque mucilaginoſi proſunt; interdum etiam a calculo renali vermibusque originem trahit: tunc remedia his oppoſita conveniunt. Interdum cauſa hyſterica, vel materia exanthematica, arthritica etc. accuſari debet. Praeterea cucurbitulae ſiccae, ventriculi regioni ſaepius appoſitae, opem ferunt celerem, atque, his non juvantibus, laudani guttae quaedam proficuae ſunt. Singultus frequenter omni ſine periculo obſervatur.

Lipothymiae in febribus continuis, praecipue putridis, in ſubjectis debilibus ſaepiſſime a materia corrupta inprimis bilioſa, in ventriculo praeſente, oriuntur; qua idcirco per vomitum et alvum evacuata, non redeunt. In inſultu earum ipſo, niſi ſponte mox evaneſcat, aquae odoriferae, alcali volatile fluor, acetum vini etc. juvant. In febribus nervoſis malignis earum ſanatio a curatione febris reliqua dependet; peſſimum hic ſemper praebent indicium. Si ab excretionibus exorbitantibus oriuntur, omnia illa requirunt medicamenta, quae has cohibent et moderantur; abſceſſus latentes, inprimis in abdomine, ſaepe etiam lipothymias cauſantur, quibus, praeter remedia cardiaca univerſalia, nihil poteſt opponi.

De ſymptomatum aliorum, plus minusve urgentium, tractatione, in capitibus de febribus illis, quibus maxime ſunt familiaria, neceſſaria occurrent.

Praeterea doctiſſimus auctor non ſatis inculcare poteſt, ut lectores juvenes libro hoc non ſolum ad evolvendum utantur, ſed ut totum legant, ſi utilitatem inde ab eodem optatam ſperare velint.

§. 96.

In genere adhuc notandum eſt, ſymptomatis cujuscunque, cum morbi natura plus minusve cohaerentis, cauſa non ſtatim remedia ſingularia eligenda, praeſcriptionesque variandas eſſe et mutandas, in quod medici juniores adeo praecipue propenſi ſunt, quia indicationum morbi illiusque complicationum primariarum adimpletio ſymptomatibus ex hoc fonte derivatis ſatis quoque facit, atque haec cum illo illiusque cauſis decreſcunt et evaneſcunt; niſi enim periculum inde exoriatur proprium, illaque ſine morbi primarii neglectu leniri per remedia ſecundaria poſſint, ut aegri conditio hac ratione, quantum fieri poteſt, reddatur tolerabilis *e*). Caeterum ſymptoma quodlibet membrum manet in ſignorum ſerie, quod in reliquorum connubio, tam praedictiones noſtras, quam medendi methodum, plus minusve dirigit determinatque.

§. 97.

Tandem in genere auctor deſcribit, quid medico in ſtatu morbi periculoſo agendum incumbat, quando

e) Benriet in theatr. tabid. exerc. 27. de uſu perdulc. pag. 92: Cave, inquit, ne inter ramorum deciſionem truncus creſcat. Atque Gaubius de method. concinn. form. med. §. 45: Nec ſingulis, ſed urgentibus ſaltem oppone medelam, effecta enim morbi, hoc hujusque cauſis ſucciſis, ſponte ceſſant, quae nonnunquam adeo diverſa ſunt, ut nimis oppoſita, quin contraria indicent.

Digitized by Google

quando natura viribus facultateque adverſario ſuo diutius reſiſtendi orbata ſub vis nerveae motibus maxime irregularibus actuoſa eſſe deſinit, atque ubi pulſus valde celer, irregularis, intermittens virium jactura ſumma ſub corporis motu minimo lipothymias excitante ſtipatus, reſpiratio rara, aut valde celeris laborioſaque, artuum frigus, vel ſudores viſcoſi, ſenſuum omnium mentisque abolitio, tendinum ſubſultus, oculi languentes, collapſi, rigidi, ſordidi, pulverulenti, ſicci, aut lacrymantes, ſplendore orbati, diſtorti; facies conturbata, collapſa, ſordida cum ore aperto labiisque pendentibus, pallidis, aut nigris, nares expanſae nigrae, frons rugoſa, dentes ſiccae, aut ſordibus flavis nigrisque obductae, quas labia tegere amplius nequeunt, vox fracta, debilis, obſcura, lingua arida, ſciſſa, immobilis nigricans, adſpectus horridus, artuum tremores, deglutiendi impotentia, convulſiones etc. virium vitalium decrementum ſummum indicant, et absque artis auxilio efficaciſſimo, modo hoc poſſibile adhuc fuerit, machinae animalis deſtructionem proxime inſtantem et propinquam annuntiant. Si alicubi ars efficax apparet, atque ſi illi tempore ullo honor, hominis vitam, quamvis non ſine adminiculo naturae omni — conſervaſſe, tribuendus eſt, profecto in momentis hisce eſt periculo plenis. Medicamenta, hoc in caſu agendi facultate praedita, ſunt: camphorae, moſchi, ſalium alcalinorum volatilium, ſerpentariae virginianae, contrayervae, liquoris anodyni doſes largiſſimae, cortex peruvianus, angelicae radix, vinum, vini ſpiritus, tinctura alexipharmaca Huxhamii, confect. card., ſal ammoniacum volatile, Anglorum Punſch, aceti ſpiritus concentratus, valeriana, menthae piperitae pulvis, viribus in febre continua decreſcentibus, a cel. Wendt omni bihorio

ad grana decem exhibitus, veſicatoria, ſinapiſmi acres, clyſteres, chinati acres, irritantes cum camphora, frictiones, ſpiritus odoriferi volatiles, fomentationes ex vino, vel vini aceto, compoſitae corporis totius, inprimis partium genitalium, balnea calida, quibus cortex peruvianus, ſemen ſinapeos etc. incoquuntur.

Remedia haec non promiſcue adhibenda, illorum doſes gradatim augendas, aque minoribus ad majores progrediendum eſſe, facile perſpicitur.

Camphora, quae ob naturam ſuam igneam jam dudum notam, nullisque amplius dubiis ſubjectam, in vitae virium vigore, aeſtu magno, ſanguinis verſus caput congeſtionibus, pulſu forti, pleno, aliquatenus duro, exceptis morbis quibusdam inflammatoriis, ſi nitri doſes largae illi admiſcentur, manifeſte nocet, febrim auget praebioque largiori data ſtupores, faciei naſique ruborem, immo deliria convulſionesque cauſatur, ideoque in febribus cunctis per ſe rejicienda eſt, in ſtatu modo deſcripto medicamentum eſt egregie efficax ſalutiferumque, ſi pulſus celer, parvus, debilis et mollis, artus externi frigore ſenſusque externi et interni ſtupore ſunt correpti, aegrotusque tranquille delirans decumbit. Quanta efficacia cordis irritabilitatem auget et reſtaurat camphora, tanta e contrario vi nervorum ſenſibilitati nocet eamque potius ſupprimit. Vid. No. 81 — 86. Harum mixtionum, prouti periculum majus eſt, vel minus, omni horae quadrante, hora dimidia, aut integra cochlear exhibetur, talique modo tamdiu continuatur, donec pulſus elatior pleniorque evadit, cutis incaleſcit mentisque vigor et alacritas increſcunt. Quando res ad extremum pervenit, aegrotoque per os quidquam ingerendi difficultas

cultas adeſt; ſalutiferum interdum adhuc fuit, ſi lectus totus camphora conſpergebatur, vel aegrotus linteis camphoratis involvebatur.

Neque minus hic proſunt ſerpentaria virginiana, valeriana, confect. card., tinct. alexiph. Huxhamii No. 83; contrayerva, ſalia alcalina volatilia, No. 82. 84. 85. 87. radix angelicae, clyſteres chinati cum camphora, No. 88, qui poſteriores tunc inprimis utiles ſunt, ſi ob deglutiendi impotentiam per os nihil applicari poteſt, unaque cum illis balnea cum ſinapeos ſemine etc. Attentionem hic pariter omnem meretur phoſphorus. Cel. Alphonſus le Roi illum viro juveni annorum viginti quatuor, poſt remedia celebrata reliqua omnia incaſſum tentata, ſucceſſu adeo felici exhibuit, ut mox calor, pulſus, urinae alvique excretio etc. in ordinem redigerentur naturalem, aegrotusque ſanitati reſtitueretur plenariae. Phoſphori grana duo in olei lini cochleari ſolvenda juſſit, quibus Looch cujusdam uncias duas eandemque aquae, in qua phoſphorus fuerat conſervatus, quantitatem, admiſcuit. Omni hora aegroto miſcelae hujus cochlear unum exhibebatur, remediumque idem ſexies dierum ſeptem ſpatio repetebatur. Cel. Frize *f*) remedium commendatione dignum eſſe contendit!

Si contra minima in pulſu parvo durities tenſioque apparet, ſic, ut fili metallici ſubtilis inſtar digitum explorantem feriat, aegrotusque, praecipue ſi tangitur, tremore, convulſionibus, tendinum ſubſultibus corripitur cutimque aridam habet: camphorae moſchus praeferri meretur, quem auctor cum paucis alcoholis guttis tritum in larga liquoris anodyni et aquae meliſſae portione, julapii forma, omni hora

f) Med. Annalen I. Th. p. 360.

ra dimidia ad ſcrupulum usque dimidium et ultra praeſcribit. Hiſce in caſibus caſtorei eſſentia, ſalia alcalina volatilia doſi granorum V — VI ſpiritus volatiles (ſpiritus cornu cervi, ſal ammoniacum volatile, liquor cornu cervi ſuccinatus, alcali volatile fluor) effectus quoque exſerunt optatos.

Si humores ſimul craſin habeant putridam: vinum rhenanum generoſum, quod aegroti quoque aliquatenus ſibi conſcii ſuique compotes avidiſſime appetunt, medicamentorum fere omnium vice fungitur. Huc decoctorum corticis peruviani concentratiſſimorum clyſteres, quorum uncias quatuor ad ſex, hora qualibet, neceſſitate urgente, hac ratione applicandas curat cel. auctor, praecipue quoque ſunt referendi. Similiter corporis totius fomentationes frigidae ex vini aceto vinoque paratae, nec non aër frigidus, cujus ope tot aegrotos morti eripuit cel. Lettſom, locum hic merentur. Quando remediorum horum ope aegrotus aliquatenus eſt roboratus: tunc, praeter potum acidulum vinoſum, cortex peruvianus, ſi poſſibile fuerit, reliqua abſolvere debet, cujus ab initio decoctum concentratiſſimum, cui extracti ejusdem, infuſione frigida parati, quantitas larga, pulſuque adhuc debili camphora, atque ſucceſſive pulveris quoque corticis peruviani doſis largiſſima admiſceri debet, praeſcribendum eſt. De quibus omnibus in capite de febribus putridis plura dicentur.

Ad remedia generalia vitae vires excitantia pertinent quoque veſicatoria *g*). Illorum, pro circumſtan-

g) Agunt hic vi ſua irritante, quae praecipue tamdiu durat, quam dolores ab illis excitantur, ſub quo tempore pulſus quoque utplurimum evadit celerior. Poſtea vim exſerunt antiſpaſmodicam, pulſusque juxta cel. Home obſervationes tardior plerum-

ſtantiarum ratione, duo quatuorve, ſuris, brachiis, interque ſcapulas applicentur. Effectus illorum celer, per loci, cui ſunt imponenda, frictionem cum aceto vini, vel per impoſita veſicatoriis linteamina calida promovetur. Camphorae a cel. Greenfield ſub ſaeculi hujus initio ad ſtranguriam inde — licet non in ſubjectis cunctis — obſervatam, avertendam propoſitae additamentum hic ideo ſuperfluum eſt, quoniam moleſtia haec hisce in caſibus non facile eſt pertimeſcenda; aſt camphora veſicatoriis admixta alium hic uſum habet notabilem ſaepeque neceſſarium, dum *h*) irritationem promovet, atque per carnem nudam in ſanguinem reſorbetur, quod utrumque hic exoptabile eſt. Quamquam cel. Forſter (Canthar. hiſt. nat. chem. et med. p. 51.) ſecundum experimenta certa camphoram theriacamque ſub veſicatoriorum uſu externo internoque lenientia optima eſſe perhibeat, neque cel. *Home* (clin. Verſ. p. 32. 33.) unquam ſtranguriam a veſicatoriis camphoratis obſervaverit, eandemque oleo camphorae pedum condylis illinito illico ſuſtulerit: medici nihilominus alii plures, camphoram veſicatoriis moleſtum hunc taedioſumque in vias urinarias effectum non adimere, ſaltem non ſucceſſu in hominibus cunctis eodem, contendunt. Stranguriam tam a veſicatoriis

 ſine

rumque evadit, ſi proficua fuerint. Effectus hic antiſpaſmodicus juxta eundem virtus illa eſſe perhibetur, qua adverſus inflammationes topicas ſalutaria fiunt.

h) Fortaſſe hoc conſiderabat cenſor (*in den Gött. gel. Anz. Zug. 9. St. 1780. p. 144.*), ſi a veſicatorio, cui camphora eſt admixta, ſe dehortari debere credit. Auctori noſtro caſus quidam occurrit, in quo emplaſtrum ejusmodi largiter camphoratum oſſi ſacro impoſitum inflammationem tam horrendam cauſabatur, ut maxima cum difficultate ſphacelum vix avertere potuerit. Poſthac cautius cum illo mercari didicit. Verum enim vero hoc in caſu effectus ille non eſt pertimeſcendus.

ſine camphora, quam a camphoratis oriri, atque etiam non oriri vidit cel. Vogel, neque veſicatoria hominibus cunctis moleſtias haſce faceſſere, certum eſt. Veſicatorio caeteroquin magno camphorae drachma integra admiſcenda eſt, ſi quid inde ſperare volueris, ubi nempe proficua eſt. Praeterea malum hoc moleſtum nihilominus exortum, potuum mucilaginoſorum emulſionumque largiter hauſtarum ope, mox auferri, non eſt ignotum. Veſicatoriorum in carne nuda renovatio, res eſt abominabilis et inhumana, quam nemo medicorum facile urgebit, niſi qui torturam hanc ipſam in corpore ſuo non eſt expertus, ut ſequelae doloroſae periculoſaeque renibus inde inprimis et veſicae imminentes veſtigiaque indelebilia, quae crudelitas haec cuti in perpetuum relinquit, ſilentio premantur.

Infantibus ſubjectiſque valde ſenſibilibus dolores magnopere tolerabiles reddit emplaſtri veſicatorii mixtio cum emplaſtri meliloti hyoſcyamique parte dimidia. Neque minus *Percivalli* conſilium hunc in finem datum imitatione dignum eſt, ut ſcilicet veſicatorium antea calefactum byſſo tenui molliqne tegatur. Irritat tunc minus, et tamen veſicas elevat effectumque in vias urinarias leniorem exſerit, atque facilius a cute ſeparatur.

In caſu autem iſto, de quo hic proprie loquimur, veſicatoriorum effectus plerumque non eſt debilitandus, quippe qui per ſe jam ſatis debilis, eoque eſt debilior, quo magis vitae vires ſunt ſuppreſſae, quoque idcirco irritabilitas hebeſcit magis; quare cantharidum pulvere inſperſo ſaepenumero potius exacuenda, ſaepiusque illorum in loco eodem applicatio eſt repetenda, antequam cutim inflammant, licet ſpes omnis tunc plerumque jam perdita eſt.

Tinctu-

Digitized by Google

Tincturae cantharidum uſus externi emplaſtri loco praecipue in *Scotia* recepti alio loco mentionis faciendae occaſio erit.

Hoc in caſu, ubi vitae vires omni molimine ſunt erigendae, porro in mentis aberrationibus quibusdam cum pulſu debili, in ſpaſmis ſimilibus, convulſionibus, ſoporibus, exanthematibus retrogreſſis, in metaſtaſibus vel pertimeſcendis, vel jam factis, in inflammationibus internis, poſt venaeſectiones ſufficientes praemiſſas, atque in caſibus quibusdam aliis, unice ſolumque veſicatoriis in febribus utitur cel. auctor, quae contra in aeſtu magno, pulſu pleno vehementique, in putredine humorum late diffuſa ſine exceptione noxia ſunt et rejicienda, quoniam ſanguinis motum augent, humorum reſolutionem promovent, neque tamen quidquam contra febrim valent. Ubicunque hinc revulſio neceſſaria eſt, ſinapiſmi aeſtum utpote minorem cauſantes, inprimis in febribus putridis, perſaepe ſunt praeferendi.

Si remediorum horum ope mortis periculo ereptus eſt aegrotus, remedia reliqua, inprimis cortex peruvianus, et quidquid praeter hunc indicationes requirunt, paginam ſucceſſive omnem abſolvere debent, donec ſanitas perfecta ſit reſtituta.

Monet auctor doctiſſimus in fine hujus paragraphi, ſi praecepta tantummodo generalia quaedam in caſibus particularibus, diverſis et complicatis, determinationem applicationemque longe ſeveriorem requirentia, in operis hujus locis diverſis pro ingenii ſui (ſane maxime egregii!) modulo expediendas, in hoc capite praeſcribere, licet ſummi momenti permulta, quae nec dici poſſunt, nec ſcribi, ſuperſint.

§. 98.

Quo febris periculoſior fuit et malignior, eo majorem attentionem morbo ſuperato requirit aegrotus

tus *i*), ſiquidem febres hae aliquando brevi poſt recurrunt, aut, praecipue ſi criſis nulla manifeſta ſecuta fuit, ſine qua nunquam tuti eſſe poſſumus, haud raro metaſtaſes efficiunt valde pravas. Quorum alterutrum maxime tum timendum eſt, ſi febre finita nec ſomnus, nec appetitus redeat, aut ſi ciborum quidem appetitus adeſt, ſed toroſitas vireſque non augentur.

Quando ſordes in viis primis praeſto ſunt, quippe quae, ventriculi atonia nondum plenarie ſublata, facile oriuntur, hae laxantibus lenibus ſunt evacuandae, cui ſcopo rheum ſale medio maritatum, utpote quod omnium minime debilitat, optime reſpondet, neque minus proficuum eſt lactis ſerum tamarindinatum etc.

Verum enim vero momentum praecipuum manet, ut, ſimulac viae primae ſint evacuatae, cortex peruvianus, qui laxantibus quoque interponi poteſt, non negligatur, ſatisque diu continuetur, cujus doſes largae unciae dimidiae integraeque quotidie in pulveris forma ſumendae ſucceſſive tantummodo minuuntur; perſaepe etiam canalis inteſtinalis non plenarie purgati indicia ſub corticis uſu manifeſte evaneſcunt, cui idcirco ab initio ſecuritatis gratia rhei copia parva admiſceri poteſt.

Quam difficulter poſt febres vehementes, haemorrhagias morboſque alios vires recolligant aegroti, et quam tarde ſanitati plenariae roborique priſtino reſtituantur, ſi illorum moroſitas, aut res anguſta domi corticis uſum debitum continuatumque prohibent, quotidie ſe experiri, cel. auctor teſtatur. Oppletio ventriculi minima, flatus minimus illos proſternit,

i) Vid. G. H. *Poechel* de cura convaleſc. ex febr. acutis. Lipſ. 1775. in *Balding.* opuſc. Vol. VI.

ſternit, neque raro in morbos lentos, hecticos phthiſicosque, ex quibus tandem moriuntur, incidunt.

Ad ventriculum corpusque totum efficaci modo corroborandum praeterea egregium *Roberti Whytt elixir*, cujus praeter corticem peruvianum, vel per ſe, vel cum ſyrupo remixti quotidie bis cochlear dimidium aut integrum praeſcribit, commendat *cel. Vogelius.* Ad quam remediorum efficacium claſſem non minus *elixir Kleinii*, *vitrioli*, vinumque annoſum bonum pertinent.

Praeterea ſub ſuſpicione recidivae cujusdam minima, diaeta provida obſervanda, corpus ab omni refrigerio muniendum, remediorumque roborantium uſui diu ſatis eſt inſiſtendum.

§. 99.

Quaedam adhuc de appetitus, quem in febribus continuis aegroti quandoque in rem aliquam aviſſime exſerunt, ſedatione addenda ſuperſunt. Regula generalis eſt, ut appetitui ejusmodi vehementi non directe contrarietur, ſi quoque in rem aliquam non omnibus ſalubritatis notis praeditam, aut cujus ſalubritas dubiis adhuc premeretur variis, incideret. Ab inſtinctuum talium naturalium placatione in caſibus plerisque effectum bonum productum fuiſſe, deſideriorumque horum adimpletionem aegrotis ſalubrem eſſe, experientia docuit. Si quoque aegrotus talia appeteret, quae medico nociva eſſe videantur, illum tamen inter vices decem, contra medici ſententiam, novies rationem habere juſtam, *Sims* credit perhibetque, addens, ſe exhilarari, ſi aegrotus in febris faſtigio cibum aliquem aut potum ſingularem deſideret, rebusque ſic ſe habentibus quinquaginta ſanitati reſtituti, vix uno moriente, obſervationes ipſum

ipſum docuiſſe. Interim regula haec limitibus reſtringitur gravibus, quoniam, deſideriorum talium ſequelas pravas, quin lethales fuiſſe, exempla habentur, quorum *Sims* quoque in opere ſuo plura recenſet. Idem arti medicae utiliſſimum fore credit, ſi nota quaedam, ex qua aliquali cum certitudine cognoſceretur, quo in caſu aegrotantis appetitui ſatis eſſet faciendum, aut contrariandum, ſtatui poſſet. Docuit ipſum experientia, deſiderio huic ante morbi decrementum nunquam repugnandum, poſt remiſſionem e contrario, et ſimulac in ſanitatem mutatio apparuerit, praecipue ſi pulſus conditioni ſuae naturali appropinquat, periculoſius eſſe, niſi enim deſiderium ſit vehementiſſimum, eoque denegato animo frangi videatur aegrotus. *Sims* procul dubio recte judicat. Quo ſui ſibi magis conſcius eſt aegrotus, quo majorem vigorem ventriculi ſui ſenſationes morbo fracto recuperant, quoque majori ſedulitate partium ſolidarum fluidarumque virium jacturam quantocyus reparare natura contendit; eo facilius aegrotus, in ciborum potuumque delectu magno, talia deſiderabit, quae ſanitatis tempore potiſſimum appetebat, quae autem nunc virium ſuarum concoctricium debilitati, ventriculi irritabilitati etc. conducere nequeunt, unde idcirco moleſtiis variis recidivisque anſa ſuppeditatur. Longe autem, ex auctoris noſtri ſententia, aliter res ſe habere videtur, ubi in morbi decurſu faſtigioque, appetitus naturalis cauſis deficientibus, nauſeaque adverſus cibos potusque reliquos omnes aegroto caeteroquin gratos praeſente, indolis hujus deſiderium rei alicujus ſingulare avidumque oritur, inprimis rerum talium, quae ſanitatis tempore taedium ipſi creabant. Hic concupiſcentiae inſtinctibus naturae opiferae abditis non reſpondentis ſuſpicio omnis cadit praeſumtioque, appetitum hunc, deſi-

deſiderium hoc indicationem curatoriam veram eſſe, cujus prudenter directa adimpletio, verae erit aegroto ſaluti, maxime eſt veroſimilis. In genere autem hac in re eam ſe obſervare regulam auctor teſtatur, ut res ejusmodi avidiſſime deſideratas, caeteroquin noxias, ſucceſſive tantummodo et quidem ab initio doſibus valde parvis permittat, ex quarum effectu accurate obſervato porro, quatenus copia illarum largior praebenda ſit, nec ne, concludit. Conſuetudinem caeteroquin idioſyncraſiasque diverſas, varia ſumme alias nociva futura, permittentes, non attingit cel. auctor. Sic v. g. vini ſpiritum in adſuetis ſub ſtatu periculoſiſſimo miraculi inſtar, id quod remedia alia cuncta non potuerant, ſaepius egiſſe, non ignoratur.

Caput quartum.

De febre diaria. (Ephemera.)

§. 100.

Inter febres continuas omnes, ad quarum ſpecies diverſas jam tranſit ill. Vogelius, omnium mitiſſima, breviſſima atque tutiſſima eſt febris diaria, quam graeci ἐφήμερα, ſive ἐφημερηνὸν appellant. In genere ephemera nihil aliud eſt, quam febris continuae gradus minimus. Atque cel. *Elsner k*) rectiſſime docet, febrim hanc febrim eſſe habendam ſimplicem, quae ob cauſarum materialium diverſitatem illarumque ſedem diverſam tam diverſimode modificatur,

k) Beiträge zur Fieberlehre, p. 29 ſeq.

catur, ut cohors inde febrium oriatur magna. Argumenta ab ipſo allata pondus habent maximum.

§. 101.

Febris haec utplurimum repente ſine prodromis notabilibus vel cum frigore et horrore, vel frequentius ſine illis incipit, quibus aeſtus modicus halituoſus cum dorſi capitisque doloribus quibusdam, corporis gravitate, facie rubra, appetitus defectu, ſomno inquieto, pulſu arteriarum celeri et plerumque molli accedit. Nonnulli narium quoque haemorrhagiam patiuntur. Poſtquam aeſtus hic ſub declinatione ſucceſſiva horas viginti quatuor duravit, ſuccedit ſudor plus minusque copioſus, nec non urina cocta, turbulenta, craſſa, ſub quibus febris nunc plenarie evaneſcit. Nonnunquam urina jam ab initio turbulentiae coctionisque notas repraeſentat, quemadmodum natura quoque ſudorem ſalutarem expellere intendit. Quandoque urina febre durante clara manet, atque in illius fine tantum ſedimentum deponit rubrum arenoſum. Interdum diarrhoea, vel vomitus, vel haemorrhagia febrim tollunt. Similiter ſub criſibus hisce et poſt illas puſtulae ardentes parvae ſubinde in labiis, vel efflorescentiae aliae, bullulae minores in ore linguaque erumpere conſpiciuntur.

Febris poſt horas aliquot jam finiri poteſt, ſi a cauſa levi cito tranſeunte fuerit excitata. Duratio igitur in genere diverſa eſt, ad horarum LXXII ſpatium autem ſemper reſtringitur. Spatium longius breviusque ab irritamento ejusque reactione dependet, quae tamdiu pergit, donec illud ſublatum aequilibriumque ſit reſtitutum. Reactionisque duratio et efficacia iterum a corporis irritabilitate minori majorique dependet. In hoc ipſo ratio poſita

eſt,

eſt, quare ſub febrium continuarum epidemiis graſſantibus ſubjecta nonnulla ephemera ſolummodo leni corripiantur, alii contra a cauſis iisdem gravius longe pertinaciusque afficiuntur. Praeterea animadvertendum eſt, per motus febriles continuantes irritamenta generari nova, quoniam humores inde corrupti febri pabulum continuo ſubminiſtrant novum.

Si febris ultra horas viginti quatuor vel triginta ſex porrigitur, diemque tertium vel quartum attingit, tunc *diaria* ſenſu ſtricto, aut *ephemera ſimplex legitima* eſſe deſinit, atque nunc *ephemera protracta, extenſa, ephemera plurium dierum* appellatur; ubi vero febris tamen primo jam aut altero die aequabiliter declinare incipit. Multi tunc *febrim* quoque appellant *ſimpliciter continentem.* Febris hujus duratio adhuc longior, ejusdem tranſitum in ſynochum conſtituit.

Si febris haec ultra diem integrum extenditur; naturam ſuam continentem ſaepe non retinet, ſed juxta febrium remittentium indolem, parvos efficit paroxiſmos, donec finem attingit plenarium. Hoc autem in caſu plerumque ſymptomatica eſt, magisque ad febrium remittentium claſſem referenda videtur. Si vero non eſt ſymptomatica, juxta Burſerium non inepte *ephemera duplicata*, aut *triplicata* vocari poſſet.

§. 102.

Quum benignitas ſumma, proprietas ephemerae individua eſſe perhibetur: non facile febris quaecunque die uno alterove finem attingens nomine hoc foret inſignienda, quoniam horis adeo paucis febres nonnullae mortem adferunt, talesque etiam, quae ſymptomatibus ſtipatae vehementibus homines celeriter invadunt, indicationibus urgentibus celeriter

efficaciterque impletis, in herba quaſi ſuffocantur, aut adeo ſaltem minuuntur, ut poſt brevem, unius — triumve dierum durationem plenarie terminentur; niſi enim inter ephemeras diſtinctio formetur, ſicuti periculoſa illa tempori brevi mortem inferens ephemera britannica (elodes) nec non cholera illa cito lethalis (ephemera biliosa), etc. ephemerae nomine quoque fuerunt inſignitae. Hae igitur febres ephemerae vocantur malignae. Indolis hujus febris memorabilis *ephemera* eſt *gangraenoſa*, per ſphacelum in parte aliqua externa cito erumpentem citoque lethalem ſe manifeſtans. *Hippocrates* illius jam mentionem fecit *L. I. Epid. Aegr. IX*, verum *Burſerius* l. c. vol. I. §. 222. illius obſervationem, tam pulchre deſcriptam, ut eandem vicibus legendam iteratis commendet cel. auctor, recenſet. Speciem adhuc aliam deſcribit idem l. c. pag. 146. 147, quam *ephemeram a contagio* ſeu *a miaſmate putrido* appellat, quaeque ex obſervatione a profeſſore Viennenſi *Reinlein* ipſi communicata derivatur. — *Burſerius* ſequentem ſolummodo ephemerarum admittit diviſionem: *primariae*, *ſecundariae*, *ſymptomaticae*, *ſporadicae*; *epidemicae*, *benignae*, *purae*, *complicatae*, *malignae*. Denominationes a cauſis deſumtas rejicit idem. Praeterea in caſibus illis omnibus, in quibus auxilium tempeſtivum congruumque naturae opem tulit, dubium reſtat, num febris ejusmodi ideo diaria ſit appellanda, quoniam uno duobusque diebus finita fuit, quum ſibi ipſi relicta, utut benigna ab initio apparebat, febris fortaſſe maxime continua vehementiſſimaque facta fuiſſet. Hoc interim ſibi perparum vult. Semper autem ab initio febris, qualis iſta ſit futura, incertum manet, quia febres *peſſimae* quoque modo interdum leni mitique incipiunt, atque ex eodem cum *benignis* forte oriri poſſunt.

§. 103.

§. 103.

Febres diariae ſaepiſſime a cauſis ſequentibus manifeſtis oriuntur: ab animi affectu vehementi, ira, gaudio, terrore, timore, moerore, ebrietate, refrigeratione, calefactione, inſolatione, ventriculi oppletione, vulneribus, fracturis, dentitione, coitus deſiderio vehementi, catarrhis, balneis frigidis calidisque, abſceſſibus, glandularum tumoribus, vigiliis, inedia, ſiti, laſſitudine, eryſipelate, podagra, rheumatiſmis, menſium fluxu, haemorrhoidibus, lactis influxu aut refluxu in puerperis, calculorum veſicae tranſitu, calculis felleis renalibusque, gonorrhoea et bubonibus, vermibus, apoplexiis, paralyſibus, doloribus colicis, ſpaſmis, venenis, excretionibus nimiis, mentis adſtrictione vehementi, carbonum vapore, ſalivatione etc. Pro cauſarum harum diverſitate febris diaria mox brevior eſt, horas durans aliquot, mox longior, mox idiopathica, mox ſymptomatica, ultimoque hoc reſpectu ſecundum morbum idiopathicum, cui adſociatur ſymptomatica, ſubdiviſiones denominationesque obtinet diverſas, atque febris *vulneraria*, febris *rheumatica*, febris *dentitia*, febris *ex digeſtione turbata*, febris *verminoſa*, febris *lactea*, febris *eryſipelacea*, febris *catarrhalis*, appellatur; quamvis febres iſtae tempore alio ephemerae benignae limites plus minusve transgredi, atque valde malignae fieri poſſint. Cauſas ephemera ſemper pro corporis, in quod agunt, conditione conſtitutioneque, transeuntes, ſupponit.

Cauſarum diverſitas, febris quoque ipſius diverſitatem aliquam cauſatur. Mox horror plus minusve notabilis antecedit, mox aeſtus ſtatim exoritur. Poſt animi pathemata vehementia, iram, terrorem, corporis commotiones vehementes, cibos

potusque calefacientes etc. ſtatus febrilis acerbior eſt, cum corpore, corporis gravitate, faciei rubore, pulſu fortiori etc. conjunctus. Poſt ventriculi oppletionem potius anxietas, oppreſſio, inquietudo, vomituritio etc. oriuntur. E contrario timor, aegritudo, moeror etc. pulſum efficiunt minorem, languidiorem, non adeo celerem, frigus ab initio majus caloremque urentem internum. Eodem modo febris ab inedia, vigilius multis, mentis adſtrictione nimia, excretionibus copioſis, laboribus defatigantibus etc. producta, comparata eſt. Diverſitates plures, omnes tamen intellectu haud difficiles, ſilentio premit ill. auctor.

§. 104.

Praeterea febres iſtae non ſemper a cauſis producuntur aeque manifeſtis, quorſum et illae inprimis pertinent, quibus natura adeo interdum adſuefacta fuit, ut quovis anno ſemel pluriesve, immo omni menſe *l*) eas excitet, et id quidem tali modo, ut, ſi tempore ſolito, autumnali praecipue vernalique, denuo non appareant, moleſtiae morbique alii diverſi, materiam morbificam in corpore relictam prodentes, oriantur. Senes enervati haud raro infantesque, nec non mulieres fluxus menſtrui tempore febribus hisce corripi obſervantur.

Nonnunquam motus febriles leviores horarum paucarum ſpatio absque evacuatione critica notabili iterum evaneſcentes, oriuntur, quales timor, gaudium exorbitans, taedium, refrigeratio leviſſima, amor etc. in ſubjectis ſenſibilibus excitare ſolent. San-

l) Procul dubio *febres intermittentes annuae*, *ſemeſtres*, *menſis unius* in ſcriptis medicorum recenſitae originem inde trahunt, quae vero nullae aliae ſunt, quam *ephemerae recidivantes*.

Sanguinis ebullitiones iſtae febris nomen vix merentur. Interim tamen huc pertinent.

§. 105.

Febres iſtae diariae, inprimis ſi ab animi affectibus, aut ventriculi repletione originem traxerunt, ructibus, nauſea vomituque ſunt ſtipatae. Hoc in caſu natura ſalutariter emetici lenioris ope adjuvatur. Quandoque plethorae ſigna venaeſectionem ſuadentia, inprimis ſi haemorrhagia quaedam conſueta, narium vaſorumque haemorrhoidalium ſuppreſſa febrim excitaverit, praeſto ſunt. Raro praeterea febris haec, praecipue ſi a cauſa nulla externa fuerit excitata, medicamentis indiget. Regimen temperatum, tranquillum, moderatum, potus diluentis potatio ſedula, abſtinentia a cibis carnoſis, atque fortaſſis medicamentum refrigerans, leniter diaphoreticum aperiensque No. 89, omnem curationis abſolvunt paginam.

Ea autem febris, quae ab affectibus animi triſtibus, aegrimonia, curis, inedia diuturna, vigiliis multis, mentis laboribus diu protractis etc. oritur, atque pulſu debili parvoque, virium languore relaxationeque, nec non calore urente interno ſtipata eſt, attentionem meretur plurimam, quia facile in febrem hecticam lentam mutatur. Cauſarum, quantum fieri poteſt, remotio, animi corporisque quies, momentum hic conſtituunt primarium.

Digitized by Google

Caput quintum.
De ſynocho ſimplici.

§. 106.

Sub *ſynochi* nomine febres continuae omnes ſine remiſſione regulari determinataque, dies hebdomadesque plures durantes, ſive caeteroquin ſimplices ſint, ſive compoſitae, h. e. inflammationibus topicis, exanthematibus, rheumatiſmis, catarrhis etc. ſtipatae nomineque praeterea quocunque inſignitae, comprehenduntur. Febres hae omnes ſymptomata ſua communia, decurſum eundem, fines eosdem criſesque habent easdem, atque medendi methodum communem pro ſymptomatibus nonnullis propriis, conſpicuis et periculoſis, nec non pro complicationibus ſuis, proutique hoc illove modo vitae periculum minantur, mutationibus quibusdam diverſitatibusque, quarum mentio neceſſaria in antecedentibus jam facta fuit, reſtrictam requirunt.

§. 107.

Synochus in *ſimplicem*, ſive *inflammatoriam* atque in *putridam* diſtinguitur. Prioris hic mentio fiet.

Synochus ſimplex apud auctores alios quoque occurrit ſub nomine m): *ſynochus imputris*, *febris inflammatoria ſimplex*, *continua non putris*, *febris acuta*

m) Ut veteres intelligantur, ſciendum eſt, *ſanguinem putreſcentem* illis eundem fuiſſe, quem nos *ſanguinem phlogiſticum* appellamus, nec non, *Galenum* febres omnes, praeter *ephemeras*, quibus *ſynochum* quoque *ſimplicem febresque becticas* adnumerabat, putres appellaſſe.

ta ſimplex, *febris continens*, ſeu *homotona*, *febris ſynocha*, *febris continua depuratoria* ſeu *defaecatoria*, denominationibus aliis pluribus. Diſtinguitur *ſynochus legitima*, dies ſolummodo quatuor durans, a *ſynocho extenſa* ad diem usque ſeptimum progrediente. Priorem nonnulli ephemeram dierum plurium quoque appellant. Porro diſtinctiones formantur in *ſynochum homotonam* ſeu *acmaſticam*, in *ſynochum epacmaſticam*, ſeu *anabaticam*, atque tandem in *ſynochum paracmaſticam*, prouti febris aequabiliter progreditur, aut prius increſcit tumque decreſcit, aut poſt exacerbationem primam ſucceſſive ad finem usque decreſcit. Diſtinctiones iſtae fundamentum omnino aliquod, utilitatis licet parum, habent. Cognitio, num ſynochus ſimplex pura ſit et legitima, aut impura, anomala complicataque, momenti ponderisque eſt majoris. Inde enim curatio dependet. Huc pertinet v. c. *Grantii ſynochus non putris*, ſynochi ſimplicis ſpecies degenerata, viarum primarum pituita ſtipata. *Synochus inflammatoria*, *cauſus inflammatorius* ſynochi ſimplicis ſpecies ſunt degeneratae gradibusque ſolummodo differentes.

Poſt prodromos paucos praegreſſos frigus non ſemper excipit calor magnus, a febrium putridarum calore inde ſe praecipue diſtinguens, ut ſub manu cutim tangente ſucceſſive decreſcere leniorque fieri videatur, quemadmodum in febribus putridis augetur. Cum hoc calore pulſus fortis, plenus, aequalis, celer, nonnunquam durus, rarius mollis, quandoque ſuppreſſus et inaequalis; capitis dorſique dolores vehementes, facies rubra, aliquatenus inflata et ardens, reſpiratio magna, quodammodo laborioſa, oculi irritabiles, palpebrae dolentes, ſiccitas labiorum, oris, linguae, quae ſimul alba eſt aut praerubra, et colli, cum deglutiendi difficultate

quandoque conjuncta, ſitis intenſa, urina ruberrima parve ſecedens, arteriarum temporalium pulſatio, ſomnus nullus, aut per ſomnia quoque et phantaſmata turbatus, in infantibus potius coma perpetuum, ex quo ſubinde evigilant, tuſſis plerumque ſicca, ſed doloris expers reſpiratioque moleſta junguntur. Simul cutis, quamdiu morbus adhuc ſcandit, ſicca eſt, quandoque per intervalla humida madidaque, alvus obſtructa eſt aut dura, aut ſi diarrhoea exoritur, haec plenarie aquoſa eſt, ſine fecibus doloribusque, neque guſtu aut olfactu quidquam rite percipit aegrotus. In febris faſtigio haud raro mens alienatur, deliriumque ob vehementiam ſuam vigoremque terrens *n*) oritur; in ſubjectis junioribus infantibusque crebrius propenſio in ſomnolentiam perpetua, in qua ſubinde pavent et convelluntur, obſervatur. Ad ſynochi ſimplicis ſymptomata pertinent interdum quoque artuum convulſiones leves, tendinum ſubſultus, oculi dentesque ſplendentes. Pulſus autem, ſi dolores alicubi praeſto ſunt, parvus ſaepe eſt mollisque. Quamvis febris haec, indolis utpote continentis, exacerbationes remiſſionesque efficiat nullas: tamen calor verſus veſperam et noctem nonnihil increſcere, atque capitis dolores ſitisque augeri, nec non reſpiratio difficilior tunc fieri obſervantur. Synochus ſimplex utplurimum ad diem quartum usque exacerbatur, ſi die ſeptimo finem attingit. Similitudo in genere maxima cum ephemera deprehenditur, modo, citius illam invadere, neque aeſtum adeo magnum, ut ſynochus, neque ſymptomata adeo vehementia, comites habere,

n) Hoc in illa praeprimis ſynochi ſpecie contingit, quae *ſanguinea* a quibusdam appellatur, in qua ſymptomata cuncta longe ſunt acerbiora facileque in capite, pectore etc. congeſtiones oriuntur inflammatoriae.

bere, excipias. Caeteroquin aegrotus hac in febre vividam pro rerum conditione faciem prae ſe fert, animoſus eſt, vitaeque vires, corpore licet languente torpenteque, vigent. Sanguis venaeſectione eductus cruſtâ utplurimum plus minusve craſſa, alba, aut cinerea eſt obductus, ſerique copia parva ſecernitur. Si aegroti corpus ulceribus eſt affectum, iſta hac in febre facili negotio inflammantur atque pus exſiccatur.

§. 108.

Synochus ſimplex per ſe periculo ſtipata eſt nullo, atque vix unquam mortem cauſatur, modo recte tractetur, neque complicata ſit, aut circumſtantiae extraordinariae in corpore praeſto ſunt, quae ipſam pejorem reddere poſſunt, unde ſcilicet *ſynochus impura*, *notha*, oritur. Finitur, niſi in febrim transeat aliam, intra dies quatuor, ad ſummum, quatuordecim *o*), utplurimum cum ſudore urinaque turbida, ſedimentum deponente album rufumque. Interdum autem absque illius ſedimento omni ſanantur aegroti. His praeterea ſubinde haemorrhagia, inprimis narium, rarius diarrhoea, rariſſime vomitus accedunt. Neque raro per abſceſſum externe erumpentem terminatur ſynochus. Criſes hac plerumque ſub ſymptomatibus quibusdam vehementibus, atque poſt horrorem praevium ſequuntur, inprimis, ſi remedia requiſita venaeſectionesque ſufficientes ab initio non adminiſtrabantur.

§. 109.

Febris haec inflammationum topicarum omnium febribus ſtipatarum comes, licet non individuus,

T 5 eſt,

o) Nonnulli, ad diem usque decimum quartum illam unquam progredi, negant.

eſt, indoliſque hujus caſibus in multis febres ſunt catarrhales, rheumaticae benignae, febres exanthematicae, v. g. variolae morbilli, febris ſcarlatina, eryſipelacea, urticata, bulloſa, miliaris, petechialis *p*), eſſera, dyſenterica, quin reſpectu certo peſtis ipſa.

Praeterea cum febribus quoque bilioſis, putridis nervoſisque complicatur, unde autem obſcuratur maximopere, naturamque ſuam et conditionem benignam propriam amittit; unde pulmonum viſcerumque abdominalium inflammationes abditae, in febris putridae decurſu oriuntur. Similiter a conſtitutione epidemica corporisque diatheſi individua vario mutatur modo. Unde denominationes variae originem traxerunt, v. g. ſynochus cholerica, ſeu ardens, quando ſynochi cauſae corpus bilioſum, calidum ſiccumque corripiunt. Calor hic urens ſiccitasque et ſitis majores praeſto ſunt. Bilis ſigna hic non quidem febris cauſa ſunt, ſed illius affectus. Porro: ſynochus inflammatoria etc. Neque minus quorundam ex ſententia ſynochus maligna datur. Synochi ſimplicis, ſi, propter auxilii neglectum, ultra conſuetum extenditur tempus, aut illius vehementia non ſufficiente refrenatur modo, ob ſanguinis motum immoderatum fervoremque, tranſitus proximus eſt in febrim putridam, aut ſolidarum partium vires adeo exhauriuntur, ut natura, criſi perfectae ſalutiferaeque perficiendae impos, recidivis frequen-

p) Burſerius febres haſce nullatenus ad ſynochum referendas perhibet, 1) quoniam febres hae exanthematicae in genere non ad febrium claſſem pertinerent; 2) quia febres, morbos hosce exanthematicos comitantes illosque antecedentes, nullius omnino naturae continentis forent. Prius quodammodo verum eſt; hoc autem experientiae contradicit, dum febres hae ſynochorum verarum inſtar interdum decurrunt.

quentibus metaſtaſibusque peſſimis, in puris praecipue tranſpoſitionibus conſiſtentibus, quae in partes deponuntur diverſas morbosque creant novos, anſam praebent. Similiter in febrim intermittentem quandoque terminatur haec febris. Nonnunquam, praeprimis, ſi ſubjecta fuerint plethorica febrisque male cedat, cerebrum pulmonesque inopinato inflammantur, quod poſterius tunc utplurimum eſt pertimeſcendum, ſi tuſſis valde vehemens reſpiratioque anxia eſt; indeque laeſiones diverſae viſcerumque deſtructiones in cadaveribus repertae, ulcera interna clauſa ſphacelusque originem trahunt.

§. 110.

Juvenes robuſti, plethorici, ſani, intra vigeſimum quadrageſimumque annum conſtituti, vitae genus ſimplex, nutriens laborioſumque gerentes, viribus concoctricibus bonis, fibris rigidis, ſanguine ſano craſſo, rubro, praecipue abundantia quadam inſtructi, et in genere ad inflammationes diſpoſiti, montium altorum, regionum montoſarum ſiccarumque incolae, mulieres juniores, inprimis gravidae febri huic plurimum, infantes autem juniores ob ſanguinem ſuum aquoſum minus ſunt expoſiti. Phtiſicos quoque et hydropicos ſynochus ſimplex corripere poteſt (hydrops inflammatorius). Febres habentur inflammatoriae chronicae, per menſes annosque, inprimis in haemopticis, durantes.

§. 111.

Febrium harum cauſae conſuetiſſimae ſunt: haemorrhagiae conſuetae neglectio aut emanſio; refrigerium; calefactio; virium corporearum intenſio nimia; ſolis aeſtus; animi pathemata vehementia; potuum, ciborum medicamentorumque ſpirituoſo-

rum

rum abuſus; aër continue ſiccus frigidusque; motus ſomnique defectus, aëris mutatio ſubita, aquilones argeſtesque perpetui; inflammationes topicae; vulnera etc. His adhuc accedit irritamentum ſpecificum materiae contagioſae, vel non contagioſae, exanthematicae aliusve, ratione nobis incognita hunc producens effectum. Tempus vernale hyemaleque propria ſunt hujus febris anni tempora, atque in regionibus frigidis praecipue patriam ſuam habent. Brocklesby morbum nullum, inprimis ſub aeſtatis initio, febre inflammatoria ſimplici, frequentius obſervavit *q*).

§. 112.

De febre hac, praeter febres intermittentes, inprimis, quae de febrium ſalubritate in praecedentibus generaliter dicta ſunt, valent. Medetur ſcilicet interdum morbis nervorum variis, ſpaſmodicis, convulſivis, paralyticis viarumque primarum vitiis, corporis incrementum promovet, ſanitatem roborat, ſi cuncta bene cedunt febrisque feliciter ſuperatur.

§. 113.

Quum ſynochus pura, non complicata, ſimplexque febris inflammatoriae, nulla tamen inflammatione topica ſtipatae inſtar ſit conſideranda: doctrina de cruſta inflammatoria locum hic invenit aptiſſimum, de qua obſervata ſequentia ſcopo reſpondent praeſenti. Cruſta inflammatoria vera, morborum inflammatoriorum omnium ſymptoma eſſentiale eſt habenda, quoniam in illis certis ſub conditionibus ſanguinem e vena miſſum rariſſime non tegit. Ratiocinium ſuper illius originem egregium extat in

q) Vid. ökonom. und med. Beob. überſ. von Selle, p. 96. Berlin 1772. 8.

Digitized by Google

in *der allgem. deutſch. Bibl.* 67. *B.* 2. *St.* occaſione recenſionis obſervat. Murſinnae collect. 2. Apparet autem plerumque poſt venaeſectionem ſecundam demum tertiamque, ſi prima ſtatim ab initio inſtituitur. Interdum, ſi venae apertura valde parva eſt, non in conſpectum prodit. Hoc quoque in cauſa eſt, quare ſanguis ex brachii unius vena eductus cruſtam habet inflammatoriam, ex alteroque nullam, aut minorem, et ſic quoque venaeſectiones poſt diverſas in parte eadem inſtitutas. Juxta *Murſinnae* obſervationem idcirco ſanguis ex pedis vena extractus rariſſime cruſtam habet inflammatoriam, quoniam apertura hic ordinarie tantummodo parva in vena efficitur. Nonnulli, inter illosque *Geſnerus*, aperturam venae anguſtam materiei cruſtam inflammatoriam formantis effluxum impedire poſſe, concedere quidem nolunt, materiam hanc per aperturas longe anguſtiores in viſcerum inflammatorum tunicis tranſſudare perhibentes. Hoc interim aliter explicandum eſſe videtur, experientiaque aperturam venae parvam cruſtam inflammatoriam parvam exhibere, vel nullam, docet. In inflammationibus topicis cruſta ſanguinis inflammatoria eo eſt evidentior magisque conſpicua, quo propius hic parte detrahitur inflammatae, eoque apparet minus, quo vena a parte affecta remotior aperitur. Neque minus, quo cruſta craſſior eſt, eo allevamentum a venaeſectione ortum majus eſſe ſolet. Sanguis guttatim ſtillans nullam format cruſtam inflammatoriam, niſi guttae ſint majores, ſemet ſubito excipientes lymphamque contineant multam. Cruſta plerumque eo evadit craſſior, quo ſanguis liberius arcu magno ex vena proſilit, atque vas, in quod defluit, anguſtius eſt. Cruſta inflammatoria ſaepius in venaeſectione eadem, in vaſis diverſis, apparet diverſimode: in uno craſſior aequabili-

biliorque, in altero tenuior et inaequabilior, atque in locis ſolummodo parvis, in adhuc alio autem plenarie non in conſpectum venit. De Haen adeo ſanguinem in patinam unam exceptum cruſta craſſa firmaque tectum, in alteram aut defluxum eundem plane vidit diſſolutum. Diverſitates hae omnes aliaeque plures mox venae aperturas diverſimode magnas, vaſorum, in quae ſanguis excipitur, latitudinem profunditatemque diverſam, ſanguinis curſum diverſum, aëris, cui exponitur ſanguis, temperaturam diverſam, mox copiam materiae cruſtam in ſanguine formantes diverſam, mox fortaſſe etiam diſtributionem materiei illius per ſanguinis maſſam inaequalem pro fundamento habent. Cruſta talis interdum quoque in morbis deprehenditur aliis: in arthritide, podagra, rheumatiſmis, phtiſi, febribus intermittentibus diverſis, quin putridis adeo nervoſisque *r*), in ſcorbuto, viſcerum obſtructionibus, graviditatis menſibus ſerioribus, nec non in homine ſaniſſimo, praecipue in regionibus magis verſus ſeptentrionem ſitis frigidioribusque *s*), praeterea in talibus, qui fibris gaudent firmis, bene nutritis, multum ſe commoventibus pinguibusque. Utplurimum in ſanguinis circulo impedimentum quoddam alicubi praeſto eſt Juxta *Sarcone* (Geſch. der Krankh. zu Neapel 1. Th. S. 96.) cruſta haec Helvetis fere naturalis eſſe perhibetur. At omnes hae ſanguinis obductiones ſibi quidem non diſſimiles, coloris tamen, conſiſtentiae, craſſitiei, relationis adverſus ſanguinis maſſam, cui ſupernatant, ſuique cum illo nexus etc. reſpectu, diverſitatem prae ſe ferunt

r) *Home*, Med. facts and exp. p. 194.

s) Sub hyemali frigore idcirco cruſta haec in ſanguine multorum morbo nullo laborantium, aut morbis aliis adfectorum, cruſta haec deprehenditur.

Digitized by Google

runt inſignem. Interim diverſitates iſtae inveſtigatione adhuc indigent accuratiori. Cruſta inflammatoria vera per ſubſtantiam ſuam firmam, coriaceam primario diſtinguitur, diſſecatur difficulter, colorem habet ex albo flavum, atque ſub inflammatione magis exacerbata, aliquatenus brunam etc. Craſis haec plus minusve alteratur, ſi morbus inflammatorius complicatus, aut ſanguis alio modo eſt cacochymicus etc. Interdum in ſanguinis ſuperficie cruſta apparet nulla, ſed illa profundius, et in medio conſpicitur. Neque minus cruſtae inflammatoriae laminae diverſae ſibi ſuperimpoſitae, atque per ſerum a ſe invicem disjunctae, obſervatae ſunt. Ipſa morborum inflammatoriorum verorum cruſta inflammatoria diverſitates exhibet varias. Illius craſſities a macula tenui parva informi, lineisque hinc inde diſperſis tenuibus ad pollicis craſſitiem usque et ultra adſcendit. In cachecticis, ſcorbuticis talibusque inprimis, qui potibus abutuntur ſpirituoſis, cruſta utplurimum tenuis una cum ſanguinis placenta in inſulam eſt contracta, ſero multo innatantem, atque quoad colorem pergamenae in aqua liquefactae ſimilis valdeque ſimul tenax eſt. In ſanis contra, robuſtis vigoroſisque cruſta valde craſſa eſt compactaque, atque vaſis lateribus undique adcreſcit, maſſamque ſanguinis totam ſimul cum ſero pauco tegit aequabiliter. Pulſus valde celer magnusque cruſtam utplurimum praeſagit valdopere craſſam. At non ſemper vice verſa. Cruſta inflammatoria caeteroquin pulſus duritiei, inflammationis topicae ambitui atque dolori, morboque univerſo utplurimum reſpondet, quamvis morbus decreſcere tamen poſſit et evaneſcere, cruſta licet inflammatoria maneat. Reſpectu igitur certo quidem ad venaeſectionis repetitionem invitat, iſta tamen nullatenus tamdiu, donec

nec ſanguis nullam amplius formet cruſtam, eſt repetenda, quoniam ſub venaeſectione quoque ultima morbumque ſolvente, ſanguis ſaepe adhuc cruſta tectus eſt craſſa. Quo rubedine profundiore ſanguis tinctus ex vena proſilit, eo cruſta quoque craſſior tenaciorque fieri ſolet. Sanguis coccineus rariſſime cruſta obductus eſt inflammatoria. Cruſtae inflammatoriae craſſities tamen non ſemper morbum indicat majorem. Cruſta non valdopere craſſa, alba, coeruleſcens, facile diſſecabilis morbum declarat lenem. Quandoque ſanguine in morbis inflammatoriis apparente ſano, aegri ſtatus non tam bonus, quam ſi cruſta tegeretur modica, eoque eſt periculoſior, quo morbus inflammatorius major eſt. Morbi inflammatorii acuti interim, ſanguine licet e vena miſſo cruſtam inflammatoriam nullam formante, feliciter nihilominus finiuntur.

Ex his omnibus partim aliorum, partim auctoris noſtri obſervationibus, minime tamen rem totam adhuc exhaurientibus, perſpicitur: doctrinam de cruſta inflammatoria eo in praxi utiliorem graviooremque futuram, quo magis ad perfectionem redigetur, quippe quae obſcuritates difficultatesque varias adhuc habet, quae concluſiones plures, ex illa deductas, dubias reddunt et inſecuras. Attamen cruſta inflammatoria et jam quoque in morbis inflammatoriis omnibus ſignum eſt grave, quod cum ſignis reliquis illarum diagnoſin facilitat confirmatque, talique in connubio viam monſtrat ad ſanationem ſecuram. Aegrotos illos, quorum in ſanguine cruſta inflammatoria vera formatur, ſanguinis jacturam facilius plerumque ferre ſecuriusque inde levari, experientia docet. Sic cel. *Kloekhof*, circumſtantiis caeteroquin ſub iisdem eo venaeſectionem inſtituebat auda-

audacius, quo cruſta haec craſſior erat, utpote quae fere ſemper morbum vehementem corporisque ante febrim conſtitutionem ſanam indicabat etc. Nunquam interim ex hoc ſigno ſolo concluſionem formabat. Conſtitutio praeterea corporis humorumque aegroti ex fontibus aliis cognita momenti ſimul ſemper magni eſt, quae, ſi ex phaenomenis in ſanguine extra corpus apparentibus ad ſtatum illius intra corpus adaequate recteque concludere velimus, attentionem noſtram meretur. Quo attentione interim majori circumſtantiae conditionesque, ſub quibus cruſta haec ita ſe habet aliterque, conſiderabuntur, eo concluſiones ſolidiores ſecurioresque pro futuro formari inde poterunt.

Ut ſanguis e vena miſſus rite dijudicetur, hic juxta Hewſonii conſilium in patellas eſt excipiendus, eundemque in finem Hey ſuadet, ut ſanguis ex apertura magna pleno rivo fluens in vaſa porcellanea magnitudinis ejusdem excipiatur, atque in locum reponatur calidum, non autem calori, aut ſoli, aut aëris frigidi tractui exponatur. Cruſtae inflammatoriae originis indoles methodo diverſiſſima fuit explicata. Nonnulli in ſanguinis ſero, alii in ſanguinis parte rubra illiusve lympha, alii in utrisque ejus materiam ſupponunt etc. *For..ice*, *Macbride*, *Hewſon* opinionem veterem de ſanguinis, in quo cruſta inflammatoria formatur, denſitate rejecerunt contrariumque ſunt tuiti. *Hewſon*, inflammationem ſanguinem non reddere craſſiorem coagulabilioremque, ſed potius tenuiorem, per experimenta probare annitebatur, quoniam ſanguinis coagulatio in morbis inflammatoriis, et ubicunque hic cruſta inflammatoria craſſa tectus ſit, longe tardius procedat imperfectiusque, quam in ſanis, ſi inflammatio nulla ſit praeſto.

Hic ſanguinem intra minutorum ſeptem ſpatium coagulari, illic horam ſaepe cum dimidia requiri etc. perhibet idem. Inflammationem ſanguinem attenuare, *Hey* directe negat. Videantur quoque, quae *Gömerus*, *Murſinna* aliique in contrarium allegant. Hoc certum eſt, in cadaveribus diverſis, quae febribus perierunt, viſcera cuncta materia purulenta tecta fuiſſe inventa, quae apparitio pro inclinatione ad inflammationem generali eſt habenda, febrisque inflammatoriae ſimplicis absque inflammatione topica praeſentiam extra dubium ponit. Vid. *Selle.* Pyretol. Ed. 2da. pag. 107.

Scripta graviſſima cruſtae inflammatoriae doctrinam continentia ſunt, praeter *Hallerum*, *Schwenke*: *Leveling* Diſquiſ. cruſt. inflamm. ejusque mir. var. ph. Aug. Vind. 1772. 8. *Kraus*, Diſſ. de nat. cruſt. infl. in ſanguine miſſo appar. in *Klinkoſch.* Diſſ. med. ſel. Prag. Vol. I. — *Kloekhof.* opuſc. ed. *Schleget*, pag. 24 ſeqq. *De Haen* T. I. IX. X. XI. et Platnerus. Exp. inqu. part the firſt. *Being* a ſec. Ed. a inqu. into the propert, of the Blood etc. by *Will-Hewſon.* Geſner Samml. von Beob. aus der A. G. 1. 2. 3. 5. B. — obſ. on the Blood by *Will. Hey.* Lond. 1779. Gött. gel. Anz. Zug. 9. St. 1781. — *Gömers* Einleit. in die Pathol. p. 222 ſeqq. *Gaber* de ſedimento ſeri et membr. pleur. in act. Taur. Vol. II. Spec. II. *Murſinna* med. chir. Beob. 2. Samml. p. 57 ſeqq. — P. A. *Lappenberg* Diſſ. de diatheſi ſanguinis inflamm. Goett. 1783. Hic *Hewſonii Moſcatique* opiniones inter ſe ſunt comparatae etc. Porro huc pertinent *Burſerii de Kanilfeld* inſtit. med. pr. cap. I. de infl. Hewſonii theoriae contradicit. E. A. Nicolai Abh. über die Entzündung und Eiterung u. ſ. w. 1. B.

§. 114.

§. 114.

Febris hujus curatio fundamentis communibus ſupra de febrium continuarum curatione in genere allegatis nititur; hicque indicationes particulares, quarum impletione curatio praecipue abſolvitur, breviter tantummodo conſiderabuntur.

Primum eſt venaeſectio, quae, juxta regulas ſupra ſufficienter expoſitas, tamdiu, donec pulſus tenſionem duritiemque maximam amiſit, aeſtus capitisque dolores decreverunt, reſpiratioque liberior facta fuerit et facilior, continuatur et repetitur. Poſt venaeſectionem quamlibet horas ſex octove expectandum eſt. Si pulſus tunc durus fortisque manet, aut denuo increſcit: poſt temporis hujus ſpatium venaeſectio vice ſecunda, quin tertia repetitur, quod caſibus in plerisque ſufficit, inprimis ſi remedia reliqua ſimul rite tempeſtiveque adhibeantur.

Febris interdum poſt venaeſectionem primam exacerbatur, pulſus, antea ſe non rite expandens, propterque ſanguinis copiam ſuppreſſus, celerior, plenior vividiorque evadit. Eo jam neceſſarior eſt venaeſectio ſecunda, quin etiam tertia, quae tandem ſcopo ſatisfaciens febrim minuit. Pueris infantibusque, quibus ob cauſam alicubi aliquam vena ſine difficultate aperiri nequit, hirudines in brachio, ſanguineque verſus caput violenter ruente, in collo, applicantur. Pari modo iisdem ſub circumſtantiis in adultis procedendum eſt, vel cucurbitulae nuchae applicantur etc.

Quo tempeſtas annique tempus humidiora ſunt calidioraque, atque quo febris magis in putredinem vergit, eo majori cum cautela venaeſectio eſt inſtituenda.

Similiter medendi methodus in complicationibus, ſi febris mere ſymptomatica eſt, mutationes patitur plures paucioresque, complicationi morboque primario accommodandas.

§. 115.

Praeter venaeſectionem clyſteres emollientes refrigerantesque quotidie aliquoties repetiti, utilitatis ſunt inſignis, quoniam febrim minuunt, caput pectusque, ad quae hac in febre praecipue attentiſſimo modo eſt reſpiciendum, facilitant liberantque. Praeparantur ex decoctis avenae decorticatae, hordei, furfurum tritici, radicum graminis, altheae, herba malvae cum floribus, floribus verbaſci, chamomillae etc. mellis cochlearia tria quatuorve, quantitatem olei lini eandem, nec non nitri drachmas unam duasve addendo. Egregie praeterea hunc in finem conducunt quoque ſerum lactis acidum, aut lac ebutyratum cum nitro. Si ſcopus eſt, ut non tam alvum aperiant ſtatimque demittantur, quam potius in ſanguinem tranſeant: quantitatis ſolitae pars tantummodo dimidia, corpore autem clyſteris alvum ſubducentis ope antea purgato, vice una eſt applicanda.

§. 116.

Ad remedia externa pertinent quoque a *Tiſſoto* laudata manuum pedumque balnea tepida, quotidie repetenda, nec non panni flanellacei linteique, aqua calida impraegnati, pectori impoſita et abdomini. Remedia haec auctori noſtro tum inprimis profuerunt, ſi poſt venaeſectiones ſufficientes, potus copioſos praegreſſos, cutis criſeos imminentis tempore ſicca nihilominus manebat, quo in caſu corporis totius balneum calidum, ſi ad extremum perventum erat, adjumento ſaepe adhuc fuit, criſinque optimam

per

per ſudorem promovit, cujus quoque loco balneum vaporarium, juxta *Deuhamii* praeſcriptum, aegroto manibus difficulter tractando in lecto decumbenti applicatum, vires exſerit eaſdem. Si autem et hoc quoque inſtitui nequiret; corpus totum ſpongia aqua calida impraegnata lavetur. Quantarum autem balneum tepidum in momentis periculoſiſſimis ad impedimenta, a ſtatu cutis ſpaſmodico pororumque ab impuritatibus tenacibus orta obſtructione, naturae cum morbo luctanti cauſata, efficaciſſime citiſſimeque removenda, ſit virium; nuper cel. Lentin *t*) exemplis diverſis, notatu digniſſimis evidentiſſimisque, comprobavit, de quibus, quando de febribus bilioſis putridis agetur, plura dicentur.

§. 117.

Inter venaeſectiones clyſteresque potus copioſi *u*) haud juſto tamen frigidiores, acida vegetabilia prae mineralibus, quippe quae in morbis inflammatoriis non congrua ſunt *v*), oxymel, nitrum, ſal ammoniacum, ſal mirabile Glauberi, aut polychreſtum, quibus tartari emetici doſes minores utiliſſime adduntur, paginam abſolvunt reliquam. Vide No. 66. 67. 68. De quibus omnibus jam ſupra ſufficienter actum fuit. Repetit auctor tantummodo, nullis in morbis aegroti commorationes extra lectum frequentiores utilitatis eſſe majoris, quam in febre hac.

§. 118.

Quemadmodum nocivum eſt, ſi methodus antiphlogiſtica maturius juſto, antequam caloris vehe-

U 3 men-

t) Memorabilia circa aërem, vitae genus, ſanitatem et morbos Clausthalienſ. annorum 1774 — 1777. p. 24 ſeqq.

u) Vide ſupra.

v) Inter alios cel. *Grant* hoc probavit in Beob. über die Heil. der Fieber. Aus dem Engl. Leipz. 1775. pag. 128.

Digitized by Google

mentia fuerit placata, ſecretionesque omnes per cutim et urinam etc. debite ſuccedere iterum incipiant, intermittitur; pari modo noxium eſt, ſi illi juſto inſiſtatur diutius, unde ſcilicet natura debilitatur, in excretionibus ſuis turbatur febrisque protrahitur.

§. 119.

Sub remediorum horum uſu intra dies utplurimum ſeptem vel quatuordecim omnia in melius vergunt, cutis et lingua humidae evadunt purioresque, cruſta ſicca a parte anteriori verſus poſteriorem, a lateribus verſus medietatem magis magisque evaneſcit, urina ſecedit largius, capitis dolores, ſitis, calorque ceſſant ſucceſſive, aegrotus evadit tranquillior, excretionesque criticae copioſae jam, juxta naturae ſcopum, regimine congruo, alimentorum augmento ſucceſſivo, potuum, medicamentorumque refrigerantium imminutione, remediisque roborantibus plus minusve, prouti natura adjumento eget, aut, ſibi ipſi relicta, paginam omnem ſola abſolvere potuerit, ſuffulciendae, ſequuntur.

§. 120.

Si contra, ob auxilii neglectum, regimen ineptum cauſasque alias vel intra corpus, vel extra illud latentes, omnia evadunt pejora: aut febris putrida vera, aut peripneumonia, aut mentis alienatio continua ſequuntur; lingua perpetuo ſiccior, cruſtaque illam obducens craſſior magisque bruna, reſpiratio anguſtior, anxietas major, pulſus debilior evadunt, urina parcius fluit; vox tonum amittit naturalem, facies collabitur; abdomen intumeſcit; manus in aëre venantur, aut lectum vellicant prenſantque; tendines ſubſiliunt, tandemque ſequitur mors. Minime tamen hoc in ſtatu aegrotus eſt derelin-

relinquendus, quoniam natura quoque in circumſtantiis hisce periculoſiſſimis interdum criſin adhuc efficit non expectatam, quoniamque, camphoram, moſchum, veſicatoria etc., juxta regulas ſupra traditas in uſum vocata, orci faucibus aegrotum feliciter eripuiſſe, exempla proſtant.

Caput ſextum.

De febribus bilioſis.

§. 121.

Si bilis, plus minusque corrupta acrisque, febrim excitat, quae cum ſymptomatibus ſuis eſſentialibus illi plenarie, ſicuti effectus cauſae, reſpondet: inde febris proprie bilioſae dictae idea fluit.

Febris haec utplurimum quotidie, aut diebus alternis exacerbationes remiſſionesque habet manifeſtas, illaeque eo ſunt manifeſtiores, quo febris cauſa magis vel in bile ſola, vel in viarum primarum a) ſordi-

a) Sub viarum primarum ſordibus, quaecunque in ventriculo, inteſtinis, hepate, pancreate abdominisque viſceribus aliis a ſtatu naturali recedentia, figuntur, corrumpuntur, aliove modo nociva ſunt; ſive haec originaliter ibidem ſtagnent, ſive ex corpore univerſo aliundeve illinc ſint delata. Talia ſunt: cruditates alimentorum in ventriculo corruptae; excrementa in inteſtinis retardata; bilis in ductibus ſuis cyſtideque fellea accumulata putreſcensque, aut in inteſtinum duodenum, ventriculumque effuſa moramque ibidem juſto nectens diuturniorem; ſuccus pancreaticus, entericus gaſtricusque cacochymicus; ſanguinis humorumque reliquorum impuritates aut retentae,

ſordibus bili admixtis latet, eo obſcuriores autem irregulari oresque, quo magis ſanguis ſimul ad diatheſin inflammatoriam aliamque cacochymicam vergit. Complicationes inde oriuntur plures, de quibus poſtea dicetur.

§. 122.

Febrium bilioſarum non complicatarum decurſus conſuetus ſymptomataque conſueta ſunt ſequentia:

Plerumque jam aliquod ante febris eruptionem ipſam tempus moleſtiarum ſequentium in quibusdam pauciores, in aliis plures praecedunt: languor, artuumque, inprimis genuum, gravitas, rigiditatis articulorum ſpecies quaedam; tenſionis intra ſcapulas ſenſus; appetitus defectus; horrores, capitisque et lumborum dolores alternantes; vertigo; ſapor amarus; halitus oris foetens; facies flaveſcens, aut ex viridi palleſcens, rarius rubore ſuffuſa *y*), ſemper turbida noctesque inquietae. Moleſtias hasce pergentes increſcentesque jam inſequitur frigus, illudque excipit calor vehemens, urens, qui quidem non illius, ſicuti in febribus putridis, indolis, ſed tamen acerbior eſt, quam ſanguinis motus febrisque illum per ſe cauſari poſſe videntur, cum pulſu celeri, molli, ſaepe pleno, rarius revera duro, ab ordine ſuo et

tentae, aut retropulſae; atque in inteſtina depoſitae; vermes; miaſmata reſorpta, deglutita, ventriculo inteſtinisque adhaerentia, et in genere omnia, quae excerni poſſunt, quibusque evacuatis morbus tollitur, intelliguntur.

y) *Cel. Stoll.* in morbis bilioſis faciem praerubram, quaſi minio obductam, copioſe vidit. Quamvis autem genae ſint rubrae, in regione tamen angulorum oris, et circa narium pinnas pallor ex viridi flaveſcens conſpicitur, quam faciei conditionem, inprimis ſi oculi ſplendorem quendam, ac ſi lacrymis innatarent, habent, bilis in praecordiis ſtagnantis ſigna perhibet praecipua. L. c. P. II. p. 129.

Digitized by Google

et aequalitate facile praeterea recedente z), ſiti ingenti, aquam praecipue acidulatam frigidam deſiderante, anxietate, inquietudine multa a), ſomno maxime inquieto b), capitis gravitate magna doloribusque vehementibus, vel anterius ſolummodo, praecipue ſupra ſupercilia commorantibus, aut occiput inprimis adficientibus, ſaepiſſimeque caput totum occupantibus: aegroti aërem frigidiuſculum reficientem exoptant. De capitis calore dorſique et lumborum doloribus conqueruntur. Ructus ſubinde ſunt ardentes, ſapore dulci praediti. Oculi colorem habent rubrum, aut flavum, viridiuſculum. Facies caputque totum ſudant libenter. Saepius ſcreando ſalivam aliquatenus amarulentam, taedioſe dulcem, aut plane inſipidam, ſaponis ſpumae non diſſimilem, interdumque amurcam herbidam, mucoſam rejiciunt. Quae evomuntur, ſaporem habent valde auſterum

 metal-

z) Menſe Majo 1782 auctor v. d. miniſtrum quendam in *ducatu Strelicenſi*, febre bilioſo-putrida decumbentem, curandum habebat, cujus pulſus ſub ictu ſecundo ſaepiſſime continenterque intermittebat; praeterea ſub ictu tertio, quarto decimoque intermittens deprehendebatur, ſtatu interim morboſo nullatenus maligno, atque poſt evacuationes perpetuas perfecte benigno reddito.

a) Quanta incrementa anxietas et inquietudo, a bile ortae, capere poſſint, cel. *Finke* l. c. p. 150. exemplo notabili docuit. Ruſticus quinquagenarius ab anxietate tanta, mentis aberratione quadam ſtipata, usque adeo urgebatur, ut, jugulum ſibi reſecare, tentaverit, deincepsque per nemora et montes circumvagaretur, hominisque cujuscunque adſpectum fugeret. Tandem fraude potius, quam vi, cognatorum reductus cel. *Finke* curae demandabatur, ab eoque per materiae bilioſae evacuationes ſufficientes ſolas ſanitati reſtituebatur.

b) In ſomno ſaepius pavere aegroti ſolent et convelli, nonnullique vigilantes quoque ex cauſa levi terrore corripiuntur. *Burchard* (Diſſ. de febr. acuta meſent.) hoc pro viarum primarum cacochyliae ſigno certiſſimo habet.

Digitized by Google

metallicumque. Labia ſunt ſicca. Sanguis forte miſſus aut clare ruber, aut cruſta inflammatoria biliosa tectus, aut ſero viridi, ex flavo viridi, ſapore amaro praedito, eſt incluſus. Sudores olent. Urina ſpumoſa eſt pinguisque. Excretiones alvi parce procedunt, valde flavae ſunt, vehementer foetent; ſimiliterque flatus exploſi. Exacerbationes cum vomitu quoque, nec non cum urina craſſa hypoſtatica terminantur. Porro vertigo ſub erectione corporis contingens; oculi ſplendore quodam, quaſi lacrymis innatarent, praediti; lingua ſerius maturiusve, interdum poſt emeticum primum ſecundumque ſordibus tenacibus, plus minusve flavis, utplurimum partem illius mediam poſterioremque ab initio occupantibus, ſucceſſive latius diffuſis, linguamque haud raro integram incruſtantibus partemque illius anteriorem ſaepe non maculantibus, obducta; ſordes hae ſucceſſive in cruſtam mutantur brunam, vel ex atro brunam, poſtquam antea lineae atrae hinc inde apparuerunt, linguaque perpetuo ſiccior evadit; id quod eo accidit celerius, quo plus emetica ab initio fuerunt neglecta, quorum ope humida evadit et flava, ſi antea ſicca fuerat; ſapor aut ab initio amarus eſt, aut tandem poſt dies aliquot evadit; his accedunt ructus ſordidi, amari, ſaepiſſime acidi, neque raro nidoroſi; ciborum omnium, inprimis carnoſorum, nauſea; vomituritio; nec non muci herbidi, aut flavi, quin atri vomitus pluries revertens, atque dies interdum totos durans; oppletionis, preſſionis, tenſionis, ardoris in ventriculi, ſimul nonnihil tumefacti, ſed preſſioni leni facile cedentis, ad attactum calidi, ſenſibilis et doloroſi regione ſenſus; reſpiratio difficilis, quandoque dolores pectoris vagi; dolor bilioſus famoſus; tuſſis, colli dolores; ſtranguria; tormina abdominalia; urina colore mox profunde

funde rubro, mox claro flavoque praedita, utplurimum turbida ad adſpectum, craſſaque, mox alio modo ſe habens; alvus aut pertinaciter obſtructa, flatulenta abdomenque expanſum; aut excretiones alvinae bilioſae inſequentes; cutis mox ſicca, mox ſine levamine madida humidaque; verſus horas matutinas aut tempore alio, plerumque poſt ſudorem imperfectum, interdum poſt excretiones alvinas nonnullas, ſtatus evadit tolerabilior, calorque cum ſymptomatibus ſuis aliquatenus decreſcit, verſus veſperam autem et noctem, temporibus quandoque valde inordinatis indeterminatisque, ſic, ut paroxiſmi febriles minores intercurrentes obſerventur, nova redit cum vehementia priorique in caſu, qui conſuetiſſimus eſt, per noctem plerumque totam continuatur.

Cruditatis coctionisque ſtatus eſt diſtinguendus. In priori materia adhuc in humorum circulo praeſto eſt; hic vel artis auxilio, vel ſine iſto ſecernitur rejiciturque. Hoc vel poſt paroxiſmos repetitos, aut die quodam critico vice una contingit.

Cauſa interdum miaſma eſt epidemicum, in ſyſtema bilioſum manifeſte agens, bilemque augens et corrumpens. Sanguinis diatheſis datur, plethora bilioſa, aut polycholia dicta, ſi ſanguis particulis ejusmodi, ex quibus bilis conſtat, eſt refertus. Particulae hae bilioſae, vel per vias corporis omnes ſecernuntur, vel morbos, prouti acres, tenaces juſtoque ſunt copioſiores, proque partis, in quam agunt, diverſitate, varios producunt. Si nimium accumulatae juſtoque acriores etc. febrim cauſantur, atque tunc viis diverſis, modoque diverſo ex corpore eliminantur: febris bilioſa deſcripta oritur.

Quo morbus pejor eſt, eo paroxiſmi ſunt vehementiores, eo redeunt ſaepius, duplicantur, triplicantur, erronei erraticique evadunt.

Febres

Digitized by Google

Febres autem bilioſas veras, in quibus ab initio ne minimum quidem ſordium bilioſarum in ventriculo veſtigium occurrit, dari, quae tamen originis ſunt verae bilioſae, quoniam poſt emeticum exhibitum portio colluviei bilioſae magna rejicitur, unde ſymptomatum pars magna febrisque ipſa, ſi non plenarie ſuffocantur, valdopere tamen imminuuntur, aut, ſi hoc non fieret, temporis ſucceſſu tamen, naturae artisque auxilio excretiones bilioſae ſequuntur, ſub quibus febris paulatim decreſcit evaneſcitque, notari quoque meretur. Cel. *Selle* in praefatione verſionis ſuae germanicae obſervationum *Brocklesbyanarum*, Stolle in opere ſuo egregio *c*) aliique hoc cum auctore noſtro obſervaverunt. Cauſarum aliarum abſentia, linguae exſertae tremor, labii inferioris inter loquendum trepidatio, interdum facies valde rubra, oculi ſcintillantes, alvus nonnihil fluida, aut excretiones alvinae teneſmoideae, atque jam praecipue epidemia *d*), anni tempus, remediorum evacuantium ſucceſſus hoc in caſu obſervatus, lucem hic affundere praecipuam debent. Inde quoque theorema, febres non ſolum ex bile oriri, ſed hanc illas quoque producere, ex parte explicari poteſt. Super theorema hoc cel. Rahn in commercio ſuo litterario (Briefwechſel), Zürich 1787. 1. Samml. p. 155. commen-

c) *Max. Stoll* P. I. Rat. med. in Noſocom. pract. Vindob. p. 47.

d) Res medico eſt momenti ſummi, ut morborum genium dominantem attente perſcrutetur. Exemplum, aſſertum hoc confirmans, maxime memorabile exhibet hiſtoria morbi, a cel. *Frize* (med. Annalen 1. Th. p. 168 ſeqq.) deſcripta. *Colica* erat *bilioſa*, tam parum a bile proficiſci viſa, ut, ne veſtigium quidem, praeter *epidemiam*, illius minimum appareret. Poſt aberrationes ſeptimanarum novem, a quibus profecto medicus nullus hoc in caſu tutus fuiſſet, natura tandem ſtatum hunc manifeſtabat. Vomitus ſequebatur bilioſus, quo feliciſſimo cum ſucceſſu cel. Frize ſtatim utebatur.

Digitized by Google

commentarium exhibuit utiliſſimum inſtructiſſimumque, cujus conſiderationem attentiſſimam *ill. Vogelius* commendat. Circumſtantiae ibidem omnes egregie deſcriptae inveniuntur, quae ſub naturae bilioſae larva tyronem tam facile fallunt. Ubicunque obſervationes pulcherrimae ſimul intermixtae inveniuntur. *Duretus* jam in coac. p. 510 et 547: novum non eſt, inquit, in febribus acutis bilem naſci. Neque etiam omnino determinatu tam facile eſt, num febris ſit effectus bilis, aut haec ab illa ſit producta. Febris quoque ab initio nullatenus bilioſa eſſe poteſt, atque temporis demum tractu talis evadit, maturius ſeriusve, ſi cauſa alicubi praeſens ſit, quae bilem nunc demum corrumpit, undeque febris nunc demum characterem obtinet bilioſum. Similiter febris ipſa humores reddit cacochymicos, ſordesque bilioſas novas, nec non indolis alius, producit. Veteres bili culpam procul dubio tribuebant nimiam, id quod recentiorum quoque multi adhuc faciunt, alii contra non ſatis ad illam attendunt, *Alleniusque* ne verbulum quidem de febre profert bilioſa. Febrim bilioſam nominavimus, quae, ſecundum characterem ſuum idiopathicum, a bile producitur, ſive haec immediate in fonte ſuo, ſanguine, ſive in hepate a cauſa quacunque afficiatur, mutetur, acrior reddatur corrumpaturque. Longiſſime igitur abeſt, ut febres cunctae, in quibus ſymptomata apparent bilioſa, bilioſae dicantur, niſi febrium harum ſymptomata eſſentialia praecipue a bile dependeant, eaque rite perfecteque expulſa, ſub circumſtantiis caeteroquin paribus ſucceſſive ſileant plenarie. Si contra juxta medicorum quorundam ſententiam febrium bilioſarum theoria extendatur nimis *e*): non poteſt fieri non, quin

e) Huc libellus recentior, multa caeteroquin continens utilia, refe-

quin mala inde oriantur varia, vitaque caſibus in diverſis periculo manifeſte exponatur ſummo.

Vix fere, quanta bilis acredo caſibus in diverſis incrementa capere poſſit, credibile eſt. Neque inſoliti adeo quidquam eſt, ut vomitu rejecta dentes obtundat, collum aquae fortis inſtar exaſperet excorietque, at odor ab illa exhalatus adeo quoque irritare poteſt, ut lacrymas proliciat ſternutationemque excitet; vernixque, lixivio reſiſtens acerrimo, forte fortuna ab iſta conſperſa, deſtructa viſa fuit *f*). Similiter, bilem acredinem aſſumere poſſe tantam, ut, aquae fortis inſtar, in terram cadens efferveſcat, ex *Borelli* obſ. I. cent. 2. apparet.

Quo nunc materia bilioſa copia praeſto eſt majori, acriorque, atque ex parte in ſanguinem jam tranſiit *g*), nec non evacuantia tempeſtiva neglecta ſunt, ſymptomata adhuc multa alia oriuntur, quorum maxime praecipua ſunt ſequentia: virium jactura ingens, qua; idcirco hoc in caſu emetici unius ope erigi tam cito

referendus eſt: *C. G. Rudolſtädter* med. Bemerk., beſonders über die hitzigen Fieber, 1782. 8. Febrium acutarum paene omnium, quin et inflammatoriarum, bilem eſſe, neque febrim ipſi continuam adhuc viſam fuiſſe, cujus cauſa bilis non fuerit, perhibet. Saepe quidem vera ſunt, quae protulit, rem autem iſtam juſto extendit latius.

f) Videatur epidemiae bilioſae deſcriptio lectu digniſſima in ill. Baldingeri prompt. novi (neuem Magaz.) Tom. I. part. 2. p. 124.

g) Viae, per quas ſordes ex viis primis tranſeunt in ſanguinem, non modo vaſa lactea ſunt, ſed vaſa quoque reliqua reſorbentia canalis inteſtinalis, notandumque eſt, haec materiam quamcunque, licet acrem irritantemque, ob irritabilitatem ſuam parvam reſorbere, quam caeteroquin expectandum foret, ne materia ejusmodi irritans ſibi ipſi introitum in ſanguinem occluderet.

cito poſſunt; lipothymiae; ſitis inextinguibilis; acida inprimis deſiderans; agrypnia plenaria, aut proclivitas dormiendi perpetua absque refectione; motus convulſivi; ardor colli vehemens; deglutitio difficilis; inquietudo ſumma; anxietas maxime enormis; capitis dolores intolerabiles; ſtupor; aurium ſuſurrus; aeſtus ingens internus, ignis inſtar ex ore exhalans; mentis aberrationes deliriaque, magna plerumque cum affabilitate, illico nonnunquam inſequentia; neque ullum cum pulſu nexum habentia. In Haſſiae terris 1783 tempore vernali febris bilioſa epidemica valdopere pernicioſa graſſabatur, qua corrupti aegri plerique in furore delirii ſummo, bicipites ſe eſſe, ſibi imaginabantur. In epidemia petechiali Toloſana aegrotos reconvaleſcentes idea, circa quam deliraverant, diu adhuc comitabatur. Vid. *Michaelis* Bibl. 1. St. p. 118 et p. 32. Porro ſymptomatibus hisce adnumerantur: tuſſis vehemens ſicca, vel ſputo flavo ſtipata, colicae cardialgiaeque enormes; dolores iſchiadici *h*) vehementiſſimi; cutis oculorumque tunica albuginea colore viridi flavoque tingebantur, ſerumque in ſanguine miſſo faciem ex flavo viridem prae ſe ferebat; facies interdum rubore magno eſt perfuſa, circa naſi autem orisque regionem pallor tamen ex flavo viridis conſpicitur; ſaepenumero parum alterata apparet; pulſus facili negotio intermittit; verſus diem ſeptimum ſeriusque maculae parvae obſcure rubrae quandoque rurſus evaneſcentes, nec non exanthemata miliaria oriuntur; quibusdam os effloreſcit; ex effloreſcentiis hisce ſymptomaticis ad viarum primarum ſordes, in

h) Mira hos in matrona quadam incrementa capere, poſt evacuationes ſalutares nonnullas illico evaneſcentes, poſt ſordium accumulationem novam autem revertentes, quibus evacuatis plenarie tandem ceſſaverunt, ill. auctor obſervavit.

Digitized by Google

in ſanguinem praecipue transgreſſas, concluſio vix fallit, quamvis exanthemata miliaria in aegroti ſalutem hic quoque erupuiſſe viſa fuerint, quoniam hac ratione acrimonia in ſanguinem reſorpta ad corporis deducitur peripheriam; rarioribus cutis exanthematibus carbunculi quoque bubonesque adnumerantur; manus pedesque frigore corripiuntur; quidam ſurdi, quin adeo coeci evadunt; aut objecta quaelibet, die licet ſereniſſimo, candelisque plurimis conclave illuminantibus *i*), obſcura ipſis apparent; lingua quotidie ſiccior, dura, fiſſa, atra, atque poſt depurationem accuratiſſimam mox iterum ſordida fit; ſymptomata varia convulſiva, tendinum ſubſultus, convulſiones univerſales, aphonia, lethargus, oriuntur; quandoque bilis ob acrimoniam ſuam magnam citius ſeriusve violentiſſime ſupra erumpit et infra, dolores cauſatur vehementiſſimos, excretiones alvinas cruentas, doloroſas, dyſentericas efficit, anum arrodit, ventriculum inflammat et inteſtina, abdomen enormiter inflat tandemque mortem producit, quae per materiae quoque bilioſae ad pericardium metaſtaſin deſtructionesque ſphaceloſas internas etc. excitatur. Quandoque peripneumoniae oriuntur lethales aegrotum ſuffocantes. Cel. Pfündel (Balding. Magaz. IX. B. 2. St. pag. 111.) febres bilioſas ſymptomate hoc raro ſtipatas obſervavit, ut corporis totius latus unum ſenſu prorſus omni careret glacieique inſtar rigidum fuerit, altero contra prae calore urente. Febre hac correptae fere ſolummodo mulieres erant etc. Poſt vomitum ſemel, vel bis excitatum

i) In puerpera, febre bilioſa complicatiſſima decumbente indeque mortua, hoc ſemel obſervavit cel. auctor. Exemplum ſimile narrat *cel. Frize* (in med. Annalen 1. Th. p. 190.): ſymptoma, inquiens, quod nunquam me feſellit, ſi morbi in mortem terminationem praeſagiendam habuerim!

tatum, bilemque multam rejicientem, latus frigidum iterum incaluit, laterisque alterius calor urens evanuit. — Verum enim vero, omnia haec ordine hoc, quo hic ſunt recenſita, directe ſequi debere, nullatenus eſt credendum. Morbi decurſus in individuo fere quolibet varietates nonnullas, rei cardinem nullo mutantes modo, monſtrat.

§. 123.

In quibusdam febris hujus initium leniſſimum eſt evacuationesque poſt debitas evaneſcit cito; tempore alio citius acerbiſſimeque invadit, quamlibet et tunc quoque auxilii congrui tempeſtivique ope citiſſime abigatur. Cel. *Vogelius* foeminam de moleſtia in cordis ſcrobiculo perpetua, appetitus defectu etc. per ſemeſtre jam conqueſtam, febre hac cum lipothymia ſubito correptam obſervavit. Lipothymiam inſequebatur immediate febris acerba, ſub cujus progreſſu corpus totum poſt dies aliquot colore obducebatur flavo. Poſt dies nihilominus decem morbus plenarie tamen ſuperatus erat, poſtquam, medicamentorum ab auctore noſtro praeſcriptorum ope, ſaepiſſime vomuerat, temporeque hoc toto alvi dejectiones fere centum habuerat. Morborum nullus tempore tam brevi faciem aſſumere adeo horrendam, et aeque cito remediorum aptorum ope levari tollique poteſt, quam febres bilioſae.

§. 124.

Criſes conſuetae, ſi tales ſequantur, per ſudorem et urinam ſaepe ſimul, quae ſedimentum lateritium ponderis ſubinde ſingularis, quaſi plumbum in vitro jaceret, deponit, utplurimum per vomitum diarrhoeasque contingunt; nec non exanthemata miliaria critica fuerunt obſervata. In epidemia qua-

dam ſub horum eruptione ſymptomata tam certo evaneſcebant, ut medicus ſanationem praeſagire indubitatam his praeſentibus potuerit *k*). Ad criſes pertinent quoque narium, uteri vaſorumque haemorrhoidalium haemorrhagiae, ſalivatio, aphthae. Interdum veſicatoriorum applicatorum ſuppuratio pergens, ſicuti Geſenius ſemet obſervaſſe perhibet, criſeos vice fungi videtur. Interdum labiorum oris efflorefcentiae, quas auctor noſter profunde in nares penetraſſe vidit, oriuntur. Criſeos potius perfectae, quarto tandem die poſt inſequutae, prodromi erant. Similiter in aegroto eodem, qui faber aerarius erat, phaenomenon obſervavit ſingulare, ut dentes illius omnes nigredine carbonacea afficerentur, quae nigredo ſucceſſive demum depurari poterat. Non raro autem neque excretiones criticae, neque dies obſervantur judicatorii *l*), inprimis ſi evacuationes per emeſin et alvum mature inſtitutae illarum evacuaverunt materiam; ideoque etiam febres iſtae durationem certam fixamque nullam habent, quae unice fere a methodo illis medendi dependet, ſicut eadem ipſa in ordine ſuo ſubinde turbantur.

In ſomno primo ſanitatem promittente poſt morbum vehementiſſimum aegroti oculis nonnunquam ſemiclauſis dormiunt. Hoc ſub circumſtantiis caeteroquin bonis nullatenus eſt pertimeſcendum.

Si ex delirio forti in ſomnum incidunt aegroti, neque mentis compotes evigilant, ſomnus hic criticus non quidem erat, poſt dies autem aliquot ſomnum

k) V. *Baldingers* neues Magaz. für Aerzte, 1. B. 2. St. p. 123.

l) *Quesnay* igitur illas *Acriticis* ſ. *Excrementitiis* adnumerat, quoniam neque *coctionis*, neque *criſeos* capaces ſunt, ſed per ſordium ſolummodo evacuationem tolluntur. Idem hoc *Baglivius* jam docuerat.

num ſimilem inſecuturum denotat nonnunquam, ex quo tunc aegrotus, ſibi prorſus conſcius alacerque, evigilat, celerique jam greſſu in ſanitatem properat, id quod magno cum gaudio vidit auctor noſter.

§. 125.

Quando male licet tractatae, aut neglectae mortem tamen non inferunt: crebro obſtructiones, inflammationes ſuppurationesque, inprimis hepatis, diarrhoeas chronicas, dyſenterias, icteros, hydropes, tympanitides, rheumatiſmos pertinaces, arthritidem, exanthemata varia, tuſſim pertinacem cum ſputo copioſo morboſque chronicos alios relinquunt Quandoque memoria patitur, capitisque et mentis ſtupor per hebdomadas multas adhuc cum corporis languore perdurant. Saepenumero bilis in cerebrum pulmonesque etc. deponitur, ibidemque mala creat terribilia *m*). Nec non tumores infra aures et in extremitatibus oriuntur. Quin adeo humorum vere bilioſorum congeſtiones in tumoribus ejusmodi ſunt obſervatae. Interdum ſingultus remanet, cujus cauſa proxima in re nulla alia, quam ſaburrae bilioſae reliquiis, quaerenda eſt, qui diu perſiſtit, quemque *cel. Finke n*) in muliere gravida adeo obſervavit pertinacem, ut dies duraret duodecim, neque horis diurnis, neque nocturnis quietem concederet ullam. Tranſeunt quoque in febres continuas, ita ut remiſſiones continuo evadant breviores. Tranſitus exoptatiſſimus frequentiſſimusque eſt in febrem intermit-

m) *Damilano* (vom Frieſel, überſ. von Lentin p. 14.) aegrotum, febre bilioſa decumbentem, ſubito absque omni notitia ſui delirare incepiſſe, intereaque ab omni anxietate reſpirandique difficultate liberatum, ſub oppreſſionis pectoris reditu ſucceſſivo mentis denuo compotem fieri, obſervavit.

n) De morbis bilioſis anomalis, p. 144.

mittentem, ſpes adeſt, fore, ut haec oriatur, ſi exacerbationes cum frigore incipiunt, remiſſiones continuo longiores, exacerbationes autem breviores evadunt lenioresque. — Sequelarum variarum malignarum poſt febres bilioſas cauſis adnumerandum quoque eſt, ſi partes ſingulares praeprimis debiles anſam praebeant, ut materia biloſa illis adhaereſcat, reſiſtentiam inveniat etc. — Sequelae tales metaſtaſesque ſunt: malum hypochondriacum, cacochymiae, phtiſes, generis omnis morbi pectorales, phrenitides, apoplexiae, ſymptomata convulſiva; corneae obſcurationes maculaeque, coecitates; praeterea dyſuriae, haemorrhagiae, dolores colici, abortus, eryſipelata, ſcrophulae exanthemataque ſcabioſa etc. unde morborum bilioſorum per ſe, et tanquam febrium bilioſarum progenies ſpectatorum cohors ingens.

§. 126.

Febres hae in terris Europae diverſis, utplurimum autem in climatibus calidis epidemice graſſantur, inprimis tempore autumnali, ſi tempeſtas perpetuo humida eſt madidaque, aeſtatibus fervidis et poſt illas, ſi aër calidus eſt et ſimul humidus, ſi dies calidos noctes excipiunt frigidae humidaeque, ſi hyems valde lenis fuit. Si his adhuc ſolum humidum et madidum, regioque paludoſa accedunt: eo ſunt periculoſiores et frequentiores, indolisque putridae. Idcirco morbi bilioſi in tot orbis terrarum regionibus inquilini ſunt, hominumque copiam innumerabilem deſtruunt; ideo calculus v. c. initur, in inſula Jamaicenſi omni ſeptennio tot homines mori, quot vice una ibidem commorantur, inſulamque illam ſine dubio deſertam futuram, niſi coloni quotidie advenientes hoc impedirent; inde febris iſta terribi-

Digitized by Google

ribilis flava inſulas Indiae occidentalis, ſub linea ſitas, devaſtans; inde Carthagenae, inprimis Portobelli, ſicuti ex *Ulloa* refert Zimmermannus, puerperae fere omnes moriuntur; inde juxta Shortum in tractibus *Lincolnſhire*, *Eſſex et Ely* homines moriuntur plures, quam naſcuntur; ideo juxta *Graingeri* obſervationem aegrotorum numerus in Belgio 1748 ſe habebat, ut humorum gradus in hygrometro; inde epidemiarum biliofarum in Europae regionibus diverſis et extra illam graſſatarum, et in nonnullis fere quotannis graſſantium deſcriptiones. Epidemiis hujusmodi graſſantibus morbos fere omnes proſapiae bilioſae eſſe, quod medico illas curaturo ſcitu ſumme eſt neceſſarium, quia hujus neglectu morbi ſanationem facillime admittentes inſanabiles evadunt, quoniamque ſymptomata inde minime praeviſa, remedio cedentia nulli, niſi quod bilis removet participationem, oriuntur, notari meretur.

Hyeme media, niſi anni tempus hoc valde fuerit lene, raro oriuntur, illasque, quo plus increſcit hyems, paulatim evaneſcere, aliam aſſumere faciem, inque febres tranſire intermittentes regulares, obſervatio docet repetita. Hoc interim nihil conſtans eſt. Febrium bilioſarum malignarumque epidemiae hyeme acerbiſſima media ortae ſunt viſae. Longiſſime quoque abeſt, ut regiones frigidae ab his febribus ſint immunes. Febres bilioſae caeteroquin aeſtatis fervidae febres propriae ſunt annuatim revertentes, quamvis temporis ſpatium hoc quoque transgrediantur, tamdiuque perdurent, donec illarum periodus de novo rurſus incipiat. Febres tunc evadunt ſtationariae.

Tempore tali bilis ſaepenumero morborum aliorum, huic anni tempori caeteroquin familiarium,

larvam induit, tales autem morbi ſunt: rheumatiſmi, catarrhi, anginae, aurium dentiumque dolores etc. ſunt autem re ipſa febres bilioſae atque ut tales, quoad curationis momentum praecipuum, tractandae. In genere febres bilioſae opinione frequentius morbis aliis generis cujuscunque implicantur, eorum characterem obſcurant naturamque propriam turbant diverſimode. Quin modo diverſiſſimo, tempore eodem diverſoque, tragoedias ludunt ſuas. Rei hujus exempla, praeter *Stollium*, cel. *Fritze* in annalibus ſuis medicis (med. Annalen) p. I. pag. 160 allegat; medicosque meteorologos, morbos juxta obſervationes ſuas meteorologicas curaturos ſolummodo determinaturosque, graviter ſaepius errare, perhibet. Januarius 1780, aërque frigidus erat et ſerenus, quum febres hasce bilioſas larvatas obſervaret. Epidemiae bilioſae menſibus prioribus graſſatae reliquiae erant. Similiter menſis Februarii frigus febrium bilioſarum progreſſui magis favere, quam ipſum cohibere, videbatur, temporisque tractu imperium ſuum diffundebant perpetuo latius. Pari modo Hallerus 1762, epidemiam bilioſam Helvetos regionum binarum diverſarum, quarum differentia ſituationis et aëris reſpectu aeque magna erat, quam inter terram aeque calidam, ſicut illam Galliae Narbonenſis aliamque, in qua frigus aeque erat acerbum, ac in Suecia, ratione ſimili temporeque fere eodem corripere, mortique tradere, obſervavit. Indeque, regiones fervidas aëris ſalubrioris praerogativam a Rudbeckio illis adſcriptam non habere, in fine concludit. Vid. Hannöv. Magaz. 1773. 20. St.

Febres bilioſae praeterea tempore quolibet ſporadicae obſervantur, inque conſtitutionibus bilioſis ab iracundia, taedio clandeſtino, animi aegritudine, triſti-

triſtitia, ira vehementi, praecipue ſi tempore eodem potulenta ſpirituoſa fermentantia, frigida potantur cibique acres comeduntur, in genere a diaeta juſto acriori, pinguiori, calefaciente, fermentante animalique, ab exaeſtuationibus immodicis generisque omnis refrigerationibus ſubitaneis excitantur. Porro cauſis iſtis adnumerari debent, terror, timor, pudor, habitationes humiles humidaeque, aër corruptus, ſordities animique pathemata cuncta, in navibus, noſocomiis, fatuorum cuſtodiis, orphanotrophaeis, lapſus in caput etc., voracitas, puerperium, vulnera, haemorrhagiae, omnia materiam ſanguinis bilioſam commoventia. Grant *o*) febrium bilioſarum Londini frequentiam ciborum carnoſorum uſui copioſo et ubicunque introducto tribuit, unde in corporibus cunctis ad febres hasce diſpoſitio oriatur, quae, ſub cauſarum tranſpirationem ſupprimentium concurſu, tempeſtate inprimis humida, hanc cauſetur febrim. Quare vegetabilium quoque recentium annonae, aceti etc. defectus morbos producit hosce.

Febris bilioſae cauſa interdum manifeſte immediateque in ſanguine latet, in quo particulae acres, oleoſae, irritantes, et, ut paucis dicatur, bilioſae accumulantur, quae in ſyſtema biliferum, cui potiſſimum conveniunt, inque vias primas tendunt, unde tunc excernuntur. Quod autem niſi cito fiat: non poteſt fieri, quin febris accendatur inde, qua materia haec eruptionem intendit ſuam. Ex febribus bilioſis illis, in quibus bilis corruptae veſtigium ab initio nullum eſt manifeſtum, temporisque tamen tractu copia illius magna rejicitur, hoc praecipue apparet.

 §. 127.

o) Beob. über die Natur und Heilung der Fieber, S. 351.

§. 127.

Morbi conditio vel unice ſolummodoque a viarum primarum bile, abſque mutatione ſanguinis notabili dependet, vel bilis in ſanguinem tranſitus, aëris conſtitutio diverſa, anni tempus, cauſae epidemicae, contagioſae, tempore eodem in bilem ſanguinemque, nec non in nervos immediate agentes, corporis diatheſis individua, complicationes morbi naturam, decurſum ſymptomataque ratione varia mutantes, larvamque illis ex parte fallaciſſimam induentes, cauſantur varias.

Ita a febrium bilioſarum cauſis allegatis in corporibus plethoricis, robuſtis, ad inflammationes pronis, ſub aëris ſiccitatis frigiditatisque incremento magno, medicamentorumque calefacientium uſu etc. febres ſic dictae bilioſae inflammatoriae oriuntur, quae pulſu pleno, duro, calore enormi, ſiti inextinguibili, lingua ſicca ſignisque diatheſeos inflammatoriae reliquis, quibuscum ſordium bilioſarum in viis primis praeſentium ſigna ſunt conjuncta, ſe manifeſtant; quibus hepatis, pulmonum, ventriculi, inteſtinorum, oculorum, renum, faucium, arteriae aſperae cerebrique ipſius inflammationes topicae vel accedunt, vel non accedunt, neque pars ulla eſt, quae non a bile acri inflammari poſſit. Qua proprie ratione, num per conſenſum, aut per metaſtaſin materiae bilioſae veram, hoc fiat, jam inquirere, non eſt hujus loci. Mox unum, mox alterum, mox utrumque locum habere videtur. In partibus affectis muci bilioſi depoſitiones verae in cadaveribus ſubinde ſunt detectae. Inde quoque rheumatiſmi bilioſi, eryſipelata bilioſa, catarrhi bilioſi, generisque omnis exanthemata bilioſa, variolae, morbilli, febris ſcarlatina puerperarumque bilioſae etc. oriuntur,

de

Digitized by Google

de quibus tempore alio plura dicentur, morbos autem hosce omnes, quoad momentum primarium, febrium bilioſarum inſtar tractandos, igiturque, ſigna inflammationem veram, mixtam bilioſamque diſtinguentia, momenti eſſe maximi, hic ſolummodo monetur. Inflammatio nempe ex toto a bile dependere, aut febris inflammatoria vera ſtatui bilioſo admixta praeſto eſſe poteſt. Signa primaria inflammationem veram a bilioſa diſtinguentia ſunt: 1) illa hac celerius invadit; 2) ibi dolor eſt vehementior, conſtantior, fixior; 3) ibi febris eſt magis continua, hic magis remittens; 4) ibi pulſus plerumque eſt durus, hic utplurimum mollis; 5) hic urina utplurimum turbida eſt et bilioſa, ibi rubra parcaque; 6) bilis ſigna; 7) epidemia; 8) anni tempus; 9) aegrotantis conſtitutio; 10) remediorum, quamdiu dubium ſupereſt, caute adminiſtratorum ſucceſſus reliqua dirimunt. Porro huc pertinet: 11) quod calor in inflammationibus bilioſis longe ſit acrior; 12) quod aegrotus hic animum abjectum alacritatemque minime habeat illam, ſicut ibi; ſimiliter 13) aegrotus in febribus inflammatoriis veris faciem habet venuſtiorem rubrioremque, quae hic flavior eſt; 14) ſi ſputa adſunt, haec quoque flava ſunt; 15) interdum excretiones alvinae foetentes bilioſae dubium omne tollunt.

Rationem quoque ob eandem febres bilioſae interdum, inflammatoriarum acutarum inſtar, absque remiſſionibus incipiunt manifeſtis, quae autem poſt venaeſectionem, aut haemorrhagiam ſpontaneam, v. g. narium, unde ſanguinis diatheſis inflammatoria ex parte tollitur, aut, poſt viarum primarum evacuationes aliquas inſtitutas, mox manifeſte remittendi initium faciunt.

Non raro febribus bilioſis, inprimis circa epochae illis propriae finem, febris pituitoſa, diatheſi quandoque phlogiſtica ſtipata, accedit, unde ſtatus difficillime ſuperandus oriri poteſt.

Similiter ſanguis porro vel bilis corruptione putrida, vel cauſis aliis, intra corpus aut extra illud praeſentibus, tempore eodem concurrentibus reſolvitur, et putreſit, unde febres ſic dictae bilioſae putridae, in quibus bilis viarum primarum putridae ſanguinisque deſtructionis putridae ſigna utraque praeſto ſunt. atque de quibus capite ſequenti agetur, originem trahunt.

Tandem febrium harum cauſis cauſae adhuc, tempore eodem in nervorum ſyſtema immediate agentes, adjunguntur, unde febres iſtae, quae ſub bilioſarum malignarum bilioſoque putridarum nomine notae ſunt, oriuntur. *Cel L. L. Finke p*) febrim nervoſo-bilioſam, febris lentae nervoſae, de qua libri hujus caput octavum agit, ſymptomatibus omnibus ſaburraeque ſimul bilioſae ſignis ſtipatam ex obſervatione deſcribit propria. Ut vermes, qui febribus hisce omnibus frequentiſſime accedentes non raro ſupra ejiciuntur et infra, ſilentio premantur. Capite ſequenti ſymptomata a vermibus excitata uberius explicabuntur.

Affectiones quoque ſaepenumero catarrhales rheumaticaeque, coryza, tuſſis, dolores artuum dorſique vagi, colli rigiditas etc. febribus adſociantur bilioſis. Sub febris bilioſae exacerbatione, horis utplurimum nocturnis contingente, dolores rheumatici quoque increſcunt maximeque tunc urgent. Status

p) De morb. bil. anomal., occaſ. epid. cujus hiſtoria praemiſſ. ab anno 1776 — 1780 in comitatu Tecklenburgenſi, obſervat. *Monaſt. Weſtph.* 1780. p. 101 ſeqq.

Status hic haud rite tractatus malignus evadere poteſt. Bilis primo evacuanda, tumque materies rheumatica per cutim et urinam eſt expellenda.

Febri lacteae febris bilioſa frequentiſſime accedit, quae mulieres nervorum ſyſtemate debili praeditas peſſime adficere poteſt, methodumque medendi requirit prudentiſſimam.

Febres hae plerumque mire confunduntur, neque accurate diſtinguuntur, unde tyrones errores incurrunt graviſſimos *q*).

§. 128.

Febres bilioſae imperium habent latiſſime diffuſum, febriumque numerus ingens, a ſcriptoribus diverſis nominibus inſignitarum diverſis, huc eſt referendus, id quod medicos juniores nullatenus confundere debet. Symptomatibus quidem phaenomenisque variis, prout ſimpliciores ſunt, aut complicatiores, quoque magis in putredinem vergunt etc., hinc inde a ſe invicem recedunt, re ipſa autem febres manent bilioſae verae, medendi, quoad momentum praecipuum, methodum requirentes eandem.

Febris cholerica a *Friderico Hoffmanno* deſcripta *r*), *febres meſentericae Baglivi s*), *febres inteſtinales Heiſteri Ridelijque* (quas prior in comp. med. pr., poſterior in progr. de febr. inteſtinal. exponit), febres gaſtricae Ballonii *t*), *febris ſtercoralis Quesnayi*, *febres remit-*

q) Prae omnibus auctor cel. hic commendat celeberrimi olim Goettingenſium profeſſoris *Schroederi* diſſertationem, de amplitud. gen. febr. bil. in ej. opuſc. Vol. I. p. 45, nec non diſſert. de febr. putr. ibidem Vol. II. p. 147.

r) Med. rat. ſyſt. T. IV. P. I. Sect. II. c. 2. §. 6.

s) Opp. p. 51.

t) Opp. L. 2. Epid. p. 78.

Digitized by Google

remittentes autumnales paludoſae, *militum Caſtrenſes* a *Pringlio u*), *Monroo x*), Brocklesby *y*), Hillary *z*) aliisque obſervatae et deſcriptae, *Sardinienſium* ſic dicta *intemperies a*), *Seelandiae occidentalis lues bilioſa b*), *morbus* ſic dictus *Hungaricus* (Hagymaz), ob capitis dolorem enormen ſcrobiculique cordis ſenſibilitatem magnam inprimis terribilis, *febres catarrhales malignae diverſae* etc. *c*) a *Stahlio*, *Hoffmanno*, *Junkero Elleroque* ſic nominatae, nullae re ipſa aliae ſunt, quam febres compoſitae remittentes bilioſae bilioſoque putridae.

Similiter huc pertinet *febris ardens*, ſive *cauſus* veterum, cujus idea vera in febris bilioſae acerbae cum inflammatione inde pendente et excitata univerſali, aut topica vehementiſſima, combinatione poſita eſt. Cauſus periodice, febrium tertianarum inſtar, ſed absque frigore vice qualibet praevio, decurrit. Aeſtus extremus ſiccitasque aridiſſima in hoc praecipue eminent. Prior tamen corporis partes omnes non aequabiliter, internas vehementiſſime, extremitates autem, quae frigidae adeo interdum depre-

u) Beob. über die Kraukh. der Armee, überſ. v. *Brande*. Altenburg 1772. p. 200 ſeqq.

x) Kriegsarzw. A. d. Engl. und mit Anmerk. v. *Begue de Presle*. 2. B. p. 382, porro pag. 425 ſeqq.

y) Oek. u. med. Beob. überſ. und mit Anmerk. v. *Selle*. Berl. 1772. p. 111 ſeq.

z) Beob. über die Veränd. der Luft und die damit verbundenen Krankh. auf der Inſel Barbados; aus dem Engl. v. Ackermann. Leipz. 1776. hinc, inde.

a) Lind. L. c. p. 31.

b) Ibid. p. 28.

c) Febres hae, tempore autumnali hyemalique inprimis, ſymptomatibus catarrhalibus ſunt ſtipatae, unde confuſio haec originem trahit.

deprehenduntur, minus afficit. Reſpiratio ardens, anguſta, brevis, celeris, anxietate, inquietudine magna, tuſſitatione, nauſea, vomitu, lingua flava, nigra, aſpera, aduſta, voceque ſonora eſt ſtipata. His virium jactura ingens, tandem deliria, phrenitides, lethargus convulſionesque accedunt. Quaecunque corpus valdopere debilitant, ſanguinem ſimul exaeſtuant bilemque acuunt, febrim hanc cauſari poſſunt. Febris haec rariſſime diem attingit ſeptimum, die tertio jam quartove lethalis eſt. Narium haemorrhagia die contingens critico, excretiones per emiſſaria cuncta factae ſputumque craſſum, illius criſes ſunt conſuetae. Nonnunquam haemorrhagiae lethales per pulmones et urinam ſequuntur. Urina nigra, pauca, deglutitio difficilis, tremor, manuum pedumque frigus, facies rubra ſudore perfuſa, diarrhoea juſto vehementior, glandularum parotidum tumores non ſuppurantes, ſigna ſunt maligna lethaliaque. Saepius in peripneumoniam deliriis ſtipatam tranſit, quae inprimis periculoſiſſima eſt, ſi poſt dolores abdominis vehementes exoritur etc. V. *Stoll* aphoriſm. *Hippocrates* ipſe febris ardentis denominationem ſenſu accipiebat longe latiori, quam ſcriptores ſeriores, quorum quidam febribus omnibus inflammatione magna ſtipatis hoc tribuebant nomen.

Similiter *febres aſſodes*, *leipyriae*, *hemitritaei* veterum *nonnulli* etc. in claſſem ſunt referendae eandem, quemadmodum febres intermittentes multae, inprimis malignae iſtae, quas *Medicus*, *Cleghorn* aliique deſcripſerunt, reſpectu certo huc referri poſſunt, quoniam cauſa illarum proxima bili putridae, acri praecipue, eſt tribuenda, hac ſolummodo ſub exceptione, quod febrium harum natura propria, praeter bilis evacuationem, ſpecificum ſuum proprium adhuc requirat.

§. 129.

Digitized by Google

§. 129.

A febribus bilioſis *febres* ſic dictae *pituitoſae* inde primario diſtinguuntur, quod morbi hujus cauſa mucus ſit inſipidus, in ore, collo evacuationibusque conſpicuus. Sed mucus hic per totum quoque diffunditur corpus, neque tam frequenter, ut bilis, viis tantummodo primis eſt incluſus. Febrium harum decurſus tardior eſt, moderatior, minus remiſſionibus conſpicuus, neque adeo tumultuoſus, ut febrium bilioſarum decurſus; calor non eſt tam vehemens, pulſus non tam celer, urina minus colorata; ſitis minor; periculum autem idcirco aeque magnum eſſe poteſt; ſenſuum ſtupor tamen vel adeſt, vel oritur facile, mens leniter alienatur; aegroti ſunt comatoſi; tranquille jacent, neque bene audiunt, neque ſentiunt. Ab initio aegroti per dies plures plus de frigore, quam de calore, conqueri ſolent. Caput ipſis grave eſt, ventriculus tumefactus ſenſibilisque ad attactum; ſapor eſt paſtaceus mucoſusque; lingua pituita obducta humidaque. Mucus praeterea ubicunque obvius eſt, in fecibus alvinis, in ſanguine e vena miſſo, in viſceribus usque adeo cunctis poſt mortem, nec non in locis a veſicatoriis ſuppurantibus, invenitur. Exacerbationes verſus veſperam ingruunt. Remiſſiones autem ſunt obſcurae. Interdum dolores oriuntur pungentes in partibus mollibus infra coſtas. Calor horrore eſt permixtus, pulſus fere naturalis inſtar tardus eſt crebroque intermittens; urina eſt pallida, inodora, ſedimentum quandoque deponens mucoſum. Dentes gingivaeque ſordibus ſunt obductae. Aegroti ſenſu carent, aut triſtes ſunt, animumque habent abjectum. Febres hae utplurimum per ſudores, neque raro per exanthemata miliaria alba ſub ſudoribus erumpentia, dijudicantur. Criſis quoque per vomitum repetitum,

diar-

Digitized by Google

diarrhoeas modicas ſalivationemque contingit. Anni tempus febrim pituitoſam modificat diverſimode. Non raro cum febribus bilioſis, aut inflammatoriis, prouti ad has vel illas corporis aegroti conſtitutio magis inclinat, complicantur. Complicationis cauſa methodo medendi perverſae ſaepius quoque eſt tribuenda. Ex combinatione ſua cum febre bilioſa febris atrabilaria praecipue oritur. In conſtitutione pituitoſa morbi tot alii, a cel. *Stollio* aphoriſm. p. 128 nominati, illius larvam induunt, plures hanc ob cauſam difficillime ſanantur, v. c. hydrops, lues venerea. Faciem praeterea prae ſe ferunt diverſiſſimam, prout mucus partem hanc, vel illam, ſedem ſibi elegit. Inde nempe oriuntur anginae, febres rheumaticae, arthriticae, catarrhales, tuſſis convulſiva, peripneumoniae nothae, catarrhi ſuffocativi etc. Ad febrium quotidianarum remittentium claſſem pertinent. Occurrunt quoque ſub nominibus: *Quotidiana continua veterum*, *febris phlegmatica*, *periodica*, *amphimerina*, *febris lymphatica* etc. Febres pituitoſae, tempeſtate inprimis frigida humidaque, in habitationibus regionibusque humidis, ipſarum utpote patria praecipua, oriuntur. Homines ſe parum commoventes, victu crudo digeſtuque difficili veſcentes, pueri infanteſque, qui ſolani eſculenti tuberibus multis pultibuſque farinaceis, nec non cibis crudis tenacibus nutriuntur, inprimis ſenes multum dormientes ſibique perbene facientes, corpora pinguia, mucoſa, inflata, homines, qui in locis habitant humidis, mulieres laxae, humoribus repletae, temperamentum phlegmaticum pigrum etc. prae aliis in hanc febrim inclinant. Quodcunque talibus in corporibus ſeri lymphaeque copiam et tenacitatem auget, fibrarumque laxitatem cauſatur et atoniam, aut humorum mucoſorum motum et progreſſum retardat

dat turbatque, febris ejusmodi ortui favet. Cauſis hujus febris particularibus addi adhuc debent: atrophia, cibi pingues, leucophlegmatia, generis cujuscunque enervationes, puerperium, vermes. Febres hae ordinarie ſine frigore et horrore exacerbantur ſineque ſudore remittunt, unde a febribus aliis pluribus differunt. Calor ſub attactu primo lenis eſſe videtur, manum autem paulo diutius tangentem acredine ſua et inaequalitate laedit. Facies ſaepenumero tumefacta aliquatenus eſt coeruleaque eſſe adparet. Complicationes variae febris hujus faciem variant diverſimode. Malignitate magna ſtipata eſſe poteſt, inprimis, quando miaſma putridum illi ſe adjungit. Terminatur mox die quadrageſimo, mox ſexageſimo interdumque ſerius adhuc. Nonnunquam tamen diem vigeſimum quartum non transgreditur, ſicuti in epidemia a cel. Plenciz deſcripta. Quo lenius decurrit, eo plerumque durat diutius, atque ſi humores non ſingulariter corrupti ſunt acresque. Evacuationes plures citius illius accelerant finem. Caeteroquin ſymptomata periculum determinant. Virium jactura, appetitus defectus, proclivitas dormiendi perpetua, ab initio praeſentes, ominis ſunt peſſimi. Ventriculi ſenſatio non modo per mucum eſt obtuſa, ſed et cerebrum ipſum eodem aggravatum eſſe videtur. Non raro hepatis obſtructionibus, cachexiae, hydropi, viſcerum infarctibus, phtiſi pituitoſae, malo hypochondriaco, arthritidi, tabi lentae, febribus hecticis nervoſisque anſam praebet illarumque fundamenta ponit. Saepiſſime medendi methodus ſequelas cauſatur haſce. Tranſitus exoptatiſſimus eſt in febrim intermittentem. *Synochus non putris* cel. *Grant* (Beob. 1. Th. p. 168 ſeqq.) huc eſt referenda. Juxta *Glaſſium* et *Grantium* Anglorum *febris nervoſa lenta ſynochus* haec

non

non putris eſſe perhibetur, quae veteribus ſub nomine *febris phlegmaticae*, *humoralis*, nota fuit. Similiter *Ballonii febrim gaſtricam*, *Baglivii febrim meſentericam*, *Sydenhami febrim depuratoriam*, *Borelli febrim epidemicam* Piſae graſſatam, huc pertinere credunt. Indolis ejusdem *febris eſt pituitoſa Sarcone.* Omnes hae febres ut epidemiarum diverſarum modificationes diverſae conſiderari poſſunt, eoque reſpectu deſcriptiones diverſae optime ſecum invicem conjunguntur. In genere medicorum diverſorum in febribus morbisque aliis deſcribendis diverſitas magna a circumſtantiis infinite diverſis, ſub quibus tragoediam ludunt ſuam, atque ſub quibus momentum praecipuum tamen ſemper idem manet, dependet. Hac ratione febris pituitoſa quoque mox eſt *contagioſa*, quemadmodum illa, quam deſcripſit cel. *Sarcone*; mox *inflammatoria*, qualis erat illa *Sydenhami Grantiique*; mox *putrida*, qualis fuit Baglivii, mox *febris lenta nervoſa Huxhamii* etc., ſi nervorum debilitate ſingulari ſtipata erat, aut ſimili in caſu *Stollii febris phlegmatica*, vel *pituitoſa* etc.

Quamquam hae febres certis ſub conditionibus in putredinem vergant: tamen in ſordibus mucoſis acrimonia acida ſaepius generatur, quae per vomitu rejecti ſaporem primario ſe manifeſtat; quare vermes quoque hic inprimis frequenter occurrunt. Regula ſequens in febribus hisce tractandis ponderis eſt magni: evacuationes quotidie neceſſariae cum prudentia ſunt dirigendae, quoniam facile exorbitantes aegrotum cito exhauriunt. Inprimis hoc de purgantibus valet: emetica namque longe ferunt facilius. Pulveres ex rheo ſaleque ammoniaco compoſiti hunc in finem medicamentum conſtituunt omnino egregium, excretionem alvinam non facile nimium concitans.

citans. Acida haud proficua ſunt. Sed eo utiliores ſunt temporis tractu emeticorum doſes parvae, ſyſtema nervorum irritamento leni perpetuo erectum ſervantes; praeterea veſicatoria, camphora, Mindereri ſpiritus, mixtura ſimplex camphorata, ſi vires nimium decreſcunt, naturaque ad criſin, quae hic praecipue per ſudores, interdum per exanthemata miliaria aphthasque contingit, perficiendam, eſt ſuffulcienda. Inter remedia praeſtantiſſima arnicae flores locum quoque merentur. Tandem remedia amara, roborantia adhibenda ſunt. Similiter per diaetae rationem virium conſervationi eſt proſpiciendum. In genere procedendi methodus calidior juſto aeque noxia eſt, quam nimis refrigerans. Prior inteſtina inflammat, exanthemata producit miliaria ſymptomatica febresque malignas; poſterior nervorum debilitatem cauſatur promovetque, neque criſin ullam perfici ſinit. Medendi methodus tota prudentiam requirit patientiamque multam. Neque velocius juſto, neque tardius aequo procedendum eſt. Quare febris hujus medela omnino eſt difficillima.

§. 130.

Singularem adhuc conſiderationem meretur ſic dicta *febris flava Americana*, vel *Indiae occidentalis*, quae inter febres bilioſo putridas malignas pertinet. Febrem hanc, a Gallis maladie de Siam, fievre matelotte, ab Hispanis vomito preto dictam, *Makittrik d*), *Moultrie e*), *Lining* (im 2. B. der neuen Edinb. verſ. p. 419.), Hillary *f*) ibidemque allegatus

d) De febre Ind. occ. maligna flava. Edinb. 1766. in Baldingeri Syll. ſelect. opuſc. Vol. I. p. 87.

e) De febr. mal. bil. Americae. Ibidem 1749. Ibid. p. 163.

f) L. c. p. 171 ſeqq.

Digitized by Google

tus Warren (of the yellow fever) atque cel. Lind *g*) praecipue deſcripſerunt. Deſcriptio febris flavae pulchra legitur quoque in *Blane* Beob. über die Krankh. der Seeleute, p. 302 etc. Pertinet huc quoque *Rouppe h*). Quae eſſentiam febris hujus concernunt, ex ſcriptis his communicabit cel. auctor. Morbus praecipue peregrinos ex climate temperatiori advenas illosque praeterea, qui motibus fortibus, laboribus potibusque ſpirituoſis valde caleſiunt, ſeque horis diurnis ſolis radiis urentibus, illosque excipienti frigori rorique nocturno exponunt, inprimis corripit. Anni tempori nulli certo obnoxia eſt, ſed fervidiſſimo aeque ac frigidiſſimo ſine diſcrimine obſervatur, quamvis tempeſtate valde fervida, humidam inprimis excipiente, vehementior eſt et acerbior, quam aëre ſub frigido. Hillary illam tamen nunquam vidit contagioſam. Invadit cum virium jactura magna et in lipothymias proclivitate, cum nauſea, vertigine, capitis doloribus enormibus locum non mutantibus, horrore ſudoribusque frigidis, quos calor urens anxietate terribili, pectoris oppreſſione vehementi, ſuſpiriis profundis, dolore circa cordis ſcrobiculum pungente, reſpiratione difficillima ſtertenteque, faciei rubore phlogiſtico, oculis rubris prominentibus, artuum lumborumque doloribus ad oſſa usque penetrantibus, ſiti aut inextinguibili, aut parca, nauſea perpetua, vomituritione, vomitu bilioſo copioſo, nec non diarrhoeis, agrypnia plenaria inquietudineque intolerabili ſtipatus excipit; pulſus ſimul eſt celerrimus, mollis, fortis, at nunquam durus, interdum debilis ſuppreſſusque; cutis mox ſicca, ſaepe humida; ſub lipothymiis aegroti non palleſcunt, ſed flavedine, poſt easdem rurſus evaneſcente,

g) L. c. p. 107 ſeqq. 225 — 233.

h) De morbis navigantium, p. 304.

Digitized by Google

cente, tinguntur. Poſt dies aliquot ſerius maturiusve, prout febris incrementa capit celeriora tardiorave, corpus totum a capite ad calcem usque colore obducitur flavo, qui icterus caſibus in rarioribus, ſi ſerius oriatur, criticus quoque eſt; hic autem ſub illo et cum eodem ſymptomata cuncta increſcunt, pulſus continuo minor evadit debiliorque, interdum valde celer eſt, interdum tam tardus, quam in ſtatu naturali; aegrotus in ſoporem incidit cum deliriis non interruptis; mox inſequuntur ſudores copioſi, glutinoſi, qui ad linguam adeo extenduntur, ſic ut haec, at minime in ſalutis ſignum, humida ſit; ſimiliter labia osque internum totum colore tinguntur rubertimo, tandemque ſanguis per corporis emiſſaria cuncta partesque omnes prorumpit, ſanguis putridus, ichoroſus, reſolutus copia magna ore alvoque excernitur; urina nigra evadit valdeque foetens; pulſus fit minimus, debiliſſimus, tremulus, intermittens; ſingultus, convulſiones, tremores, partium externarum frigus vehemens, phantaſmata indeſinentia cum anxietate magna, reſpiratione difficili lipothymiisque crebris oriuntur, cutis maculis conſpergitur nigris, tandemque mors finit tragoediam. Inter ſymptomata conſtantiſſima maximeque characteriſtica pertinet quoque agrypnia pertinax, ordine non interrupto perdurans valdeque moleſta. Huic accedit ventriculi, nihil omnino retinentis, irritabilitas, nullo lenienda modo; die tertio vomitus ater etc. inſequitur. Ventriculi hanc irritabilitatem nihil veſicatorio potentius placabat Mors mox celerius inſequitur, mox tardius. Poſt mortem cadaver citiſſime in putredinem abit, in corporis ſuperficie, ventriculi inprimis hepatisque regione, maculae latae nigrae apparent, atque in fellis veſicula illiusque ductibus bilis foetentis putridae, nigrae copia ingens inventa

venta fuit. Auctorum ſupra allegatorum deſcriptiones praeſtantiſſimae mente attenta prius ſunt legendae, quam febris haec climate ſub noſtro rariſſima ex ambitu ſuo omni clara evadit perſpicuaque *i*). Biſſet hanc quoque deſcribens febrim, in momentis nonnullis a ſcriptoribus recedit allegatis *k*). Febris haec procul dubio gradus habet diverſos modificationesque diverſas.

§. 131.

Febrium biliosarum ſimplicium male cedentium tranſitus proximus eſt in febres putridas, febres idcirco bilioſo putridas dictas, quaeque partim ſignis ſymptomatibusque ſupra, dum febres bilioſae ſimplices deſcribebantur, expoſitis, partim febris putridae, de qua caput ſequens agit, notis ſe manifeſtant.

§. 132.

Circa ſaburrae bilioſae correctionem evacuationemque curationis cardinem verſari, ideoque medicamenta evacuantia inprimis ex uſu eſſe, facile perſpicitur. Eorum autem adhibitio determinationes quasdam accuratiores, diverſitatibus regulisque ſequentibus fundatas, requirit.

1) Si ſaburra bilioſo putrida ob tenacitatem ſuam ventriculi inteſtinorumque parietibus fixa adhaeret et immobilis, id quod ſordes linguam incruſtantes, nullo removendae modo, vomitus inanis vomituritioque fruſtranea perpetua, excretiones alvinae

 pau-

i) Cel. *Buchholz* bis illam ſemet obſervaſſe perhibet. Nachricht von dem herrſchenden Fleck- und Frieſelfieber. 2. Aufl. Weimar 1773. 8.

k) Verſuche und Bemerk. in der Arznei- und Wundarzneikunde; aus dem Engl. von *J. W. Möller*. Breslau 1781. pag. 17 ſeqq.

paucae aquoſae, linguae ſiccitas aliqua etc. declarant, illam remedio quodam efficaci expellere velle, fruſtraneum, immo noxium foret; prius igitur emollienda, ſolvenda rationeque tali ad excretionem apta eſt reddenda *l*). Hoc fit per ſalium mediorum, inprimis *Glauberi*, ſalis *Seignette*, arcani duplicati, nec non tartari tartariſati terraeque foliatae tartari doſes modicas, inprimis autem per tartari emetici ſalibus mediis ſimul additi doſes minores, v. c. No. 4–15. Praeparatio quoque ad evacuationes reſolvens per ptiſanas radicum graminis, taraxaci, etc. cum oxymelle multo, ut et per *Riverii* potionem tartaro emetico armatam, inſtituitur.

Quod niſi fiat, evacuationes uſum habent nullum, emetica abſque colluviei bilioſae evacuatione vomitu rejiciuntur, eademque remediorum purgantium ſors eſt.

Sal ammoniacum tunc inprimis proficuum eſt, ſi bilis acredo diarrhoeam ſpumantem non coloratam, bilem ipſam autem juſto utpote tenaciorem ſecum non auferentem cauſatur. Cohibet tunc diarrhoeam inutilem, viqùe ſua ſolvente bilem excretioni reddit aptam. Si nunc remediorum horum potuumque copioſorum aquoſorum cum oxymelle tartarique cremore, unum, duos pluresque dies uſu continuato, quem in finem tempus quoque brevius ſuffi-

l) Hippocrates jam egregie aphoriſm. XXII. Sect. I: „Cocta, inquit, medicamento purgante educito ac moveto, minime cruda, neque per initia, niſi ſuopte impetu ad excretionem ferantur, quod fere non accidit.„ Interim hoc ſub reſtrictione debita intelligendum eſt. Legantur quoque, quae *Tiſſotus* in diſſ. de febr. bil., hanc circa rem, egregia locis docet diverſis. In genere medicus nullus febris bilioſae curationem juxta auctorem noſtrum ſuſcipere deberet; niſi *Tiſſotum*, atque etiam *Stollium* mente attentiſſima legiſſet prius relegiſſetque.

Digitized by Google

ſufficere poteſt, ſordes ſucceſſive ſolubiliores ſunt redditae, linguaque magis eſt humectata; tunc

2) Qua via ſordes potiſſimum egredi velle videantur, reſpiciendum eſt. Saepe natura ipſa jam excretiones, ſed raro ſufficientes, parat. Quando igitur, ut plerumque fieri ſolet, ſurſum turgeſcunt: emetica requiruntur; ſi potius in inteſtinis ſtagnant; quarum ſigna ſupra in capite de febribus intermittentibus ſatis ſuperque ſunt expoſita: purgantibus ſunt evacuandae, aut ſcopus hic viam per utramque ſimul eſt obtinendus. Mixturae modo allegatae, vel No. 90, in caſibus his omnibus conducunt, ita tamen, ut ſalis tartarique emetici doſes, pro circumſtantiarum ratione, dupliciter tripliciterque augeantur. Vomitus plerumque, prout ventriculus purior evadit tartaroque emetico magis adſueſcit, ſucceſſive ceſſat, effectus reliquus tunc optimo cum ſucceſſu verſus alvum determinatur. Methodo huic alternatim, mox reſolvendi et emolliendi, mox evacuandi ſcopo, prouti circumſtantiae id deſiderant, tamdiu inſiſtitur, donec ſordium ſigna, id quod interdum poſt dies demum quatuordecim contingit, evaneſcunt, febrisque ſic cum ſymptomatibus ſuis cunctis vel plenarie ceſſat, vel in febrim tranſit intermittentem, corticis peruviani ope facile deinde ſecureque profligandam. Indicationi ad vomitum urgenti ipecacuanhae ſcrupulus unus et ultra, tartari emetici grano uno pluribusque armatus, vel rheo quoque, aut arcano duplicato etc. remixtus ſatisfacit celerrime, quales formulae habentur No. 9. 10. 11. Similiter tartari emetici grana tria quatuorve, ſalisque Glauberiani aut polychreſti uncia dimidia in infuſi laxativi Mannagetae, aut aquae calidae unciis aliquot ſolvi, omnique horae quadrante, donec vomitus ſequatur ſufficiens, cochleatim exhiberi poſſunt.

 Quam

Quam egregie hic emetica agant, quamque allevatio celeris in ſtatu ſumme anxio illa inſequatur, vix fere credibile eſt. Capitis dolores maxime enormes, anxietatem inquietudinemque atrociſſimas, tuſſim gravantem, deliria, cordis palpitationes violentas, lipothymias, ardorem in cordis ſcrobiculo vehementem, ſtranguriam moleſtiſſimam, dolorem punctorium bilioſum doloroſiſſimum *m*), ſputa cruenta, nec non artuum dolores etc. poſt emetici efficacis operationem, immo, eodem adhuc operante, temporis ſpatio fere momentaneo ſingulariter allevatos, quin plenarie ablatos fuiſſe, cum ill. Vogelio, alii permulti ſaepiſſime obſervaverunt. Emetici actio longe diſſitius, quam in ventriculi ſyſtema, extenditur. Blane (l. c. p. 277.), vomendi conatus, quamlibet irritos, allevamentum attuliſſe momentaneum, frequentius ſe vidiſſe, teſtatur. Operatio vomitoria in corporis totius fibram quamlibet atque vas quodcunque influxum habet. Quare emetica quoque tumores, partes longe diſſitas occupantes, reſolverunt. Caſus memoria digniſſimus, ubi haemoptyſis vehemens materiae herbidae vomitu ſtatim levabatur, extat in cel. Plenciz act. et obſ. med. p. 57. Legatur quoque Schaefferi deſcriptio epidemiae bilioſae Ratisbonenſis in ill. Baldingeri promptuarii novi tom. VII. parte VI. p. 522. Neque minus illius deſcriptio loci medica (*mediziniſche Ortbeſchreibung*), urbis Ratisbonae. Ibidem 1787, liber utpote obſervationibus praeſtantiſſimis vere practicis ditiſſimus legi quoque meretur. Cel. auctor ad puerperam vocabatur, quae praeter faciem cadaveroſam, pulſum valde exiguum, celerem inordinatiſſimumque, manus frigidas humidasque, lipothymias frequen-

m) Doloris punctorii bilioſi deſcriptio pulchra extat in promptuario Hamburgenſi (Hamburg. Magaz), 1782. 41. 42. 43. Stück.

quentes, pectoris oppreſſionem magnam, cordis palpitationem enormem bullularumque miliarium albarum copiam ingentem in pectore habebat. Vomituritione ſimul oriſque afficiebatur amarore. Emeticum, incantamenti inſtar, cuncta haec tollebat ſymptomata ſubito. Lectoribus ſuis tyronibus, quae *Stollius* n), praeter *Tiſſotum*, *Zimmermannum* aliosque, de emeticorum in febribus hiſce praeſtantia, maxima cum eruditione veritateque, diſſeruit, ut mente conſiderent attenta, non ſatis ſe inculcare poſſe, teſtatur auctor celeberrimus. In genere *Stollii* ſuper febres bilioſas liber claſſicus eſt, lucemque ſuper illas diffundit maximam. Faciem autem non minus atrocem, ex viarum primarum purgatione tempeſtiva neglecta, morbus hic adſumit. Inprimis exanthemata miliaria, oris aphthae, ventriculi inteſtinorumque inflammationes, meteoriſmus etc. inde oriuntur.

Si indicationes emeticum exigentes temporis tractu redeunt, eodem proceditur modo, his licet ſexies redeuntibus. Quandoque bilis acris vomitu rejectae copia admodum exigua tantum eſt, eaque tam exigua, ut ſymptomata tot vehementia magnaque vix inde derivaſſes, nihiloque tamen minus illorum cauſa fuit, quoniam illius expulſionem allevatio inſequitur perfecta, veneniqne acris granum unicum ſymptomata excitare poteſt maxime terribilia. Vomitu rejecta hinc non ex copia, ſed ex indole ſua, atque ex levamine illa inſequente ſunt dijudicanda. Alvus obſtructa clyſmate antea eſt aperienda.

Sordes copioſiſſimas in ventriculo praeſentes ſignis conſuetis interdum nullatenus ſe manifeſtare, ſupra jam pagina 86 et 316 monitum fuit, moleſtia circa

n) Ratio med. in noſoc. pract. Vienn. P. I. II. III. locis diverſis.

circa cordis ſcrobiculum nulla apparet, lingua pura eſt, ſapor omnium naturalis; facies tantummodo ſubinde valde rubet, oculi ſcintillant, excretionesque alvinae aliquatenus ſunt copioſiores. Saburrae nihilominus viridis, flavae, quin nigrae copia ingens emetici ope expellitur. Utplurimum interea inveſtigatio accurata, ſub ſignorum manifeſtiorum defectu, tenſionem aliqualem, punctionem quandam vellicantem ſiniſtrorſum infra coſtas ſpurias, labii inferioris tremorem frequentem etc. detegit, quae phaenomena obſervatorem accuratum jam jam, quid ſit agendum, docent. Bilis ſigna poſt remedia reſolventia nonnulla adſumta quandoque demum manifeſta evadunt. Nunc tandem os fit amarum, oritur vomituritio etc. — Remedia evacuantia, conſtitutionibus in diverſis, diverſimode agere, ſcitu eſt ſumme neceſſarium. Interdum tarde agunt difficulterque. Interdum praeparationem ſeriam eamque breviorem longioremque, viceque alia requirunt nullam. Hic maximo cum levamine excernenda excernuntur, illic directe data materiam relinquunt intactam, nihilque idcirco, niſi materies antea fuerit praeparata, proſunt. Mox illud animadvertitur. Conſtitutio eſt inveſtiganda, juxtaque illam eſt procedendum.

Deprehenduntur autem quandoque etiam caſus, in quibus, bile licet manifeſtiſſime fortiſſimeque turgente, emetica et purgantia efficaciſſima ſaepiſſimeque repetita, parum, aut plenarie nihil agunt. Caſus ejusmodi plerumque per tempus quoddam, et ſi hoc dierum paucarum ſolummodo ſpatium fuiſſet, ſunt neglecti. Spes tunc parva tantummodo affulget, periculumque increſcit adeo, ut tempore brevi exitus ſequatur lethalis. Auctori noſtro caſus ejusmodi occurrerunt terribiles. Eo ſunt terribiliores,

quo

Digitized by Google

quo minus ex ſignis praeſentibus periculum ſuſpicatur adeo propinquum, quoque ſpes major ex indicationum manifeſtarum conſpicuarumque impletione deduci poſſe videtur. Epidemiae cujusdam caſus jam alicubi fuit recenſitus, in quo omnes, quibus emetica emeſin excitabant nullam, moriebantur. Procul dubio cauſa ſubinde eſt ſpasmodica ventriculum afficiens et inteſtina, quae remediorum horum effectum impedit, undeque inflammatio et gangraena celeriter jam inſequentes mortem cauſantur. Ventriculi regioni abdominique toti hoc in caſu fomentationes emollientiſſimae applicentur indeſinenter, clyſmata emollientiſſima tartari emetici doſibus largis armata horis repetantur ſingulis, ſemicupia ex tepido calida in uſum vocentur, quin veſicatoria ipſa ventriculo abdominique imponantur, emeticorumque et laxantium ſucceſſive fortiorum ope ſcopo potiendo opera detur. Medelae caſui ejusmodi neglecto malignoque feliciter applicatae exemplum pulcherrimum narrat *cel. Schaeffer* in *Baldingeri promptuarii tomo ſeptimo, parte ſexta* p. 524 ſeqq. Haec vero omnia citiſſime, efficaciſſime intervallisque ſemet excipientibus breviſſimis fieri debent. Partibus autem irritabilitate omni viribusque vitalibus privatis nihil medetur omnino.

Utut emetica in caſibus allegatis neceſſaria ſunt, ſicutique illorum vices laxantia ſupplere neutiquam poſſunt, quippe quae ſaburram circa praecordia ſtagnantem profundius in inteſtina ducunt diutiusque incarcerant, tanta tamen ſub ſuſpicione inflammationis intimae minima, cujus utpote ſigna haud ſemper ita ſunt manifeſta, in emeticorum adhibitione, providentia requiritur. Lingua ſicca fervida inter illorum contraindicantia praecipua eſt referenda.

Ven-

Ventriculi caeteroquin ſenſibilitas externa ab illorum uſu per ſe deterrere nullatenus debet. Senſibilitatem hanc externam adeo ſubinde vehementem, ut ne ſtragulorum quidem incumbentium preſſionem aegroti ferre potuerint minimam, poſt bilis herbidae copiam ingentem vomitu rejectam, ipſo evanuiſſe momento, cel. auctor obſervavit.

Caſus e contrario occurrunt alii, in quibus emeticum urgentiſſime indicari videtur, quibus tamen hoc nihil magis eſt contrarium; ſcilicet: in cerebri inteſtinorumque inflammationibus, ut ſilentio prematur gaſtritis, in hepatitide *), in veſicae, renum, uteri inflammationibus, in peripneumoniis veris, ex mero ſubinde conſenſu vomituritio frequens vomitusque verus oritur, quo tandem bilis portio quaedam rejicitur; id quod autem poſt emeſin immoderatiorem quamcunque tandem fieri ſolet. Inde quoque diu poſt adhuc ſapor ſaepe oritur amarus. Quantus hic committeretur error, ſi inde ad emetica exhibenda, quae hic lethalia fieri poſſent, indicatio ſumeretur, perſpicitur. Cauſae reliquae emetica indicare videntes, illaque tamen contraindicantes ſerio *o*), ex antecedentibus cognitae ſunt. Atque ex his omnibus tandem, caſibus in multis emeticorum indicationes manifeſtiſſimas eſſe et adaequatas, illasque interdum obſcuriores emeticaque tamen ſumme neceſſaria eſſe poſſe, nec non exadverſo indicationes emetica exigen-

*) Exemplum graviſſimum, quantopere emetica tali in caſu indicari videri poſſunt, quanto tamen ab his cavendum ſit opere, morbi profeſſoris b. m. *Voitus* hiſtoria a b. m. *Selle* (in der Berliniſchen Monatsſchr. März 1786. p. 236.) deſcripta docet.

o) Scriptiuncula lectu digniſſima eſt: *Frank* Proluſ. de larvis morbor. belioſor. Goett. 1784, quae nutus continet graviſſimos, tempore illo, quo bilis viarumque primarum ſyſtema imperium ſuum ultra fines extendere incipiunt.

gentes, his licet ſumme nocivis, valde urgentes videri, percipitur. In pleuritide vera epidemica 1768 a cel. *Grimm* deſcripta, in qua hepar omnino quoque adficiebatur, inter ſymptomata prima nec non interdum poſteriora vomitus numerabatur bilioſus frequens, qui hic autem emetica plenarie indicabat nulla, quorum in opere toto mentio quoque fit nulla, quamlibet cel. *Grimm* in genere ad bilis ſigna maxime conſpicua minus juſto reſpexiſſe videtur. Tandem admonitio a cel. Kloekhof inculcata attentionem meretur maximam. Monet, ut ſibi caveant medici, ne a vaſorum infarctu ſanguineo, ſaburrae ventriculi corruptae inteſtinorumque infarctorum ſpeciem prae ſe ferente, decipiantur; aut vice verſa; ne, ſtatum a cauſis utrisque tempore eodem productum remediis aggrediantur talibus, quae illarum uni vincendo tantummodo paria ſunt. Quemadmodum nempe cauſarum illarum una ſolummodo per ſe agere poteſt, ita fortaſſe ſaepius cauſae hae diverſimode combinatae praeſto ſunt. Illarum differentia juxta eundem inde inter alia cognoſcitur, dum perſpicitur, quantum ſanguinis jactura, excretio quaedam, a natura aut arte excitata, levamen cauſetur *p*).

Pro purgantibus meris pulveres ex tartari cremore rheoque No. 21, pro lubitu quoque in mixturae formam redigendi, proficui ſunt. Evacuationes iſtae aptiſſime remiſſionis tempore, horis igitur utplurimum matutinis, aut verſus meridiem inſtituuntur; interim ad tempus parum eſt reſpiciendum, temporeque quolibet illorum uſui audacter inſiſti poteſt, quoniam evacuatio ſordium maxime tempeſtiva momentum eſt praecipuum, remediaque laxantia electa indolis praeterea ſunt refrigerantis.

Quanta

p) Hiſt. febr. epid. Culenb. in opuſc. pag. 79. 80.

Digitized by Google

Quanta ſordium copia purgantium uſu ſtrenuo diesque quatuordecim et ultra continuato excernatur, vix eſt credibile. Fecum excretorum copia autem non juxta alvi exonerationes ab aegroto indicatas dijudicetur. Saepius utplurimum alvum dejicit, neque tamen feces ideo excernit multas. Medici juniores inde facile in errores incidere poſſunt, inprimis ſi de dejectionibus alvi repetitis valde conqueritur aegrotus, addens ſe has nullatenus amplius perferre poſſe, ſe nihil aſſumere, neque quidquam in corpore ſuo habere etc. Inſiſtatur autem remediis hisce pertinaciter. Excretiones alvinae ab initio frequentes, tenues et aquoſae ſub illorum uſu continuato ſucceſſive rariores, conſiſtentiores craſſioresque evadunt, atque nunc levamen fit manifeſtiſſimum, morbo interea aperte decreſcente.

Enemata quatuor, quinque, immo ſex, diebus ſingulis adplicata, agunt egregie. Excretiones inde ſequentes plus, quam a purgantibus excitatae, allevant aegros. Clare hoc percipiunt aegroti, quorum quidam auctori noſtro narravit, poſt clyſterem ipſi quidquam ſeceſſiſſe, quod quaſi e corpore ſuo fuerit evulſum, unde mutatio ſubita in ſtatu ſuo toto ſit producta. Aegrotus alius poſt clyſterem quemlibet allevamentum percipiebat tantum taleque, ut in anteceſſum tempus cum gaudio expectaret, quo clyſteris novi applicationem futuram ſciebat. Clyſteres hi ex herba malvae, florum chamomillae etc. decocto praeſcribuntur, quorum ſingulo oxymellis ſimplicis unciae duae aut tres adduntur. Si morbus radices jam egit altas, clyſteresque hi non ſufficiunt amplius, oxymel ſquilliticum tartarusque emeticus addi debent.

Remedia evacuantia efficaciſſima ut ab initio exhibeantur, minime eſt negligendum. Nihil intereſt,

eſt, num quadamtenus inde afficiatur aegrotus. Melius hoc eſt, quam ſi ſimiliter a morbo patiatur, qui, poſthaec faſtigium quoddam nactus, remedia haec non amplius perfert, ideoque pejor ſemper evadit. Auxilium quamlibet adaequatum, ſed juſto diutius procraſtinatum, aut inefficax nimis inersque, nihil hic ſaepenumero plus, quam mortem, declarat.

In calore vehementi caeteroquin exacerbationibusque durantibus praeter potus acidulos copioſos, per decurſum morbi totum continuandos, quorumque exempla diverſa in antecedentibus data fuerunt, mixturae proſunt temperantes ex ſalibus compoſitae mediis, nitro etc. No. 91, aut julapium egregie reficiens No. 92.

Praeterea clyſteres ex lactis ſero cum nitro calori moderando, capitis doloribus ſopiendis etc. utiliſſime inſerviunt.

Neque minus in calore vehementi mixturae ſuperioris cum tartaro emetico unciis octo ſpiritus vitrioli ſcrupuli duo, vel drachma integra addi poſſunt, ſicuti No. 93; illiusque uſui perpetuo eſt inſiſtendum, quod eo magis eſt neceſſarium, quo magis bilis humoresque in genere in putredinem vergunt, quo in caſu nitrum minus convenit acidaque vegetabilia juſto ſunt debiliora, quum ſordibus e contrario adhuc fixis acida mineralia minus, quam vegetabilia, conducunt. Ventriculo valde affecto liquoris anodyni mineralis *Hoffmanni* additamentum largum eſt proficuum; quemadmodum Halleri acidum reſpectu eodem acidis mineralibus puris praeferri meretur.

Nonnunquam, Hoffmanni liquorem anodynum doſibus tantummodo exhibere minoribus, ſatius eſt, praecipue ſi calor, quem caeteroquin doſi datus largiori,

giori, modo licet mox tranſitorio, facile auget, adhuc vehemens fuerit.

3) Si bilis acris adeo mobilisque fuerit, ut, irritamento minimo accedente, ſupra erumpat et infra, motus producat violentiſſimos, vires enormiter exhauriat, vitamque ipſam periculo exponat, id quod quandoque citiſſime contingit: tunc neque de emeticorum, neque de purgantium adhibitione cogitandum eſt, ſed in bilis acredine diluenda, involvenda excretionibusque exorbitantibus ſopiendis cardo omnis verſari debet. Hoc potibus largis mucilaginoſis ex ſagou, ſalep, gummi arabico, cornu cervi decoctis, citri ſucco multo acidulatis, Sydenhami decocto albo, menthae, meliſſae, florum chamomillae infuſis Riveriique potione No. 37, cujus effectus egregios caſibus in diverſis vidit auctor noſter, efficitur. Potionis hujus effectus quoque exoptatiſſimos ſubinde obſervavit idem, ſi ſal alcali citri ſucco in officina pharmaceutica plenarie ſaturatum addebatur, et ſic, poſtquam diu jam deſierat efferveſcentia, cochleatim ſumeretur, quamvis alii hoc negent. Saturatio interim imperfecta ex cauſis captu facilibus vitanda eſt, quare ſalis alcalici loco magneſia alba quoque propoſita fuit. Nitri naphthae guttae XII — XV non minus hic efficaces fuerunt. Atque, his omnibus non amplius profuturis, moſchus neceſſitate urgente ad ſcrupulum integrum dandus vomitum adhuc ſedavit.

Tali modo tamdiu pergitur, donec vomitus remittit, potusque doſibus repetitis minoribus frigideque hauriendus retinetur. Turbis abdominalibus ſimul clyſterum minorum repetitorum ex ſeminis lini, furfurum tritici, cornu cervi, pedum vervecinorum, ſeminis foenugraeci, avenae decorticatae, oryzae

etc.

etc. cum floribus chamomillae, atque gummi arabico ſine addito ſale decoctis mucilaginoſis, quibus, neceſſitate urgente, theriacae portio additur, paratorum ope placandis opera danda eſt. Effectus quoque praeſtitit egregios arnicae radix, ſi remediis hucusque recenſitis diarrhoea obtemperare recuſat. Exhibetur vel in infuſo, vel in pulveris forma omni hora trihoriove a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam; interim, ibi ſolummodo, ubi inteſtinorum potius laxitatem quam irritamentum illos afficiens, tollendi ſcopus eſt, ſalutaris habetur. His autem omnibus nondum ſufficientibus; extrorſum quoque turbis vehementibus impetuoſisque per fomentationes et cataplaſmata ex herbis malvae, ſemine lini; floribus chamomillae, ſambuci, lacte calido cum croco et opio paratas, per linimentum ſaponatum cum Sydenhami laudano liquido aut tinctura thebaica, per theriacam ventriculo impoſitam, per emplaſtrum e cumino cum opio et camphora; tandemque, inflammationis ſignis apparentibus periculoque increſcente, per venaeſectiones, cucurbitulas, hirudines, quorum duodecim, viginti pluresque ventriculi regioni apponuntur, per linimentum volatile, veſicatoria, ſemicupia, pediluvia etc. omni opera obex eſt ponendus. Raro interim, modo omnia, quae fieri debuerunt, mature ſatis facta fuerint, caſus hic contingit.

Remedia cuncta terrea, oleoſa q), obturantia, adſtringentia, emulſiones, opiata ſumme ſunt nociva,

q) Olea expreſſa tamen, juxta experimenta recentiora plura, adeo non rejicienda eſſe videntur. *Tiſſotus* (Nervenkr. Webers Ueberſ. 3. Th. pag. 154.) oleum amygdalarum dulcium medicamentum appellat egregie demulcens, quod certis ſub circum-

civa, niſi enim periculum extremum remediorum poſteriorum doſin aliquam neceſſariam faciat, quum exadverſo omnia bilem diluentia, ejus acrimoniam involventia et edulcorantia, ventriculique et inteſtinorum turbas placantia, neque tamen ſordes retinentia et incarcerantia, ſalutaria hic ſunt et proficua.

Quando nunc hac ratione emeſis et diarrhoea temperatae ſunt et ſopitae, id quod frequentiſſime quidem, non autem ubicunque poſſibile eſt; tunc ſordibus relictis acrimonia ſua maxima jam privatis prudenter eliminandis opera eſt navanda, quem in finem aut manna tamarindique in hordei decocto ſoluti,

cumſtantiis vomitum ſedat, bilis curſum reſtituit, largiterque alvum exonerat. Neque experimenta cum ricini oleo, in febribus bilioſis inſtituta, incognita ſunt. *Tode* remedium in dyſenteria optimum illud habet. Prae omnibus oleorum ſine igne expreſſorum honorem potiſſimum vindicavit *Burſerius*, perhibens, aegrotos febribus his laborantes ſenſibiles adeo irritabileſque eſſe, ut timendum ſit, emetica et purgantia aegri ſtatum longe pejorem redditura eſſe. Hoc in caſu, olivarum, aut lini, aut amygdalarum oleum, modo recentiſſime fuerit expreſſum, ad uncias quatuor, quinque, vel ſex vice unica exhibendum commendat. Illudque plerumque ſupra et infra juvare, humores acres obtundere, contractiones ſpaſmodicas relaxare etc. teſtatur. Neque, ut ranceſcat, timet, ſi oleum bonum fuerit recensque, atque quantitate exhibeatur praeſcripta, quia tunc per ventriculum et inteſtina celerrime ruit. Si interim ranciditas futura timeatur: haec ſucci citri, vel oxymellis additamento praecaveri poterit, unde phlogiſton, quod explicitum oleo ranciditatem cauſatur, figitur. Olivarum ricinique oleum difficillime tardiſſimeque ranciditatem contrahunt. Oleum purum, recenter expreſſum in caſibus variis certiſque ſub circumſtantiis remedium omnino exoptatiſſimum eſſe, cujus in locum vix aliud ſurrogari poſſit, ex his omnibus perſpicitur. Caſuumque in febribus bilioſis illorum unius hic eſſe videtur, ubi bilis acrimonia magna evacuationes inſtituit impetuoſas, ubique plenarie neque emetica, neque purgantia minimo agentia cum irritamento locum habent.

Digitized by Google

luti, aut ſalia media, tartarus depuratus cum tartaro emetico, quorum effectus gummi arabici additamento quodam temperantur, adhibentur.

Status hic utplurimum remediorum evacuantium neglectorum ſequela eſt, his namque tempeſtive exhibitis raro in febribus bilioſis ſimplicibus occurrit. Omnino autem remedia haec ſumme neceſſaria quibusque carere nemo poteſt, ſatis ſaepe negliguntur.

§. 133.

Cruditatibus praeſentibus hac ratione evacuatis linguaque puriore facta, febris plerumque cum ſymptomatibus ſuis omnibus evaneſcit quoque, urina ſecedit copia majori, caput liberius evadit faciliusque, ſapor naturalis redit, redeunt appetitus et ſomnus, moleſtiaeque cunctae circa cordis ſcrobiculum ſunt ablatae.

Linguam interim quandoque aliquatenus adhuc ſordidam ſaporemque amarum, immo ſenſationem circa cordis ſcrobiculum adhuc aliqualem remanere poſſe, quamvis, ſordes bilioſas ſufficienter evacuatas eſſe, ex ſignis ſanationis reliquis omnibus appareat, animadvertendum eſt. Reliquias hasce cauſatur ventriculi atonia mera, illiusque viribus creſcentibus, ſub remediorum amarorum efficacium, inprimis decocti herbarum chamaedrios, chamaepytis centauriive minoris cum quantitate rhei pauca uſu, moleſtiae hae omnes diſparent citiſſime. In paragrapho ſequenti uberius adhuc hac de re agetur.

Quandoque ſudor adhuc, ſemper tamen exoptatus ſanitatemque ſecuram reddens, nec non urina critica cum ſedimento utplurimum rubro, reliquias morbi cunctas auferentes ſequuntur, quum exadverſo, urina perpetuo cruda manente, ſignis licet reli-

quis ſanitatem praeſagientibus futuram, recidivae malaque alia ſucceſſiſſe viſa fuerint. Eo interim criſes iſtae deficiunt frequentius, quo materia illarum efficacius maturiusque fuit expulſa, atque aegrotus ſine illis cum ſanitate perfectiſſima redit in gratiam, id quod paucos interdum poſt dies, viceque alia hebdomadibus tribus quatuorve elapſis, quando evacuationes neglectae, aut ſerius parciusque juſto fuerunt inſtitutae, contingit; licet medendi methodo praeſtantiſſimae morbus hic haud raro reſiſtat pertinaciter, materiesque bilioſa, reſpectu ad evacuationes omnes habito nullo, velut ex fonte non exhauriendo indeſinenter adfluat, febre interea perpetuo perſiſtente aegrotique viribus continuo magis evaneſcentibus.

Saepius hoc in caſu viſcerum abdominalium, praecipue hepatis, obſtructiones latent, quae remediorum reſolventium uſum ſeverum requirunt, antequam ſordes indefinenter inde propullulantes febrimque alentes perpetuo remediis cedant evacuantibus. Neque minus animi pathemata tecta aut manifeſta, inprimis ira moerorque morbo huic pabulum ſubminiſtrant, id quod exempla cel. auctorem docuerunt plura. *Perill. Zimmermannus* in dyſenteria, morbo utpote febri noſtrae maxime affini, effectus inde triſtiſſimos ortos fuiſſe vidit *r*). Nec non recidivae inde ſequelaeque aliae malae originem trahunt.

§. 134.

Ventriculus utplurimum febre ſuperata, ſi haec quodammodo vehemens fuerit evacuationesque multae inſtitui debuerunt, in ſtatu eſt debiliſſimo, ſic ut

r) Von der Ruhr unter dem Volke, pag. 315 ſeqq. Liber hic praeſtantiſſimus multa in genere huc pertinentia eaque graviſſima continet.

ut hanc ob rationem lingua horis praecipue matutinis muco albo nec non flaveſcente ſit obducta, appetitus recte redire nolit, mentis alacritas priſtina, ut et ſomnus tranquillus adhuc deficiant, flatus oriantur facile moleſtiaeque plures aliae producantur. His omnibus ſaepiſſime decocta amara paragrapho priori jam recenſita medentur, quibus ſalutariter cortex quoque additur peruvianus, cui ab initio, quemadmodum jam monitum fuit, providentiae gratia, ſi forte cruditates quaedam adhuc ſupereſſent, rhei copia parva admiſcetur; ſucceſſive tunc adhuc convenit: Prae caeteris vinum, elixir Roberti Whytt, elixir viſcerale Kleinii, elixir vitrioli Mynſichti, extracta amara, fel taurinum in aqua aut vino ſolutum, extractum corticis peruviani cum vino Tocajenſi dilutum, herbae abſynthii infuſum vinoſum etc. *) proficua ſunt. Tali modo corpus totum ſimul ſub regimine apto, motu moderato, diaetaque ſucceſſive lautiori robur recuperat priſtinum, pedum oedema interdum remanens diſparet, recidivisque ponitur obex.

Accurate interea antea inquirendum eſt, an non ſordes in corpore relictae, aut de novo generatae debilitatem cauſentur et virium reſtitutionem impediant, quo in caſu, his praevie prudenterque evacuatis, remedia demum roborantia in uſum ſunt vocanda. Medicis junioribus regula haec inculcari ſatis nequit, ne remedia roborantia, corticem praecipue peruvianum, ut plerumque ab illis fieri, atque ab aegrotis deſiderari ſolet, citius juſto adhibeant. Hac enim ratione non modo nihil boni efficiunt, quamdiu ſordes adhuc praeſto ſunt, ſed aegrotus

*) Quaſſiae lignum inter medicamenta viſceralia locum quoque obtinet praecipuum. Ejus infuſum vinoſum, toties mihi hunc in finem comprobatum, ſatis laudare nequeo. *K.*

potius pejus ſe habet, inquietior evadit anxiusque, neque tam placide amplius dormit, appetitusque incipiens evaneſcit iterum. Pulveres nonnulli ex rheo tartarique cremore omnia tunc ſaepius mutant in melius.

At non raro quoque hepatis, rarius viſcerum aliorum, obſtructiones ſtatum hunc debilem, linguam flavam, faciei colorem flavum, taedium, anorexiam, moleſtias abdominales diverſas etc. poſt febrim, absque omni interdum medici culpa remanentes, cauſantur. Ejusmodi in caſu remedia roborantia ſupra recenſita peſſime per ſe convenirent. Saponum vegetabilium remediorumque aliorum in ſequentibus commemorandorum etc. uſus continuatus ad impedimenta haec tollenda praevie in uſum vocari debet.

Quandoque corticis peruviani in morbi fine adhibitionem diarrhoea inſequitur. Haec bona eſt ſaburramque adhuc latentem evacuat, atque ſub corticis peruviani uſu continuato, cui rhei portio quaedam eſt admiſcenda, ſordibus his expulſis, ceſſat, niſi enim alvi profluvium tale absque ſordium ſignis ab inteſtinorum atonia nimia irritabilitateque oriatur, juſto ſit vehementius viresque continuo magis exhauriat magisque, atque ſtatum totum reddat pejorem, quo in caſu remedia ſopientia et adſtringentia, caſcarilla, catechu ſuccus, radix columbo, radix arnicae, ligni campechenſis extractum, alumen opiataque ipſa cortici addenda ſunt peruviano.

§. 135.

Quamquam remiſſiones manifeſtiſſimae hac in febre rationem corticis peruviani exhibendi involvant nullam, quippe qui illius cauſae plenarie eſt con-

contrarius; tunc e contrario utilitatem praeſtat ſaluberrimam, ſi, viis primis perfecte depuratis, febris cum remiſſionibus manifeſtis pertinaciter nihilominus perdurat; quo in caſu tamen remedia leniter purgantia, quorum rheo, cum ſale *Glauberi*, aptius eſt nullum, illi ſunt admiſcenda. Quando autem et hic quoque calorem febrimque minimo augeret modo, neque mox prodeſſet cortex peruvianus: illius uſus ipſo momento intermittendus iterum, atque cum remediis tantummodo leniter purgantibus eſt pergendum. Febris intermittens inſequens corticis peruviani vel per ſe, vel juxta regulas in capite de febribus intermittentibus traditas cum ſale ammoniaco, rheo remediisque, pro circumſtantiarum ratione, aliis combinati, exhibendi indicationem declarat eo manifeſtiorem. De corticis peruviani in febribus intermittentibus uſu legi meretur Selle (neue Beiträge zur Natur- und Arz. W. 3. Th. pag. 85 ſeqq.).

Corticis peruviani in febribus hisce, utut remiſſiones manifeſtiſſimae illum quandoque ſuadere videantur, uſum intempeſtivum effectus produxiſſe peſſimos, obſervationes docuerunt. Febris non modo pergit perpetuo, exacerbationesque protrahuntur continuo, tandemque ſe contingentes coëunt, ſed anxietates quoque maximae, cephalalgiae vehementiſſimae, inquietudo magna, lingua ſicca, tuſſis etc. oriuntur, neque minus metaſtaſes peſſimae, aſthmata, febres hecticae, icterus, tympanitis, hydrops etc. producuntur.

§. 136.

Similiter debilitas, utut magna, corticem peruvianum hac in febre nullatenus indicat, quamdiu haec manifeſte, ſicuti deliria vehementiſſima, inquietudo ſumma, agrypnia, cephalalgiae maxime

Digitized by Google

intolerabiles, convulſiones violentiſſimae, immo animi deliquia, ſingultus etc. ex re nulla alia, quam a bile in praecordiis ſtagnante, oriuntur, quippe quae ſymptomata in toto terrarum orbe nihil ſecurius citiusque tollere poteſt et ſopire, quam, poſt praeparationem requiſitam praegreſſam, emetica et purgantia efficacia, inter quae, et cum quibus ſub debilitate magna ſolummodo, atque ad excretionum promotionem vini rhenani generoſi cum aqua citrique ſucco aut ſyrupo acido, ſyrupo acetoſitatis citri, florum papaveris, ceraſorum nigrorum, mixti hauſtus: liquoris anodyni mineralis *Hoffmanni* additamentum largum, vitrioli naphtha, *Halleri* elixir acidum et aqua frigida omnem ſcopi paginam abſolvunt.

§. 137.

Si febris viſcerum obſtructiones, hepar frequentiſſime occupantes, relinquit indeque jam icterus exoritur: tunc remedia in capite de febribus intermittentibus adverſus hunc caſum laudata, inprimis ſapo Hiſpanicus cum rheo in pilulas redactus, aut ſalia, ſalis mirabilis *Glauberi* doſes parvae in aqua calida ſolutae fontisque ſoterici inſtar potatae, prae aliis omnibus tartarus tartariſatus, terra foliata tartari, extractum taraxaci, fumariae, ſonchi, ſenecionis, graminis, trifolii fibrini, marrubii albi, aut illarum ſucci recenter expreſſi ad ſyrupi conſiſtentiam inſpiſſati cochleatim cum lactis ſero hauſti; ova cruda, radix graminis, radix taraxaci, herbae et radices ſaponariae, ſcorzonerae, cichorei, externe linimentum volatile, emplaſtrum ſaponatum cum emplaſtri de cicuta, aut belladonnae portione aequali remixtum, unguenta mercurialia, nec non ſub illorum uſu motus quotidiani, inprimis equitatio, diaeta tenuis,

Digitized by Google

tenuis, modica levisque requiruntur. Semper autem, ſicuti jam ſaepius dictum fuit, neque repeti ſatis poteſt, remedia reſolventia, refrigerantia et calefacientia a ſe invicem ſunt diſcernenda, atque, quo in caſu aut haec aut illa proficua ſint, rite conſiderari debet. Si materia obſtruens acris eſt et irritans, anxietates, ſpaſmos, dolores aeſtumque producit: tunc ſapones vegetabiles, herbarum ſucci recentes et extracta, ova cruda ſex, octo pluresque quotidie, in aqua ſoluta, ſalia media, herbarum decocta, ſerum lactis, hydromel, aqua ſelterana etc. conveniunt; in caſu autem oppoſito hic non adeo frequenti, ſi materies potius pituitoſa eſt, tenax, terrea, cum pulſu debili tardoque conjuncta, in ſubjectis phlegmaticis, mucoſis, inertibus, gummata, ſalia alcalina, ſapo hiſpanicus, extractum chelidonii majoris, aſa foetida, ſal ammoniacum etc. praeferri merentur.

Poſt obſtructionum reſolutionem corticis peruviani, martis aquarumque martialium ope corpus roborandum, atque adverſus recidivas eſt muniendum. Illa ipſa quoque debite combinata remedia ſunt adverſus ſequelas omnes, ex debilitate mera ortas, praecipua. Duo hic adhuc occurrunt notatu digna valdeque neceſſaria. *Primo:* remediis reſolventibus evacuationes ad ſaburram reſolutam ſubinde expellendam ſunt interponendae. Hoc fit vel in intervallis determinatis ab octiduo uno circiter ad alterum, aut melius adhuc prouti turgeſcentia illas indicat. Utiliſſime remediis reſolventibus evacuantia, hac autem ſolummodo ratione doſique, ut dejectiones alvinae feculentae perpetuo ſequantur, ſimul admiſcentur. Excretiones autem alvinae, aquoſae, doloroſae inaneſque nunquam hic purgantium ope ſunt excitandae. *Secundo:* non raro abſolute eſt ne-

Digitized by Google

ceſſarium, ut remediis reſolventibus addantur ſimul roborantia, ſine quibus, ſi inteſtinorum canalis jam valde relaxatus debilitatusque fuerit, nunquam pervenitur ad ſcopum. Similiter quoque additamenta alia circumſtantiarum rationi adaequata, acidum infringentia, demulcentia, antiſpaſmodica etc. neceſſaria ſunt. Legendus idcirco eſt b. m. *Kaempfius.*

Aſthmata, hydropes, tympanitides etc. remedia praeterea tempore ſuo indicanda requirunt.

Agrypnia interdum ſub ſignis caeteroquin aliis bonis remanet, cujus cauſa ventriculi atoniae eſt tribuenda, quaeque idcirco remediorum ventriculum roborantium ope ſucceſſive tollitur. Nonnunquam hepatis obſtructio illam cauſatur.

§. 138.

Adverſus tuſſim cum ſputo remanentem copioſo, viaque directa in phthiſin abeuntem, lichen Islandicus polygalaque praecipue fuerunt efficaces, quibuscum diaeta congrua, motus etc. combinari debent.

Venaeſectio per ſe conſiderata in febribus bilioſis nullatenus prodeſt, utut capitis dolores, anxietates, dolor punctorius bilioſus *) deliria etc. illam ſua-

*) Geſenius in tractatu germanico de febre epidemica putrida bilioſa annorum 1785 et 1786 pag. 72. pleuritidis inflammatoriae bilioſaeque ſigna diſtinctiva expoſuit egregie. Quam facile autem error ſit poſſibilis, perſpicitur quoque. Inprimis fines, circa quos bilis inflammationesque verae complicatae concurrunt, determinatu ſunt difficiles. Lingua non raro bile praeſente plenarie pura eſt, faciesque inflammatione praeſente flava eſt, bilis viridis in inflammatione vera vomitu rejicitur etc. Auctor peripneumoniam talem die quinto lethalem obſervavit. Cadaveris ſectio morbi ſedem demonſtrabat indubitatam. Pulmo vehementer inflammatus erat, atque in partes diſ-

ſuadere videantur *s*). Auctor noſocomii caſtrenſis Pruſſici anonymus *t*) (*cel. Frize*): inter mille, inquit, aegrotos tales certe quinque ſolummodo proficua eſt venaeſectio, illamque ſe tandem lethiferam in noſocomiis caſtrenſibus obſervaſſe addit. Emetica e contrario ut adhibeantur citiſſime, properandum eſt etc. Legatur Tiſſotus. Circumſtantiae interim venaeſectionem ab initio ſemel, raro pluries requirentes contingere tamen poſſunt; et hae ſunt 1) *plethora manifeſta*, circa quam in genere autem notandum eſt, homines, in febres pronos bilioſas, raro vere plethoricos eſſe. Plethora vera partim ex corporis totius conſtitutione, partim ex pulſu pleno duroque, calori, ſiti, animae corporisque viribus aliquatenus reſpondente, neque purgantibus clyſteribusque cedente, apparet; 2) *inflammationes complicatae*, praecipue pulmonum, aut hepatis, ventriculi, inteſtinorum etc. *ſigna vera*, quae vero fallere hic valdopere poſſunt, ideoque ab effectibus bilis in has partes partim

diſſectus aquae fundum petebat. In inteſtino autem duodeno hinc inde ſaburrae viridis portiones parvae inveniebantur. Venaeſectio bis quidem, ſed forſitan haud mature ſatis largiterque, inſtituebatur. Morbus cum vomituritione, vomitu ſaporeque amaro incipiebat, pulſus ſemper mollis erat, emeticum ab initio datum levamen attulit nullum, neque tamen pectoris ſymptomata reddebat pejora.

s) *Apfel* de phlebotomiae, inpr. in febr. bil. recta adminiſtratione. Helmſt. 1779. in *Bald.* opuſc. Vol. VI. n. XVI.

t) Das Königl. Preuſſ. Feldlazareth nach ſeiner medicin. und ökon. Verfaſſung, der zwoten Armee im Kriege von 1778 und 1779, und deſſen Mängel aus Dokumenten erwieſen. Leipz. 1780. Librum hunc ſummopere commendat *ill. auctor* noſter, addens *cel. Frize* monumento aere perennius a rege ipſi exſtruendo dignum eſſe, quia medendi methodos peſtiferas noſocomiique belli ultimi Pruſſici conditiones pernicioſas in eodem perſtringit.

tim immediatis, partim ſympathicis, quas tamen revera non inflammant, prudenter diſtinguenda, atque ex circumſtantiarum omnium nexu univerſo ſunt dijudicanda. Circumſtantiae hae praecipue ſunt vires, aegroti conſtitutio, pulſus, anni temporis, epidemiae, ſanguinis fortaſſe e vena miſſi conditio, excretiones ſanguineae neglectae aut intermiſſae, morbi periodus ſymptomatumque ad cauſas praeſentes relatio.

Re nihilominus dubia manente: remediorum laxantium temperantium ope, num diatheſeos inflammatoriae ſigna apparentia ſic evaneſcant, antea tentare, ex illorumque ſucceſſu tunc determinare, num venaeſectio neceſſaria adhuc ſit, nec ne, conſultius eſt.

Quo magis venaeſectio igitur neceſſaria eſt, eo magis neceſſarium eſt, ut ante evacuationes ſtatim poſt illam inſtituendas adminiſtretur, partim ut ſic noxae ab effectu remediorum evacuantium concutiente in vaſa a ſanguine expanſa viſceraque affecta pertimeſcendae avertantur, partim ut evacuationes ſordiumilioſarum poſtea inſtituendae facilitentur promoveanturque. Abdomen tumidum, doloroſum, tenſum obſtructumque ſaepius igitur, circumſtantiis caeteroquin caeteris paribus, venaeſectionem poſtulat. Interdum adeo, ut vicibus aliquoties alternis emetica et venaeſectiones ſemet excipiant, neceſſarium eſt. Aegroti ſubinde immediate poſt venaeſectionem bilem herbidam vomitu et alvo rejicere obſervantur, id quod jam porro promoveri conſervarique debet. Quin ad ſputum cruentum ne reſpectum ullum quidem tunc habuit auctor noſter, illudque poſt emetica repetita evanuiſſe vidit. Idem apud *Stollium* aliosque legitur. Status hic praecipue in peripneumoniis

niis occurrit bilioſis, ſi tuſſis valdopere vehemens pulmonesque debiles ſunt. Rarius caeteroquin hic eſt, quam in peripneumoniis inflammatoriis veris.

Sanguis hoc in morbo cruſta inflammatoria craſſa tectus eſt nonnunquam, quae autem ſola nullatenus ad venaeſectiones repetendas invitare debet, idque eo minus, ſi craſſamentum illi ſubjacens nexu debito, firmitate caret, atque, ut interdum gelatinae fragili, texturae mucoſae, ſacco inſtar incluſae, ſimile videtur. Neque etiam dolor ſic dictus punctorius bilioſus ſolus ad venaeſectionem, niſi ſigna illam alia plura poſtulent, ſeducere quemquam debet. Et ſi a ſignis ejusmodi indicaretur: caſus tamen, in quo venaeſectio ſecunda neceſſaria foret, rariſſimus eſt. Permultis in caſibus venaeſectio una damnum jam adfert maximum. Neque levamini ſubitaneo a venaeſectione tali producto fidendum eſt, quoniam haud ita diu poſt omnia fiunt pejora. *Tiſſotus u)* peripneumoniam bilioſam epidemicam obſervavit, ex qua omnes, quibus vena ſecabatur, perierunt, qui autem ſine venaeſectione emeticis ſolummodo et purgantibus, tractabantur, evaſerunt feliciter. Tempore autem alio prolixius hac de re agere conſtituit cel. auctor.

Si nunc dolores punctorii poſt venaeſectionem vomitumque non evaneſcunt, neque fomentationibus emollientibus unguentisque cedunt; tunc a veſicatorio loco dolenti applicato infallibili tolluntur modo.

Venaeſectio eo in genere minus locum habet, quo virium decrementum eſt celerius, quo magis mor-

u) Diſſ. de febr. bil. ſeu hiſt. epid. bilioſ. Lauſannae 1755. cujus editio nova 1780. Baſileae prodiit. Nec non litterae ad Zimmermannum ſuper epidemiam 1765 et 1766 huc ſunt referendae.

morbus jam eſt provectus, atque quo plus in putredinem vergit ſanguis, id quod partim ex illius e vena miſſi excretionumque reliquarum diatheſi, partim ex exanthematibus maculisque in cute erumpentibus, partim ex conſtitutione cognoſcitur epidemica. Caſus interim revera occurrunt, qui medicum exercitatiſſimum mentisque acie ſumma praeditum ſeducere poſſunt. Eo magis medicis minus verſatis, circumſtantias omnes ut perpendant, et inter ſe conferant, incumbit, antequam caſibus in dubiis quidquam inſtituant, quod non minus noxium, quam ſalutare neceſſariumque eſſe poteſt. Caſus interim inter centenos vix in uno committetur error, ſi venaeſectio non inſtituatur, venaeſectioque neglecta noxas rariſſime inferet illas, quas eadem intempeſtive inſtituta pediſſequas habet certiſſimas. — Frequentiſſime cauſus in principio ſuo, ſi ſtatus adeſt ſumme inflammatorius, ſi ſanguis in partes ſingulares ruit violenter, ſi aeſtus eſt intolerabilis ſanguinisque expanſionis magnae ſigna praeſto ſunt, venaeſectionem requirit. Remedia maxime refrigerantia, generis omnis humectationes tepidae externae internaeque, potus multus blandus, leniens, non frigidus, clyſteres copioſi, excretiones placidae etc. momentum methodi locum hic invenientis complectuntur praecipuum. Vid. *Stoll* aphoriſm. pag. 159.

§. 139.

Regimen diaetaque in febribus bilioſis, regulis generalibus, ſupra traditis accommodatur. Aër, aegrotum ambiens, frigidus, ſiccus purusque eſſe atque juxta illius ſenſationem determinari debet; potulenta acidula ſint oportent frigidaque, cibi, quibus veſcitur aegrotus ex regno ſolummodo vegetabili ſunt petendi. Fructus acidi maturi uſum habent

maxi-

maxime multifarium. Legatur hic iterum diaetae ratione praecepta tradens pulcherrima *Tiſſotus.* — Cephalalgiae vehementes capitis ſitum altum denudatumque requirunt. Prophylaxis temporibus bilioſis neceſſaria poſtulat, ut calefactiones, refrigeria, ventriculi oppletiones evitentur, fructus aeſtivi largiter comedantur, motus in aëre libero inſtituatur diaetaque non nimis relaxans obſervetur.

§. 140.

Auctores graviſſimi ad hoc caput pertinentes partim jam ſunt allegati, partim in capitis ſequentis fine extant. In genere capita haec utraque in connubio ſunt legenda, quoniam morbi utrique in illis expoſiti tacite ſe contingentes coëunt fineſque, ubi illi deſinunt atque hi incipiunt, difficulter determinari poſſunt, quoniamque praeterea methodum medendi quoque requirunt ſimillimam.

Partis primae finis.

Formu-

Formulae medicinales,

ad numeros in manuali hoc ſub morborum curatione occurrentes referendae.

No. 1.

Rec. Aqu. ceraſ. nigr. *unc. quat.*
Sal. mir. Gl. *unc. ſem.*
Syr. roſ ſolut. *drachm. ſex.*
M. D. S. Omni hora bihoriove cochlear I — cochlearia II.

NB. *Cochlear* auctori noſtro unciam dimidiam — *patella* uncias tres continere debent.

No. 2.

Rec. Aqu. menth. ſ. v. *unc. tres.*
Terr. fol. tart. *dr. duas - tres.*
Syr. foenic. *unc. unam.*
M. D. S. Omni hora bihoriove cochl. I - II.

No. 3.

Rec. Crem. tart.
Arc. dupl. āā *gr. quindec. - ſcr. un.*
M. diſp. in 4plo. S. omni bih. pulvis I ex aqua.

No. 4.

Rec. Aqu. foenic. *unc. ſex.*
Sal. polychr. Seign. *unc. dim. - un.*
Tartari emet. *gr. duo - quatuor.*
Syr. de manna. *unc. un.*

M. D. S.

Digitized by Google

M. D. S. Ab initio omni bihorio cochlear I; poſtquam illud ter quaterve repetitum fuerit, omni hora cochlearia II. —

Vomitu inde non oriente, ſtatim poſt emeticorum ſequentium formula praeſcribatur.

No. 5.

Rec. Pulv. rad. ipecac. *gr. quindecim - drachm. dimid.*
Sulph. ant. aur. ult. pr. *gr. un. - tria.*
Ol. dſtl. cort. aur. *gt. un.*
M. D. S. Pulvis vomitum ciens vice una ex thea ſumendus.

No. 6.

Rec. Pulv. rad. ipecac. *ſcrup. un.*
Sal. mir. Gl. *ſcr. ſemis.*
Tart. emet. *gr. un. - duo.*
M. D. S. Pulvis emeticus vice una ex thea ſumend.

No. 7.

Rec. Aqu. fl. cham. *unc. un.*
Pulv. rad. ipecac *gr. quindec.*
Tart. emet. *gr. un. - duo.*
Syr. cort. aur. *dr. un.*
M. D. S. Potiuncula emetica vice una haurienda.

No. 8.

Rec. Aqu. cinnam. ſ. v. *unc. duas.*
Tart. emet. *gr. tria.*
Oxym. ſquill. *dr. duas.*
M. D. S. Mixtura emetica, cujus ab initio pars dimidia, eaque non ſufficienter operante, poſt horae dimidium, pars altera hauriatur.

Digitized by Google

No. 9.

Rec. Crem. tart. *dr. ſem.*
Tart. emet. *gr. duo - quatuor.*
M.D.S. Pulvis vomitorius vice una duabusve ſumendus.

No. 10.

Rec. Sal. mir. Gl.
Pulv. ipecac. āā *ſcr. un.*
M.D.S. Pulvis vomitorius pro una doſi.

No. 11.

Rec. Pulv. ipecac. *ſcr. un.*
rhab. *ſcr. dim.*
Tart. emet. *gr. un.*
M. D. S. Ut antecedens.

No. 12.

Infuſ. ipecac. Car. Gianella.
Rec. Pulv. rad. ipecac. *dr. un. ſem.*
Cort. aur. curaſſ. *dr. duas.*
Crem. tart. *dr. dimid.*
Ebull. cum *unc. quatuor* aqu. fontan. col. admiſce
Oxym. ſquill. *unc. ſem.*
D. S. Cochleatim.

No. 13.

Rec. Oxym. ſquill.
Syr. de cich. c. rh. āā *dr. tres.*
Pulv. rad. ipecac. *gr. quinque - octo.* aut
Sulph. antim. aur. ult. praec. *gr. tria.*
M. D. S. Sumatur cochlear minus *(Theelöffel)*, donec vomitus ſequatur; aut
Rec. Tart. emet. *gr. duo.*
Solve in aqu. rub. id. *unc. quatuor*
Adm. ſyr. fl. papav. *unc. ſem.*

D. S.

Digitized by Google

D. S. Sumantur omni horae quadrante cochlearia minora I. II. III, donec vomitus ſequatur.

No. 14.

Rec. Pulv. rad. jalapp. *ſcr. un. - dr. dimid.*
Tart. emet. *gr. un. - duo.*
Sach. albiſſ. *ſcr. ſem.*
Ol. dſtl. foenic. *gt. I.*
M. D. S. Pro una doſi.

No. 15.

Rec. Salis Sedliz. vel Angl. *unc. dim. - un.*
Tart. emet. *gr. un. - tria.*
Solve in aqu. cort. ☉ *unc. quinque.* admiſce
Syr. de manna *unc. un.*
D. S. Omni hora bihoriove cochlearia II.

No. 16.

Rec. Mann. el. *unc. un. ſem.*
Terr. fol. tart. *dr. un. ſem.*
Tart. emet. *gr. un. - tria.*
Solve in aqu. calidae *unc. ſex.*
D. S. Ut antecedens.

No. 17.

Rec. Infuſ. laxat. Mannag. *unc. duas ſem.*
Tart. emet. *gr. un. - tria.*
Sal. polychr. Seign. *dr. tres.*
Aqu. menth. pip. *unc. un. dimid.*
Syr. de manna *unc. dimid.*
M. D. S. Omni hora bihoriove cochl. I - II.

No. 18.

Rec. Crem. tart. *dr. un.*
Antim. diaph.
Diagryd. ſulph. āā *dr. dim.*
M. f. p. div. in part. IV aeq.

 D. S.

D. S. Omni bihorio pulvis I ex aqua ſumendus, donec effectus laxans ſequatur ſufficiens.

Diagrydii doſis pro lubitu augeri poteſt.

No. 19.

Rec. Anim. rhab. aquoſ. concentr. *unc. tres.*
Elix. aperit. claud. *unc. un.*
Sal. Sedliz.
Syr. card. bened. āā *drachm. ſex.*
M. D. S. Omni bihorio cochlear I.

No. 20.

Rec. Infuſ. laxat. Mann. *unc. duas, tres.*
Sal. polychr. S. *dr. tres - ſex.*
Syr. de manna. *unc. dim.*
M. D. S. Potio laxans, horae unius ſpatio vicibus duabus haurienda.

No. 21.

Rec. Crem. tart.
Pulv. rhab. āā *dr. un.*
M. Div. in III part. aeq. S. Omni hora bihoriove pulvis I ex thea.

Ad bilem remediis aliis non cedentem eliminandam egregie quoque agit, miſcela, quam *Medicus*, *Geſnerus* aliique laudaverunt, ex *magneſiae cremoriſque* aut *cryſtall. tart.* partibus aequalibus, vel diverſis, compoſita.

No. 22.

Rec. Fol. ſennae c. ſtip. *a*) *unc. dim.*
Mannae elect. *unc. un. - un. ſem.*
Crem. tart. *b*) *dr. duas.*
Infund. c. aqu. ferv. *unc. ſex* per hor. dim.
Colat. D. S. Horarum duarum ſpatio hauriatur vicibus tribus.

a) Juxta

Digitized by Google

a) Juxta cel. *Bergii* experimenta (mat. med. p. 330.) jam evictum eſt, foliorum ſennae ſtipites haud plura in inteſtinis tormina creare, quam folia, atque aeque ac haec prompte purgare; id quod experientia poſthaec propria cel. auctor confirmat.

b) Neque minus ex cel. *Profeſſoris Bergii* experimentis (Nov. act. phyſ. med. Acad. N. C. Tom. IV.) tartari cremorem, tam difficulter alias ſolubilem, ad ſolutionem facili negotio perduci poſſe, ſi illius partes quatuor cum boracis parte una in copia aquae ſufficienti ſolvuntur, quae ſolutio dein colata ad humiditatis conſumtionem evaporatur. Hac ratione pulvis obtinetur albus ſapore praeditus acidulo, in aqua facile ſolubilis, ad uſus reſervandus. Id, quod in filtro remanet, rejicitur. Copia boracis, indicata major, recipienda non eſt, quoniam alias ſalis genus aliud inde oritur. Laxandi autem ſcopo cremor hic tartari ſolubilis, doſi majori, quam alias, eſt praeſcribendus.

No. 23.

Rec. Arc. dupl. *ſcr. duos.*
Pulv. rad. jalapp. *ſcr. un.*
Ol. dſtl. aniſi *gt. I.*
M. Divid. in II part. aeq. S.
Intra horae unius ſpatium ſumantur pulveres ambo ex aqua.

No. 24.

Rec. Magneſ. alb. calc.
Pulv. rhab.
Elaeoſach. cinnam. *a)* āā *dr. ſem.*
M. Div. in II part. aeq. S. Ut antecedens.

a) Auctori noſtro olei quantitas ad ſacharum reciproca ſunt *illius guttae ſex* ad *ſach. unc. un.*

No. 25.

Rec. Pulv. rad. jalapp.
Sal. mir. Glaub. āā *ſcr. un. - dr. ſem.*
Lap. cancr. ppt. *ſcr. un.*
Olei deſtil. foenic. *gtt. duas.*
M. Div. in part. II. aeq. S. Ut antecedens.

No. 26.

Rec. Mann. elect. *unc. un. ſem.*
Sal. polychr. S. *unc. dim. - drachm. ſex.*
Solve in aqu. menth. pip.
rub. id. āā *unc. tribus.*
D. S. Quavis hora dim. patellae dim.

No. 27.

Rec. Pulp. tamarind. *unc. duas - tres.*
Crem. tartari *unc. dimid.*
Coq. c. aqu. font. *unc. ſex* in colat. ſolv.
Mannae elect. *unc. un.*
D. S. Omni hora patella ad medietatem impleta.

No. 28.

Rec. Pulp. caſſiae *dr. ſex.*
Crem. tart. ſolub. *unc. ſem.*
Solv. in aqu. ferv. *unc. ſex.*
Sol. infund. calid. in fol. ſenn. c. ſtip. *dr. duas.*
Stent per horas aliquot, dein colat.
adm. ſyr. de manna *unc. un.*
D. S. Intervallis brevibus vicibus tribus quatuorve ſumatur.

No. 29.

Rec. Aqu. fl. chamom. *unc. octo.*
Sal. ammoniac. dep.
Extr. gent. r. āā *dr. duas.*
Syr. cort. aurant. *unc. un. ſem.*
M. D. S. Sub apyrexia omni bihorio trihoriove ſumantur cochlearia I - III.

No. 30.

Rec. amygd. d. r. exc. *unc. un.*
C. aqu. rub. id. *unc. decem* f. l. a. Emulſio, in qua ſolv.

Sal.

Sal. ammon. dep. *dr. duas.*
Sachari q. ſ. ad *gr. ſap.*
D. S. Omni bihorio patella ad medietatem impleta,
aut;

Rec. Salis amm. dep. *dr. un. ſem.*
Solve in aqu. ceraſ. nigr. *unc. quatuor.*
Adm. ſyr. emulſiv. *unc. un.*
D. S. Omni bihorio trihoriove cochl. I - II.

No. 31.

Rec. Rad. gent. r. *ſcr. un.*
ari *ſcr. ſem.*
Sulph. antim. aur. ult. pr. *gr. un - duo.*
Sal. abſynth.
Sach. alb. āā *gr. quinque.*
M. f. pulv. diſp. in XIIplo. S. Quotidie pulveres
III - IV. cum potu ſufficiente.

No. 32.

Rec. Extr. taraxaci *a)*
gramin. āā *drachm. un. ſem.*
Tart. tartariſat.
aut terrae fol. tart. *dr. tres.*
Solv. in aqu. chaerefol. *unc. ſex.* admiſce
Oxym. ſimpl. *unc. duas.*
D. S. Omni bihorio cochl. I - II.

a) Extracta haec omnia in balneo M. praeparata ſint oportet, ſi effectum inde ſperare volueris. Illorum quidem pretium tali ratione nonnihil exaltatur, at, ubicunque auxilium requiritur efficax, ratione viliori non praeſtandum, de pretio ſermo eſſe nequit. Cel. auctor illum ſe non curare intelligere perhibet, qui ſumtus, quos pharmacopoearum deſignationes non excedere debent, ipſi praeſcribit. Qualeque lucrum in aegrotantem redundabit, ſi medicamentorum efficacium loco res futiles vilesque corpori ingeruntur ſuo?

Digitized by Google

aut:

Rec. Extr. marrub. alb.
gramin. āā *dr. duas.*
Tart. tartariſ. *unc. ſem.*
Solv. in decoct. tarax. c. tot. concentr. *unc. decem.*
adm.
Oxym. ſquill.
Syr. foenic. āā *unc. unam.*
D.S. Omni bihorio patella ad medietatem impleta.

No. 33.

Rec. Herb. cent. min.
card. ben.
abſynth. vulg.
trifol. fibr. āā *M. un.*
Flor. chamom. R. *pug. duos.*
Fol. ſennae.
Rad. helleb. nigr. āā *unc. dim.*
Cort. peruv. *unc. un.*
Tart. tartariſ. *dr. ſex.*
Conc. inf. c. vini alb. *libr. duab. - tribus.*
aquae comm. *libr. un.*
Stent per dies aliquot. — Colat. D. S.
Diebus febre vacuis patella plena hauriatur ter die quovis.

No. 34.

Rec. Aqu. ceraſ. nigr. *unc. quat.*
Tinct. fl. pap. rec. *unc. dim. - dr. ſex.*
Syr. flor. pap. *dr. ſex.*
M. D. S. Omni hora bihoriove cochlear I.

No. 35.

Rec. Aqu. rub. id. *unc. ſex.*
Nitri dep. *dr. un. ſem.*

Syr.

Digitized by Google

Syr. rub. id. *unc. un.*
M. D. S. Hora omni bihoriove quovis Cochl. II.
aut:

Rec. Nitr. dep. *ſcr. ſem. - gr. quind.*
Diſp. in XIIplo. S. Omni bihorio pulvis I in liquoris ſimul praeſcripti cochl. II rec. reſolut. ſumatur.

Rec. Aqu. rub. id. *unc. ſex.*
Syr. rub. id. *unc. un.*
M. D. S. Vehiculum pro pulveribus ſumendis.

No. 36.

Rec. Rad. valer. maj. *unc. dim.*
Fl. chamom. R. *unc. ſem.*
Sal. ammon. dep. *dr. duas.*
C. Coque leniſſ. igne in vaſ. vitr. vel porcell. bene tecto c. aqu. comm.
Colat. *unc. decem.* adm.
Caſtorei opt. *a*) *dr. un. ſem.*
Syr. diacod. *unc. un. ſem.*
D. S. Omni hora dimidia, aut integra cochl. I.

a) Juxta *Will. Alexandri* experimenta (Exper. Eſſ. Lond. 1768. pag. 127 ſeqq.) caſtoreum non calefacit, quoniam illius drachmas tres cum dimidia abſque aeſtus augmento ipſe ſumſit. Dubitat cel. auctor, num experimentorum a martyre hoc medico in corpore proprio, hoc remediisque aliis pluribus inſtitutorum, quorum illud cum camphora inſtitutum vita mox privaſſet eundem, reſultationibus ſine exceptione fides haberi poſſit; aut, mutato ſermone: num remedia periclitata in corpora cuncta effectum exſerant eundem, quem in *Alexandri* corpus exſeruerunt. Hoc ſaltem, idque, ex mea quidem ſententia, jure, dubitat ill. Vogelius, num homines plures caſtorei drachmas tres cum dimidia abſque aeſtus augmento notabili ſumere poterunt. Remedium praeterea idem aliter in ſanis aliterque operatur in aegrotis. Neque minus, opii doſes fortiſſimas ſomnum diverſis hominibus creare nullum, non eſt ignotum.

No. 37.

Rec. Sal. herbar. *ſcr. quat.*
Sach. alb. *dr. duas.*
Solve in aqu. pur. *unc. quat.*
Adm. aqu. cinnam. ſ. v. *unc. duas.*
D. S. Omni hora dimidia integrave cochl. III cum ſucci citri recenter expreſſi cochleari I in ipſo effervescentiae actu hauriantur.

Pr.

No. 38.

Rec. Sapon. hiſp. *unc. ſem.*
Extr. trifol. fibr.
valerian. āā *dr. duas.*
Pulv. rhei elect. *dr. un. ſem.*
Sulph. aur. antim. ult. praec. *gr. quadrag. duo.*
Syr. fumar. q. ſ. ut f. pil. pond. *gr. tr.* Conſp. pulv. liquir.
D. ad Scat. S. Mane et veſperi ſumantur pilulae quinque.

No. 39.

Rec. Herb. cent. min.
Flor. chamom. R. āā *Manip. un.*
Rad. rec. graminis *unc. un. ſem.*
cichorei.
taraxaci c. tot. āā *unc. un.*
Tart. tartariſ. *unc. dimid.*
C. Coque c. aqu. fontan. ſ. q. Colat. fortiter expr. *libr. tribus.* adm.
Syr. quinque rad. aperient. *unc. un. ſem.*
D. S. Omni trihorio ſuperbibatur pilulis praecedentibus patella plena.

No. 40.

Rec. Anim. rhab. aquoſ.
Liquoris terrae fol. tartari āā *unc. duas.*

Extr.

Extr. tarax. *dr. duas.*
Syr. foenic. *unc. dimid.*
M. D. S. Omni trihorio cochlear. I.

No. 41.

Rec. Sulph. ant. aur. liq. *a*)
Animae rhei aquoſ. āā *unc. un.*
M. D. S. Ter quaterve de die capiantur guttae ſexaginta usque centum, ſuperbibaturque largiter decoctum rad. graminis, aut bardanae etc.

a) Temporis tractu atque in calore tinctura haec ob ſaponem rancida evadit, quare ſaepius recenter praeparanda eſt. Omnibus caeteroquin tincturis antimonialibus ideo praeferri meretur, quia nullatenus tam acris eſt, neque idcirco aeſtum adeo ſiccum, ſitim etc. ut illae — cauſatur.

No. 42.

Rec. Rad. ari *dr. quinque.*
gent. rbr. *unc. un.*
Salis herb. *dr. tres.*
M. f. p. Divid. in partes XXXII aeql. S. Tempore matutino, pomeridiano veſpertinoque pulvis I capiatur potusque ſuperbibatur largus.

No. 43.

Rec. Sap. hiſp. *dr. ſex.*
Extr. tarax. *dr. un. ſem.*
Gumm. ammon. *dr. ſem.*
Syr. foenic. q. ſ. ut. f. pilulae pond. gr. II. Conſp. pulv. cinnam. D. in Scat. S. Mane, poſt meridiem et veſperi ſumantur pilulae decem.

No. 44.

Rec. Gumm. ammoniaci.
Squillae rec. āā *unc. ſem.*

Cont.

Cont. ſimul in mort. et adm.
Cardam. min. trit. *unc. ſem.*
F. pilulae c. balſ. peruv. q. ſ. *gr. duor.*
D. in Scat. S. Mane, poſt meridiem et veſperi pilulae capiantur quinque - octo.

No. 45.

Rec. Extr. graminis *dr. duas, ſemis,*
cicutae *dr. un. ſemis.*
Terrae fol. tartari *dr. tres.*
Solve in aqu. taraxaci per ferm. *unc. octo.*
Adm. ſyr. de hyſſop. *unc. un.*
D. S. Omni bihorio trihoriove cochlear I cum ptiſana ſequenti.

No. 46.

Rec. Rad. taraxaci.
cichorei.
junip.
gramin.
ſaponar. āā *unc. ſem.*
Sem. foenic.
aniſi āā *dr. un.*
Conc. cont. M. D. S. Coquatur harum ſpecierum, quantum cochlear ordinarium (Eſslöffel) capit, in aquae comm. libr. I per horae quadr. poſt colaturam portio haec quotidie repetatur.

No. 47.

Rec. Gumm. ammon. vit. ovor. ſolut. *dr. un.*
Oxym. ſquill. *unc. un.*
Sal. polych. S. *dr. duas.*
Aquae foenic. *unc. ſex.*
M. D. S. Omni trihorio cochl. II.

No. 48.

Digitized by Google

No. 48.

Rec. Extr. arnicae *dr. duas.*
Solve in aqu. menth. *unc. octo.*
Adm. ſyr. flor. chamom. *unc. duas.*
D. S. Omni trihorio cochl. I - II.

No. 49.

Rec. Gumm. amm.
galbani āā *dr. un. ſem.*
Extr. hyoſc. *dr. ſem.*
M. f. c. Tinct. ſuccini pil. *gr. ſtr.* Conſp. pulv. cinnam. D. ad Sc. S. Mane, poſt meridiem et veſperi capiantur pilulae III - IV.

No. 50.

Rec. Rad. ſarſap. *unc. duas.*
Stipit. dulcam. *dr. tres.*
Conſc. coque vaſe clauſo c. aquae ſ. q. per hor. tres.
Colat. *libr. un. ſem.* leviter expreſſ. adm.
Syr. fumar. *unc. duas.*
D. S. Ter quaterve per diem capiatur patella plena.

No. 51.

Rec. Rad. arnicae *dr. tres.*
Fol. arnicae *unc. un.*
Conſc. coque ſ. q. aquae per ¼ hor.
Adm. rad. liquir. *unc. un.*
Stent adhuc in fervid. infuſ. per ¼ hor.
Colatura librarum duarum. D. S.
Omni bihorio trihoriove capiantur cochl. II.

No. 52.

Rec. Extr. aconiti *gr. ſem. - un.* etc.
Sach. alb.

Lap.

Lap. cancr. ppt. āā *ſcr. ſem.*

M. Diſp. IXplo. D. S. Sumantur quotidie pulveres II - III ex aqua.

NB. Cel. auctor monet, ſatius eſſe, ſi cum extracti aconiti parte grani quarta aut grano dimidio bis quotidie ſumendo, incipitur, illaque doſis omnibus diebus, aut die quovis altero augetur.

No. 53.

Rec. Extr. cicutae *ſcr. ſem.*

Solve in aqu. flor. tiliae *unc. quat.* adm.

Liq. terrae fol. tartari *dr. un. - duas.*

Syr. fumariae *unc. ſem.*

D. S. Quavis tertia hora capiatur cochl. I.

No. 54.

Rec. Tart. Tartariſati

aut terrae fol. tartari *dr. duas, ad tres - ad ſex.*

D. S. Portio haec quotidie mane jejuneque in aqua ſoluta ſucceſſive hauriatur.

No. 55.

Rec. Extr. tarax. *dr. duas.*

Tart. tartariſ *unc. ſem. - dr. ſex.*

Solve in decocti cich. concentr. *unc. octo,* admiſce

Mellis deſpum. *unc. duas.*

D. S. Capiatur quater quovis die patella ad medietatem impleta.

No. 56.

Rec. Rad. bardanae *unc. duas.*

Conſc. coque in aq. font. q. ſ. per ¼ hor. dein adm.

Rad. foenic. *unc. un.*

Stent adhuc per ¼ hor. in ferv. infuſ. colat. *libr. duar. ſem.*

adm.

Adm. liq. terrae foliatae tartari *dr. tres.*
Syr. fumariae *unc. duas ſem.*
D. S. Omni bihorio patella capiatur plena.

No. 57.

Rec. Rad. gramin. *unc. tres.*
cichor. *unc. un.*
Conc. coque in ſ. q. aquae per ¼ hor.
Colat. *libr. un. ſem.* adm.
Sal. polychr. S. *unc. ſem.*
Syr. V. rad. aperient. *unc. duas.*
D. S. Hora quavis altera aut tertia hauriatur patella plena.

No. 58.

Rec. Succi rec. expreſſi naſturt. aquat.
cochlear.
taraxaci āā *unc. duas.*
M. inſpiſſ. leni igne ad conſiſt. Syrupi et admiſce
Syr. foenic. *unc. ſem.*
D. S. Mane jejuneque capiantur cochl. duo in lactis ſero intra horarum duarum ſpatium.

No. 59.

Rec. Sal. mir.
Mannae elect. āā *unc. un.*
Solve in aquae calidae *unc. tribus.*
D. S. Capiantur omni hora bihoriove cochl. bina.

No. 60.

Rec. Pulp. tamarindorum *unc. duas.*
Coque in aquae font. *unc. ſex.*
Colat. adm. Salis pol. S. *unc. ſem.*
Mannae elect. *unc. un.*
D. S. Hora quavis capiatur patella ad medietatem impleta.

No. 61.

No. 61.

Rec. Infuſ. ſenn. limon. *unc. quat.*
Sal. polychr. S. *dr. tres - unc. ſem.*
Syr. de manna *unc. dim.*
M. D. S. Capiantur hora quavis cochlearia bina.

No. 62.

Rec. Infuſ. lax. Mannag. *unc. ſex.*
Sal. Sedliz. *dr. ſex.*
Nitri depur. *dr. un.*
Syr. roſ. ſolut. *unc. un.*
M. D. S. Capiatur hora quavis bihoriove patella ad medietatem plena.

No. 63.

Rec. Crem. tartari *dr. duas.*
Nitri dep.
Pulv. rhei āā *dr. un.*
M. Div. in VI partes aequales. D. S. Capiatur hora quavis bihoriove pulvis ex aqua.

No. 64.

Rec. Aqu. ceraſ. nigr.
menth. pip. āā *unc. tres.*
Sal. mir. Gl. *unc. un. - un. ſem.*
Nitri depur. *dr. un.*
Tart. emet. *gr. tria - quatuorve.*
Syr. de manna *unc. duas.*
M. D. S. Omni hora bihoriove capiantur cochl. I - II.

No. 65.

Rec. Pulp. tamarind. *unc. tres.*
Cryſtall. tartari *dr. duas.*
Syr. roſar. ſolut. *dr. ſex.*

M. D.

M. D. in pyx. S. Capiantur hora quavis cochlearia aliquot minora. *Qu.*

Medicina eſt, infantibus inprimis grata.

No. 66.

Rec. Aqu. rub. id. *unc. ſex.*
Sal. pol. S. *unc. dim.*
Nitri dep. *dr. un. - un. ſem.*
Succi citri rec.
Syr. fl. papav. āā *unc. un.*
M. D. S. Omni hora bihoriove capiantur cochl. I - II.

No. 67.

Rec. Crem. tartari.
Nitri dep. āā *dr. tres.*
M. div. in VIII part. aeql. S.
Capiatur omni bihorio *pulvis unus* ex aqua.

No. 68.

Rec. Aqu. ceraſ. nigr. *unc. ſex.*
Nitri puri *ſcrup. octo.*
Sal. ammon. dep. *dr. un. - ſcrup. quatuor.*
Lap. cancr. pp. *dr. un.*
Syr. fl. pap. —
de althea Fernelii āā *unc. un.*
M. D. S. Capiantur *cochlearia bina* hora quavis altera.

No. 69.

Rec. Nitri dep. *dr. duas.*
Lap. cancr. citr.
Sach. alb. āā *dr. un.*
M. div. in partes VI aeq. S. Capiatur omni bihorio *pulvis I* ex aqua.

No. 70.

Rec. Aqu. fl. Sambuc. *unc. ſex.*
Nitri dep. *dr. duas.*

Oxym. ſimpl. *unc. duas.*
M. D. S. Capiantur *cochlearia bina* hora quavis altera.

No. 71.

Rec. Aqu. flor. pap. *unc. ſex.*
Crem. tart. ſol.
Sal. mir. Gl. āā *unc. ſem.*
Nitri dep. *dr. un.*
Syr. ribium *unc. un.*
M. D. S. Hauriantur bihorio quovis cochlearia II.

No. 72.

Rec. Amygd. d. r. *unc. un. ſem.*
c. aq. roſ. *unc. duodecim* f. l. a. Emulſio, in qua ſolve
Nitri depur. *dr. duas.*
Sal. ammoniac. dep. *dr. un.*
Sach. q. ſ.
M. D. S. Capiatur patella ad medietatem plena bihorio quovis.

No. 73.

Rec. Spir. vitrioli acid. r. *unc. dim.*
Syr. flor. pap. *unc. tres.*
M. D. S. Hora quavis bihoriove capiantur cochlearia minora III - IV in aquae ſ. q.

No. 74.

Rec. Aqu. rub. id. *unc. ſeptem.*
Spir. vitr. acid. *dr. un. - ſcrup. quatuor.*
Syr. fl. pap *unc. un. ſem.*
M. D. S. Hauriantur bihorio quovis cochlearia bina.

No. 75.

Rec. Aq. roſar. *unc. quat.*
Tinct. flor. pap. rec. *unc. dim.*

Mixt.

Mixt. ſimpl. *dr. un.*
Syr. rub. id. *unc. ſem.*
M. D. S. Capiatur cochlear I, hora quavis bihoriove.

No. 76.

Rec. Elix. acid. Halleri *dr. duas ſem.*
Syr. ceraſ. nigr. *dr. ſem.*
M. D. S. Capiantur guttae decem - ſedecim ex patella aqua plena.

Formula haec cum ſyrupi mellisve copia majori potui ordinario quoque admiſceri poteſt; aut vitro majori aqua impleto *guttae quindecim ad viginti* inſtillantur ſacharique admiſcetur quantitas larga.

No. 77.

Rec. Sal. eſſent. Tart. *gr. quinque - ſex.*
Sachari roſati *gr. quindecim.*
M. Diſpenſ. in duodecuplo S. Omni bihorio pulvis I ex aqua capiatur,

aut:

Rec. Pulv. refrig. Suec. *unc. quatuor.*
D. in Scat. S. Capiantur *cochl. II theana* impleta in vitro vinoſo aqua impleto hora quavis altera.

No. 78.

Rec. Aqu. rub. id. *unc. quat.*
Sal. eſſ. tart. *gr. viginti quinque.*
Syr. rib. *unc. dimid.*
M. D. S. Capiatur cochlear I hora quavis altera.

No. 79.

Rec. Aquae ceraſ. nigr. *unc. quat.*
Sal. tartari, vel herbar. *dr. un.*

Succi

Succi citri rec. q. ſ. ad ſatur. perf.
Syr. violar. *unc. un.*
M. D. S. Hora quavis bihoriove capiantur cochl. bina.

No. 80.

Rec. Rad. Scorzonerae.
Paſſ. minorum āā *unc. tres.*
Hord. decoct.
Glycyrrh. āā *unc. ſem.* Conſc. coq. in aq. font. *libr. ſex.*
Colat. refrig. adm. Syr. acet. citri *unc. duas.*
D. S. Pro potu ordinario.

No. 81.

Rec. Camph. c. amygd. trit. *dr. ſem. un.*
Amygd. d. rec. *dr. ſex.*
C. aquae roſar. unc. ſex f l. a. Emulſio cui adm. liqu. anod. min. Hoffm. *dr. duas.*
Sach. alb. *unc. dimid.*
D. S. Cochleatim capiatur.

No. 82.

Rec. Aqu. cinnam. ſ. v. *unc. ſex.*
Confect. card. ph. Ed.
Sal. volat. c. c. āā *dr. ſem.*
Syr. croci *unc. dim.*
M. D. S. Omni dimidia integrave hora capiantur cochlearia II.

Pr.

No. 83.

Rec. Pulv. cort. peruv. *unc. duas.*
Flor. cort. aurant. *unc. ſem.*
Rad. ſerp. virg. *dr. tres.*
Croci *ſcr. quatuor.*

Coc-

Digitized by Google

Coccionell. *ſcr. duos.*
Spir. vini Gallici *unc. viginti.*
Infund. clauſ. ſtent per dies III - IV. Colat. S. *Tinct. alexiph. Huxhamii.*

No. 84.

Rec. Huj. tinct. *unc. dim.*
Aqu. puleg. *unc. tres.*
Syr. cinnam. *unc. dim.*
M. D. S. Capiatur cochlear I hora quavis dimidia integrave.

No. 85.

Rec. Rad. ſerp. virg. *unc. un.*
Infund. c. aq. fervid. *unc. duodec.* ſtent per horas aliq. vaſ. tect. in loc. tep.
Colat. adm. Elaeoſach. cinnam. *unc. ſem.*
D. S. Hora quavis dimidia integrave capiantur cochl. I - II tepide.

No. 86.

Rec. Aqu. cinnam. ſ. v. *unc. quatuor.*
Camph. *dr. ſem.*
Liq. anod. *dr. un. ſem.*
Syr. cinnam. *unc. ſem.*
M. D. S. Capiatur cochleatim.

No. 87.

Rec. Pulv. cort. p. electiſſ. *unc. un.*
Coq. in aq. font. *libr. duabus* ad reman. *unc. novem.*
Sub finem coct. adm. pulv. rad. ſerp. virg. *unc. ſem.*
Colat. expr. adde ſyr. cort. aurant. *unc. un.*
D. S. Capiantur cochlearia II ad patellam usque dimidiam, hora quavis bihoriove.

No. 88.

Rec. Decocti cort. peruv. *unc. ſex.*
Camph. c. alcoh. trit. *ſcr. un. ad duos.*
M. D. pro clyſtere S. Injiciatur vice una, omnique bihorio trihoriove repetatur.

No. 89.

Rec. Aqu. rub. id. *unc. quinque.*
Nitri puri *dr. un.*
Sal. mirab. Gl. *unc. dim.*
Syr. acetoſ. citri.
Rob. ſambuc. āā *dr. ſex.*
M. D. S. bihorio quovis capiantur cochl. II.

No. 90.

Rec. Pulp. tamarind. *unc. un. ſem.*
Crem. tart. ſolub. *dr. ſex.*
Mann. elect. *unc. un.*
Tart. emet. *gr. tria - ſex.*
Ebull. c. aqu. fervid. *unc. decem.*
Colat. D. S. Omni hora bihoriove capiantur cochl. II.

No. 91.

Rec. Aq. ceraſ. n. *unc. ſex.*
Sal. pol. S.
Nitri dep. āā *dr. un. ſem.*
Succi citri.
Syr. rub. id. āā *unc. un.*
M. D. S. Quamdiu aeſtus durat, capiantur cochlearia II, hora ſingula.

No. 92.

Rec. Aqu. roſar. *unc. ſex.*
Tinct. fl. pap. rec. *dr. tres.*
Spir. nitri d. *ſcr. duos.*
Syr. fl. pap. *dr. ſex.*
M. D. S. Capiantur cochlearia bina horis ſingulis.

No. 93.

No. 93.

Rec. Aq. menth. ſ. v. *unc. ſex.*
Sal. mir. Gl. *unc. un.*
Tartari emet. *gr. tria.*
Spir. vitr. acid. *ſcr. duos - dr. un.*
Syr. de manna *unc. duas.*
M. D. S. Capiantur cochlearia bina bihorio quovis.

No. 94.

Rec. Infuſ. laxat. Mannag. *unc. ſex.*
Crem. tart. ſolub. *unc. un.*
Tart. emet. *gr. tria.*
Syr. de manna *unc. duas.*
M. D. S. Capiantur cochlearia II bihorio quovis.

No. 95. vide *No.* 90.

No. 96.

Rec. Aq. cinnam. ſ. v. *unc. octo.*
Extr. cort. peruv. *unc. ſem.*
Alum. crud. *ſcrup. duos.*
Syr. cydon. *unc. un.*
M. D. S. Capiantur cochl. II omni hora bihoriove.

No. 97.

Rec. Aq. foenic. *unc. quat.*
Sal. herb. *dr. un.*
Succi citr. rec. q. ſ. ad ſaturat. perfectam.
Anim. rhei aquoſ. *unc. dim. ad dr. ſex.*
Syr. acet. citri *unc. un.*
M. D. S. Capiantur cochl. II - III bihorio quovis.

No. 98.

Rec. Camphorae *dr. un.*
Solv. in ol. hyoſc. q. ſ.
adm. unguent. alth. *unc. un.*
D. S. Illiniatur ter quaterve die quovis calidiuſcule.

No. 99.

Digitized by Google

No. 99.

Rec. Ungt. hyoſc.
alth. āā *unc. dim.*
Camph. *dr. dimid.*
M. D. S. Ut antecedens.

No. 100.

Rec. Aquae menth. ſ. v. *unc. octo.*
vini rhenani *unc. quatuor.*
Gumm. tragac.
Succi catechu āā *dr. un.*
Alum. crudi *dr. duas.*
M. D. S. Capiantur cochlearia bina hora bihoriove ſingulis.

No. 101.

Rec. Mellis roſati *unc. un.*
Borac. venet. *dr. un. - tres.*
Solve tritur. in mort. D. S.
Os ſaepius hoc illiniatur.

No. 102.

Rec. Camph. *dr. un.*
Solve aliquot gtt. ſpir. vini.
Senſim adm. terend.
Aceti vini *unc. decem.*
D.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google